



Botany Department
No. 3
Date
266

~~247~~
~~12~~





1827
H
3
266

R. 2533

T O M V S P R I O R
C O M M E N T A R I O R V M I N
O C T O L I B R O S A R I S T O T E L I S
D E P H Y S I C O A V D I T V , S E V A V S C V L -
T A T I O N E , C O N T I N E N S D V O S P R I O R E S
L I B R O S , V - N A C V M D I S P V T A T I O N I B V S , E T
Q V Æ S T I O N I B V S , H O C T E M P O R E A G I T A R I
S O L I T I S , I V X T A S V B T I L I S D O C T O R I S

I O A N N I S D V N S S C O T I
M E N T E M .

A D V N I V E R S V M O R D I N E M
F R A T R V M M I N O R V M .

del Coll. de la Comp. de los de Granada
A V C T O R E

I L L V S T R I S S I M O , E T R E V E R E N -
d i s s . D o m i n o D . F r a t r e I o a n n e M e r i n e r o ,
M a t r i t e n s i : o l i m i n C o n u e n t u C o m p l u t e n s i
S a n c t a M a r i a à I e s u , L e c t o r e T h e o l o g o I n -
b i l a t o : i n a l m a C a s t e l l a P r o u i n c i a M i n i s t r o
P r o u i n c i a l i : p o s t e à t o t i u s O r d i n i s F r a t r u m
M i n o r u m G e n e r a l i M i n i s t r o . N u n c S a n -
c t a E c c l e s i a V a l l i s O l e t a n a
E p i s c o p o .

C V M P R I V I L E G I O .

M a t r i t i a p u d M a t t h a e u m F e r n a n d e z T y p o g r a p h u R e g i u m .
A n n o M , D C , L I X .

FEE DE ERRATAS.

Pag. 7. col. 2. lin. 38. sed. dig. seu. Pag. 162. col. r. lin. 4. argumentationis, dig. argumentationis. Pag. 162. col. r. lin. 38. auctoribus, dig. auctoritatibus. Pag. 305. col. r. lin. 18. inesse, diga in esse. Pag. 384. col. 2. lin. 24. istam, dig. istum.

Hic liber inscriptus *Cursus Philosophicus in quinque tomis, ex Logica, Physica, Generatione, & de anima, demptis his mendis*, suis exemplaribus respondet. Dat. Matriti die 5. mens. Martij anno 1659.

*Lic. D. Carolus Murcia
de la Llana.*

Suma de la Tassa.

Este Curso Filosofico tassaron los señores del Consejo à cinco maravedis cada pliego, en quinze de Março de mil, y seiscientos, y cinquenta, y nueue, en el Oficio de Miguel Fernandez de Noriega.

Està aprobado este Curso Filosofico por el Ilustrissimo y Reuerendissimo señor D. Fray Francisco de Araujo, Obispo de Segouia; y por los Reuerendissimos Padres Fray Alonso de Herrera, y Fray Diego Ramirez.

INDEX LIBRORVM, DISPVTATIONUM, QUESTIONUM, SECTIONUM, & IN HOC PRIORI TOMO CONTINENTUR. LITERA P. PAGINAM OSTENDIT.

DISP. unica proœmialis. pagina 1.

Quæst. 1. De nomine, acceptio-
nibus, & diuisionibus Phi-
losophiæ. pag. 1.

Quæst. 2. De quidditate Philo-
sophiæ naturalis. pag. 4.

Sect. 1. Explicatur, an Philoso-
phia naturalis sit scientia?
pag. 4.

Sect. 2. Explicatur, quid sit ob-
iectum, seu subiectum for-
male Philosophiæ natura-
lis? pag. 7.

Quæst. 3. De naturalis Philoso-
phiæ qualitate. pag. 19.

Quæst. 4. De fine, & utilitate Phi-
losophiæ naturalis. pag. 22.

Summa textus totius primi libri
Physicorum. pag. 24.

Annotationes circa literam totius
huius primi libri. pag. 27.

Disp. 1. De ordine procedendi
in doctrinis. pag. 32.

Quæst. 1. Quotuplex sit cog-
nitio, qua intellectus in ali-
quod totum tendit? pag. 32.

Quæst. 2. Vtrum ordo præscrip-
tus ab Aristot. in primo cap.
huius libri, in tradenda qua-
libet doctrina, sit exactus? pa-
gin. 35.

Quæst. 3. An perfecta cuiuscun-
que rei cognitio omnium cau-
sarum intelligentiam depof-
cat? p. 43.

Quæst. 4. Vtrum in vniuersum
sit verum, non nobis, atque natu-
ra eadem nota? pag. 52.

Quæst. 5. Quid sit à nobis primò
cognitum pro hoc statu? pa-
gin. 56.

Sect. 1. Explicatur, quid sit à no-
bis pro hoc statu primò cog-
nitum in cognitione actuali
facta comparatione inter
solas naturas vniuersales? pa-
gin. 57.

Sect. 2. Explicatur, quid sit à
nobis pro hoc statu primò
cognitum cognitione actua-
li confusa facta compara-
tione inter naturas vniuersa-
les, & naturas singulares?
pag. 73.

Sect. 3. Explicatur, quid sit à
nobis pro hoc statu primò
cognitum, in cognitione tã
habituali, quàm virtuali? pa-
gin. 79.

Disp. 2. De primis principijs rerum
naturalium in communi. pag. 83.

Quæst. 1. Vtrum definitio pri-
morum principiorum rerum
naturalium tradita ab Aristot.
sit exacta? pag. 84.

Quæst. 2. Vtrum prima princi-
pia rerum naturalium sint
tantum tria? pag. 94.

Quæst. 3. Vtrum primò contra-
ria sint prima principia re-
rum

rum naturalium? pag. 100.

Disp. 3. De materia prima, quæ est
primum principium rerum natu-
ralium pag. 104.

Quæst. 1. An sit, & quid sit mate-
ria prima? pag. 105.

Quæst. 2. Vtrum materia prima
ex se aliquam habeat actum?
pag. 114.

Quæst. 3. Qualiter ratio puræ po-
tentia subiectiue ad materiã
primã comparetur? p. 130.

Quæst. 4. Vtrum materia prima
horum corporum inferio-
rum sit vna in specie, & nu-
mero? pag. 140.

Quæst. 5. Vtrum materia prima
habeat appetitum ad formas
substantiales? pag. 143.

Quæst. 6. Vtrum materia prima
existere possit sine forma
substantiali? pag. 149.

Sect. 1. Examinatur quæstio de
potentia Dei absoluta p. 150.

Sect. 2. Examinatur quæstio de
potentia Dei ordinata. p. 156.

Quæst. 7. Vtrum materia sit de
quidditate compositi substã-
tialis? pag. 158.

Quæst. 8. Vtrum materia prima
sit generabilis, & corrupti-
bilis? pag. 169.

Quæst. 9. An materia prima sit
principium corruptibilitatis
entis naturalis? An verò for-
ma? pag. 172.

Disp. 4. De alijs duobus principijs
rerum naturalium, forma, scili-
cet, & primatione pag. 173.

Quæst. 1. An sit? & quid sit for-
ma informans substantialis?
pag. 174.

Quæst. 2. Vtrum formæ substã-
tiales de potentia materiæ
educantur? pag. 179.

Quæst. 3. An doctrina de edu-
catione formarum de potentia
materiæ extendatur ad for-
mas cælorum, & elemento-
rum in prima eorum condi-
tione? pag. 184.

Quæst. 4. Vtrum educantur de
potentia subiecti omnes for-
mæ accidentales? pag. 189.

Sect. 1. Discutitur quæstio de
accidentibus tam naturali-
bus, quàm artificialibus. pa-
gin. 190.

Sect. 2. Discutitur quæstio de
accidentibus super naturali-
bus, quo ad substantiam. p.
192.

Quæst. 5. Vtrum plures formæ
substantiales possint simul
informare eandem numero
materiam? pag. 202.

Quæst. 6. Quia sit priuatio? &
quomodo à materia prima
distingatur? pag. 214.

Disp. 5. De ente naturali, ut est
quoddam totum, & de termino
augmenti, & decrementi illius.
pag. 220.

Quæst. 1. Vtrum ens naturale sit,
quid simplex, an compositum?
pag. 221.

Quæst. 2. Quid sit vniò, per quã
partes compositi naturalis
coniunguntur? pag. 223.

Quæst. 3. Vtrum totum per se
physicum sit entitas realiter
distincta ab omnibus suis
partibus simul sumptis, & vni-
us? pag. 240.

Sect. 1. Discutitur quæstio de toto per se physico essentiali. pag. 241.

Sect. 2. Discutitur quæstio de toto per se physico integrali. pag. 256.

Quæst. 4. Vtrum viuentia habeant certos terminos magnitudinis, & paruitatis? pag. 259.

Quæst. 5. Vtrum inanimata habeant certos terminos magnitudinis, & paruitatis? pag. 269.

Quæst. 6. Vtrum in accidētibus detur maximum, & minimum? pag. 282.

Disp. 6. De indiuiduatione, existentia, atque subsistentia entis naturalis. pag. 292.

Quæst. 1. De principio indiuiduationis entis naturalis. pag. 292.

Sect. 1. Explicatur, quid sit, seu in quo consistat principium indiuiduationis substantiæ materialis completæ. p. 293

Sect. 2. Explicatur, vnde sumatur principium indiuiduationis in substantijs materialibus completis. pag. 312.

Sect. 3. Explicatur principium indiuiduationis in alijs rebus, quæ non sunt substantiæ materiales completæ. pag. 327.

Quæst. 2. De existentia entis naturalis. pag. 330.

Sect. 1. Explicatur, quid nominibus essentiæ, & existentiae intelligamus? pag. 330.

Sect. 2. Explicatur, quo pacto

existentia distinguatur ab essentia. pag. 335.

Sect. 3. Explicatur, quibus rebus existentia competat. pagin. 353.

Sect. 4. Explicatur, qualis sit compositio ex essentia, & existentia. pag. 358.

Quæst. 3. De subsistentia entis naturalis. pag. 363.

Sect. 1. Explicatur, quid sit subsistentia. pag. 363.

Sect. 2. Explicatur, an in creatis id, quod denominatur subsistens, supra naturam indiuidualiter existentem addat aliquam entitatem positiuam? pag. 367.

Sect. 3. Explicatur, an subsistentia entis naturalis sit simplex, an composita? pag. 383.

Summa textus secundilibril de physico auditu, seu auscultatione. pagin. 390.

Annotationes circa literam huius secundilibril. pag. 395.

Disp. 1. De natura rerum naturalium. pag. 398.

Quæst. 1. Quam naturam Arist. hoc loco definierit? p. 398.

Quæst. 2. Vtrum definitio naturæ tradita ab Arist. sit exacta? pag. 399.

Quæst. 3. An hæc definitio naturæ sit quidditatiua? An descriptiua nuncupanda? pag. 408.

Quæst. 4. Vtrum de ratione naturæ sit esse principium, & causam, vt motus, & quies competant ei, in quo est, vt principio quod actiuo? An vt prin-

principio quod passiuo? pag. 412.

Quæst. 5. Quibus rebus competit definitio tradita naturæ? pag. 424.

Quæst. 6. Quo pacto natura differat ab arte? Et quomodo ars se habeat ad naturam? pagin. 433.

Disp. 2. De causis per se in communi. pag. 438.

Quæst. 1. Ad quam scientiam per se spectet agere de causis? pagin. 439.

Quæst. 2. Qualiter definienda veniat causa in communi? pag. 441.

Quæst. 3. Quid sit causalitas in causa? & vtrum existentia ad causandum requiratur? pagin. 448.

Quæst. 4. Quotuplex sit causa per se? pag. 456.

Disp. 3. De causa materiali, & formali. pag. 463.

Quæst. 1. Quid sint causa materialis, & formalis? pag. 463.

Quæst. 2. Qui sint effectus causæ materialis, & formalis? pag. 466.

Quæst. 3. Quæ sint causalitates materiæ, & formæ? pag. 470.

Disp. 4. De causa efficiente. p. 477.

Quæst. 1. An sit causa efficiens? pag. 477.

Quæst. 2. Quid sit causa efficiens? pag. 482.

Quæst. 3. Quotuplex sit causa efficiens? pag. 484.

Quæst. 4. Qui sint effectus causæ efficientis? pag. 489.

Quæst. 5. Quid sit causalitas cau-

sæ efficientis? pag. 492.

Quæst. 6. Vtrum substantia sit per se, & immediatè effectiua? pag. 494.

Quæst. 7. Vtrum accidentia attingant effectiue productionem substantiæ? pag. 512.

Quæst. 8. De concursu Dei cum causis secundis. pag. 525.

Sect. 1. Explicatur, an Deus concurrat simul cum creaturis ad earum effectus? pag. 525.

Sect. 2. Explicatur, quid sit hic concursus Dei, & quomodo ad concursum creaturarum comparetur? pag. 529.

Sect. 3. Explicatur, an præter influxum Dei in effectus creaturarum, qui dicitur concursus, necessariò præexigatur alius influxus Dei in creaturas, ipsas physicè prædeterminando ad agendum? p. 539.

Disp. 5. De causa finali. pag. 548.

Quæst. 1. Quid, & quotuplex sit finis? pag. 549.

Quæst. 2. Induat ne finis veram, & propriam rationem causæ? pag. 551.

Quæst. 3. Qui sint effectus causæ finalis? pag. 554.

Quæst. 4. In quo causalitas causæ finalis consistat? pag. 558.

Quæst. 5. Vtrum finis moueat voluntatem secundum esse reale? An secundum esse apprehensum? pag. 568.

Quæst. 6. Vtrum agentia naturalia operentur propter finem? pag. 574.

Disp. 6. De casu, & fortuna. pag. 579.

Quæst. 1. Quid sint Fortuna, & Casus? & an sint in rerum natura? pag. 579.

Quæst. 2. Quid sit Fatum? & an sit in rerum natura? pagina 583.

Disp. 7. De comparatione causarum tam inter se, quam ad suos effectus. pag. 585.

Quæst. 1. Quomodo se habeant causæ inter se? pag. 586.

Quæst. 2. Quomodo se habeant

causæ ad suos effectus? pag. 600.

Quæst. 3. Vtrum idem numero effectus productus ab vna causa potuerit prodire ab alia distincta numero eiusdem tamen rationis? pag. 606.

Quæst. 4. Vtrum idem numero effectus possit simul produci à pluribus causis totalibus, & adæquatis eiusdem ordinis? pag. 612.

COMMENTARIUM IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS DE physico auditu, seu auscultatione iuxta Doctoris subtilis Ioannis Duns Scoti mentem, vna cum disputationibus, & quæstionibus, hac tempestate agitari solitis.

DISPUTATIO VNICA PROÆMIALIS totius Philosophiæ naturalis.



VM libri de physico auditu, seu auscultatione inter naturales Philosophiæ partes sedem habeant, non erit absre de naturali Philosophia in communi aliqua præmittere cum ferè omnibus interpretibus, qui in primo huius operis limine disputant de nomine, acceptionibus, & diuisionibus Philosophiæ in communi; de quidditate eius; de eius qualitate; & demum de eius vilitate Aristotelem imitantes, qui (vt in proœmio Logici vidimus) quatuor docet, de qualibet re fore inuestiganda, videlicet, An sit? Quid sit? Qualis sit? Et propter quid sit?

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine, acceptionibus, & diuisionibus Philosophiæ.

COM-

Nomen Philosophiæ (si etymologiam spectes) amorè, seu studium sapientiæ significat. Tamen propter Pythagoram, qui interrogatus a Leontio Phliasorū Rege, qua potissimam in re *sophus*, id est, sapiens esset? Respondisse fertur (vt aliquorū, qui tumidè se

sophos prædicabant, contunderet arrogantiam, & ostēderet, arduam esse adeptionem, possessionemque sapientiæ) se non esse *sophum*, id est, sapientem, sed *Philosophum*, id est, sapientiæ studiosum, & amatorem; translatum est nomen *Philosophus* ad significandum ipsam sapientiā, & nomen *Philosophus* ad significandum ipsos sapientes.

2. Vnde sicut in moralibus nomen *iustitia* dupliciter usurpari solet, scilicet, generaliter (qua ratione aggregatione plurimum virtutum dicit) & specialiter, pro virtute particulari, quæ tribuit vniciq; quod suū est; ita & in intellectualibus Philosophia sumi solet generaliter pro aggregatione (inquam) aliquarum scientiarū, & specialiter, pro aliqua particulari scientia.

3. Generaliter sumpta Philosophia, non eodē pacto usurpatur à Platoniceis, & Stoicis, ac usurpata fuit à Peripateticis: nam Platonici, & Stoici nomine Philosophiæ generaliter sumptæ tres scientias comprehendebant, scilicet, naturalem, moralem, & logicalem, quas sic vnā Philosophiam cōstruere dicebant, sicut anima, carnes, & ossa construunt, seu cōponunt vnū animal: scientiam enim naturalē cōparabāt animæ; moralē carnibus; & logicalem ossibus. Ita referunt Cicero 1. Academicarū quæstionū, Plutarcus lib. 1. de placitis Philosophorū, Aug. lib. 8. de Ciuitate Dei, c. 4. Eusebius de Præparatione Euangelica lib. 11. c. 1. vbi citat in huius acceptionis Philosophiæ cōmendationē pulcherrimū Arist. locū ex libr. 7. Philosophiæ (quod opus nunc non extat) & capite sequenti affirmat, huiusmodi acceptionem Philosophiæ ex Hæbreis in Platoniceis, & Stoicos dimanasse.

4. Apud Peripateticos verò duobus modis usurpata fuit Philosophia generaliter sumpta. Primò nomine Philosophiæ generaliter sumptæ comprehendebāt duas sciētias, actiuā, scilicet, & cōtēplatiuā. Ita colligitur ex Arist. qui 6. Metaph. cap. 1. diuisit Philosophiā istā in actricē, & cōtēplatricē: cū enim scientiā latē sumptā diuisisset Arist. tam ibi, quā 2. Metaph. in practicā, & speculatiuā; & rursus practicā subdiuiserit in actricē (qualis est, quæ versatur circa operationes immanentes voluntatis, & diuiditur ab eodē Arist. in Ethicā, Economicā, & Politicam) & in factiuā; qualis est, quæ versatur circa operationes transcentes in externā materiā; quæ verè nō est scientia, sed ars mechanica, seu seruilis cōtinens sub se septem illas artes mechanicas, seu seruales, quæ vulgari illo carmine cōprehēduntur, *Lana, nēmus, miles, nauigatio, rus, medicina*: idē Peripatetici, vt excluderēt artes mechanicas, seu seruales à Philosophia, illā solū in actiuā, & cōtēplatiuā diuiserūt: nā sub scientiā factiua solū artes mechanicæ, seu seruales, quæ verè ad scientiā Philosophicā non spectāt, continētur.

5. Secundò nomine Philosophiæ generaliter sumptæ comprehendebāt tres scientias reales, speculatiuas, scilicet, physicā, Mathematicā, & Metaphysicā. Ita colligitur ex Arist. qui

2. Metaph. tex. 3. diuisit Philosophiā generaliter sumptam in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam: quæ Metaphysica propter excellentiam, quā habet ad alias sciētias reales speculatiuas, prima Philosophia ab eodē Arist. nuncupata est. Cuius diuisionis sufficiētia cōmuniter explicari solet ex diuersa abstractione obiecti speculabilis à materia: nā, si abstrahat solū à materia indiuidua, nō verò à materia sensibili, & intelligibili, sciētia speculatiua ipsū respiciens dicitur physica. Si verò abstrahat, nō solū à materia indiuidua, sed etiā à materia sensibili, non verò ab intelligibili, sciētia speculatiua ipsū respiciens dicitur Mathematica. Si demū abstrahat, nō solū à materia indiuidua, sed etiā à materia sensibili, & intelligibili, sciētia speculatiua ipsū respiciens dicitur Metaphysica. Quē modū explicandi vnitatē, & diuisionē sciētiarū nō posse esse à priori, sed solū à posteriori, ex professo demōstrauimus in Logica disp. vnica proœm. q. 5. sect. 2. n. 7 1 6. Sumpta verò Philosophia specialiter accipitur ab omnibus pro illa sciētia, quæ solū disputat de substantia corporea naturali, & eius affectionibus; quæ propterea à Philosophia naturalis, seu physica (a nomine *Physis*; quod Græcè naturā significat) appellata est: quæ, vt tradita est ab Arist. octo cōtinet

tractatus (teste Doctore subtili q. 1. Physicali.) Primus cōplectitur libros de Physico auditu, seu auscultatione; in quibus disputat Arist. de substantia corporea naturali in cōmuni, id est, prout cōtinet principia, causas, & proprietates rerū naturalium. Secundus cōplectitur libros de celo, & mūdo: in quibus disputat Arist. de substantia corporea naturali, vt cōtinet in se principium motus localis. Tertius cōplectitur libros de Ortu, & Interitu; in quibus disputat de substantia corporea naturali, vt cōtinet in se principium motus ad formā in generali. Quartus cōplectitur libros Meteororū; in quibus disputat de substantia corporea naturali, vt continet in se principium motus ad formā misti imperfecti. Quintus libros de Mineralibus; in quibus agit de substantia corporea naturali, vt cōtinet in se principium motus ad formā misti perfecti in animati. Sextus cōplectitur libros de Anima; in quibus duobus prioribus disputat Arist. de substantia corporea naturali, vt cōtinet in se principium motus ad formam misti perfecti animati in generali; & in tertio in speciali de substantia corporea animata anima intellectiua. Septimus cōplectitur libros de Vegetalibus, & Plātis; in quibus disputat de substantia corporea naturali, vt cōtinet in se principium motus ad formā misti perfecti animati anima vegetatiua. Octauus cō-

plectitur libros de *Animalibus*, in quibus agit de substantia corporea, vt cōtinet in se principium motus ad formā nulli perfecti animati anima sensitua. Vnde parui libri naturales, quos etiā cōposuit Arist. nō cōtinet specialē considerationē substantiæ corporeæ naturalis, sed additi sunt ab ipso in supplementum aliorum librorum naturalium.

7 In præsentī ergo solum acturi sumus de Philosophia specialiter sumpta, quæ dicitur *Physica*, seu *Philosophia naturalis*. Imò non intendimus explicare omnes illius tractatus, sed solum primū de *physico Auditu*, seu *Auscultatione*, sic dictū, quia, cum cōtineat exquisitam, atq; suboscūrā docendi methodū, auscultatione, & attentione indigēt auditores. Quem tractatū in octo libros, subdivisit Philosophus; in quorū primo agit de tribus principijs rerum naturalium, scilicet, de *materia formæ*, & *privatione*. In secundo de *natura*, & *causis rerum naturalium*. In tertio de *motu*, & *infinito*. In quarto de *loco*, *vacuo*, & *tempore*. In quinto de *unitate*, *contrarietate*, & *speciebus motus*. In sexto de *diuisione motus in partes*, & *principia*, ex quibus componitur. In septimo, & octauo de *primo motore*, eiusque *attributis*, seu *proprietatibus*.

(?)

QVÆSTIO II.

De quidditate Philosophiæ naturalis.

1 **D**uo prædicatorum genera ad quidditatem cuiuslibet cognitionis spectantium diximus in *Logica* q. 3. proœmiali nos posse considerare: alterum communium, scilicet esse, vel non esse scientiā; alterum specialium, scilicet, esse talem, vel talem scientiam; quod vltimum diximus inuestigandum fore ex obiecto, seu subiecto illius formali, primario, & adæquato, vt potē mensura extrinseca, per quam prædicata quidditatiua specialia, cuiuscumque scientiæ nobis manifestantur. Vnde ad cognoscendum quidditatem Philosophiæ naturalis duo à nobis discutienda sunt. Primum, *An sit scientia?* secundum, *Quodnam sit illius formale, & adæquatum subiectum?*

SECTIO I.

Explicatur, an Philosophia naturalis sit scientia?

2 **P**rima sententia est negativa. Hanc attribuunt Academicis *D. Damascenus* in sua *Dialectica* cap. 3. *D. Augustinus* 19. de *Ciuitate Dei*, c. 18. & lib. 3. aduersus Academicos, & noster subtilis Doctor in 1. d. 3. q. 4. Et fuisse Heracliti, & Cratyli testantur *Plato* in *Theæteto*, & *Arist.* 4. *Met.* c. 4. Imò

Imò *Arist.* docet, ab *Heraclito*, & *Cratylo* illam desumpsisse *Socratem*, & *Platonem*.

3. Præcipuum fundamentum Academicorum erat, quia omnis nostra cognitio initium accipit à sensibus; sed sensus naturalium rerum speciebus delusi frequenter aberrant (vt docet experientia) ergo nulla certa cognitio rerum naturalium, & cōsequenter, neque scientifica ad intellectum peruenire poterit.

4. Confirmatur: primo ratione, qua in fauorem huius sententiæ vsus est *Scotus* q. 10. libri primi *Posteriorum*. Philosophia naturalis agit de corruptibilibus, vt corruptibilia sunt, & demobilibus, vt mobilia sunt: sed de his non est scientia (quia scientia est de incorruptibilibus, & perpetuis ex *Arist.* 1. *Poster.* cap. 2.) ergo Philosophia naturalis non poterit esse scientia. Maior patet; nam in libris de *Ortu*, & *Interitu* agit de corruptibilibus, vt corruptibilia sunt, & in his libris de *Physico auditu* agit de corporibus mobilibus, vt mobilia sunt.

5. Confirmatur secundò. Philosophia naturalis versatur circa ens concretum in materia sensibili (vt docuit *Aristot.* 2. de *Generatione* cap. 1. & 3. *Physicorum* cap. 4.) sed ens concretum in materia sensibili est ens per accidens: (Est enim substantia, vt subest accidentibus sensibilibus) ergo Philosophia naturalis versatur

circa ens per accidens, & cōsequenter non poterit esse vera scientia; nam vera scientia, solum versatur circa ens per se.

6. Confirmatur tertio, quia in Philosophia naturali, quam tradidit *Aristoteles*, aliqua sunt conclusiones topicæ, & solum deductæ ex principijs probabilibus; imò aliqua sunt conclusiones falsæ, & erroneæ; vt quod mundus fuerit ab æterno, quod *Deus* operetur ad extra ex necessitate naturæ, & non liberè, &c. ergo saltem quoad istas partes non poterit Philosophia naturalis esse scientia, sed vel opinio, vel error.

7. Sed oppositam sententiam (scilicet, Philosophiam naturalem esse verè, & propriè scientiam) docuit expressè *Aristoteles* 2. *Metaph.* cap. 3. & 4. *Metaph.* cap. 5. & 6. *Metaph.* cap. 1. & 3. *Physicorum* cap. 4. & 10. de partibus animalium, cap. 1. quem omnes *Peripatetici* vnanimiter sequuntur. Et ratio efficax est, quia vera, & propria scientia (ex *Aristotele* 1. *Posteriorum* cap. 2.) est certa, & euidens cognitio rei per causam. Sed in Philosophia naturali sunt plures cognitiones certæ, & euidentes substantiæ corporeæ naturalis (quæ est eius obiectum formale) per suas causas; vt quod sit mobilis, quia constat natura; quæ est principium motus;

quòd sit corruptibilis, quia componitur ex cōtrarijs; quòd sit diuisibilis, quia composita ex partibus, &c. ergo Philosophia naturalis est verè, & propriè scientia.

8. Ad fundamentum Academicorum (quod, si quid probaret, probaret, non solum Philosophiam naturalem, non esse scientiam; sed neque vllam posse esse in nobis scientiam acquisitam) respondeatur, non semper sensus speciebus rerum naturalium delusos aberrare; sed potius pluries rectè se gerere in perceptione sui obiecti, videlicet quoties versatur circa propria sensibilia debitè approximata; vt experientia ostendit, & docuit Aristoteles 2. de Anima capite 6. Quòd si aliquando sensus speciebus rerum naturalium delusi aberrant (vt apparet in baculo, cuius medietas est in aqua, & altera in aère, qui visui apparet fractus) optimè docuit Scotus in 1. dist. 3. quæst. 4. §. De tertijs in huiusmodi sensationibus sensus corrigi posse ab intellectu, non per cognitionem habitam, ex sensationibus istis erroneis, sed per alteram habitam ex aliqua sensatione recta eiusdem, vel alterius sensus; & sic etiam si sensus fallantur, non inde infertur, etiam falli intellectum.

9. Ad primam confirmationem (quæ erat Scoti), opti-

mè respondet ipsemet Scotus, quòd etsi Philosophia naturalis agat de corruptibilibus, vt corruptibilia sunt, & de mobilibus, vt mobilia sunt, nihilominus Philosophiam naturalem esse verè, & propriè scientiam; quia de rebus, quæ in se corruptibiles, & mobiles sunt, ostendit passiones, respectu quarum res aliæ corruptibiles, & mobiles, incorruptibiles, & mobiles sunt; ita enim incorruptibilis, & immobilis est hæc veritas, ens naturale est mobile; mista sunt corruptibilia; ac ista, Angelus est incorruptibilis; Deus est immobilis. Neque vlla implicatio est in hoc, quòd res, quæ in se corruptibilis, & mobilis est, respectu suæ propriæ passionis sit incorruptibilis, & immobilis.

10. Ad secundam confirmationem dicimus, Philosophiam naturalem dici ab Aristot. versari circa ens concretum in materia sensibili; non quia eius obiectum, seu subiectum formale sit aliquod ens per accidens, seu aggregatum ex substantia, & accidentibus sensibilibus; nam (vt argumentum obijcit) de entibus per accidens, seu de aggregatis ex rebus diuersorum prædicamentorum, sicuti neque potest assignari vnica definitio, ita neque dari poterit vnica scientia; sed quia proprietates, seu affectiones, quas de

suo

suo obiecto, seu subiecto demonstrat Philosophia naturalis, sunt quid perceptibile à nostri sensibus, vt esse mobile; esse in loco, &c.

11. Ad tertiam confirmationem respondeatur, ex eo quòd in Philosophia Arist. sint aliqua cōclusiones topicæ, & aliqua falsæ, & erroneæ, nō bene inferri, Philosophiam Arist. absolute, non esse appellandam scientiam; aliàs nulla daretur facultas in rerum natura, quæ absolute posset scientia appellari; nā nulla est facultas in rerum natura, in qua ex defectu tradentis illam, non sint aliqua cōclusiones falsæ, vel saltem topicæ, & solum probabiles. Sed quòd infertur tantum est, Philosophiam naturalem Arist. secundum quid, & quoad aliquas cōclusiones, non esse scientiam, sed vel opinionem, vel errorem.

SECTIO II.

Explicatur quid sit obiectum, seu subiectum formale Philosophiæ naturalis?

12. **N**omine obiecti, seu subiecti formalis, & adæquati Philosophiæ naturalis, non intelligatur totum id, quòd per se obijcitur cognoscendū à Philosophia naturali, vt videtur intellexisse Caberus in præludio Philosophiæ; & sic deceptus assignat pro obiecto formali, & adæquato Philosophiæ naturalis ens mobile, vt comprehendit, tam substantias corpo-

reas, quàm accidentia physica, & corporea, quæ mobilia sūt, saltem terminatiuè; imò generationem, alterationem, & his similes motus. Sed intelligite id, quòd Scotus, D. Th. & omnes Peripatetici intelligunt, scilicet, subiectū illud, de quo in Philosophia passiones, & affectiones demonstrantur. Imò neque quodcumque subiectum, sed illud, quòd ita per se primario respicitur à Philosophia, vt omnia, quæ in illa disputantur, illius gratia discutiātur. Er ideo (vt annotauimus in proœmio Logicæ, q. 4. nu. 4.) ab Scoto subiectum *primum*, seu *primarium* appellatur; à Bonauëtura *subiectum radicale*; à Gabrieli *subiectum primitiuæ attributionis*; à nostro Ochamo *primitiuæ perfectio nis*; ab Alberto *principaliter intentum*; & demum à Martinio *obiectū remotū, seu finis, & scopus scientiæ*

13. Scotus noster 6. metaph. q. 1. sustinet, obiectū formale, & adæquatum Philosophiæ naturalis traditæ ab Arist. esse substantiam corpoream, seu (quòd id est) corpus, quòd ponitur in prædicamento substantiæ, non vt cumque, sed vt quid naturale, seu habens in se principiū motus, & quietis consideratur. Itaque ex duobus, quæ auctores cōmuniter distinguunt in obiecto, sed subiecto formali, & adæquato cuiuscumque scientiæ, scilicet, & rem illā, quæ per se primò respicitur à scientia (& dicitur ratio, quæ, seu obiectum

formale quod) & rationem sub qua respicitur à scientia (& dicitur ratio *sub qua*, seu obiectū formale quo) primum ex histenet Scotus esse inscientia Philosophica substantiā corporeā, seu corpus, quod ponitur in prædicamento substantiæ. Secundum verò esse naturalitē, seu rationem principij motus, & quietis. Scotum secuntur, ex discipulis Antonius Trombeta

6. Metaph. q. 2. Aretin. in annotationibus ad primā quæstionē Philosophicā Scoti, Philippus Faber Theoremate 20. & ex alijs Sotus super 1. Physic. q. 1. Toletus in calce quæstionis de subiecto Physicæ, Hurtado in proœm. Physicæ; & plures alij.

14. Hæc Scoti sententia, meo videri à nullo inficiari potest; cum sit expressa Arist. nā 6. Metaph. cap. 1. ponit hæc verba: *Cum autē Physica etiam circa, quoddammodi genus scientia sit (etenim circa talem substantiam est, in qua principium est motus, & status, qui in ea est) patet, quod neque est actiua, &c.* Et idē repetit 1. Metaph. c. 1. Et in super efficaciter demonstratur applicando substantiæ corporeæ naturali tres conditiones ad rationem obiecti formalis, & adæquati requisiti, quarū mentionem fecimus in proœm. Logicæ q. 4. n. 12.

15. Prima cōditio est, quòd de ipso obiecto, non solū debet in ipsa scientia præsupponi, quòd sit, sed etiā præcognosci, quid sit. Hæc enim cōditio cōpetit

16. Secunda cōditio est, quòd habeat passiones, & principia cognoscendi, per quæ principia prædictæ passiones in scientia de ipso subiecto demonstratur. Hæc etiā cōditio cōpetit substantiæ corporeæ naturali respectu Philosophiæ; siquidē Arist. per definitionē substantiæ corporeæ naturalis, tanquā per principium cognoscēdi, immediatē, vel mediatē multas passiones demonstrat in Philosophia de substantia corporeæ naturali; vt quòd sit mobilis; quòd sit in loco, quòd sit in tēpore; quòd sit finita, &c.

17. Tertia cōditio est, quòd obiectū, & scientia, cuius est obiectū formale, & adæquatum, adæquentur ita, vt nihil sit in obiecto, quod nō cōsideretur à scientia, & nihil consideretur à scientia, quod nō sit, vel principio, vel passiones, vel species obiecti, aut aliquid aliud cōducens ad cognitionē ipsius. Quæ cōditio etiā cōpetit substantiæ corporeæ naturali respectu Philosophiæ: siquidē Philosophia naturalis agit de materia,

&

& forma, quæ sunt principia, ex quibus cōstat substantia corporea naturalis: agit de motu; loco, & tēpore, quæ sunt passiones, & affectiones illius; agit de cælo, elementis, mistis inanimatis, & animatis, quæ sunt illius species. Neque aliquid est in substantia corporea naturali, quod, vt sic, à Philosophia nō cōsideretur; neque aliquid cōsideratur à Philosophia, quod ad substantiā corporeæ, in quantum naturalis est, intelligentiam non spectet.

18. Dicens: Physicus agit de intelligentijs (vt videri est in 8. lib. Physic.) quæ nō sunt species substantiæ corporeæ naturalis. Itē agit de casu, & fortuna, de vacuo, & infinito; quæ nō solum, non sunt substantiæ corporeæ, principia, aut affectiones eius, sed potius illi repugnant: ergo falso asserimus, substantiā corporeā naturalē, & Philosophiā naturalē adæquari; quòd erat tertia cōditio ad rationem obiecti formalis, & adæquati requisita.

19. Respōdetur Phyl. 8. Physic. agere de intelligentijs nō secundum se, sed vt mouēt physicē orbis cælestes; qui sunt substantiæ corporeæ naturales; & vt sic earū cōsiderationē ad perfectā intelligentiā substantiæ corporeæ naturalis spectare. Itē, et si casus, fortuna, vacuū, &c. nō sunt substantiæ corporeæ naturales, neq; earū principia, passiones, seu affectiones, sed po-

tius, quid ipsis repugnās, nihilo minus per accidens spectare ad substantiā corporeā naturalē, vt delictet; in quantum aliqui Philosophi voluerūt ea alicui entī naturali attribuere. Et sic Philosophia, vt adæquaret perfectē cognitionē substantiæ corporeæ naturalis, debuit etiā de illis per accidens disputare, scilicet, refutando illas; & demonstrando nulli substantiæ corporeæ naturali competere.

20. Præter hæc Scoti sententiā, quā sequimur, sunt alie quinquē circa obiectū formale, & adæquatum Philosophiæ, quæ vel falsæ sunt, vel coincidunt cū sententiā Scoti; quas necessariū erit expendere, quia ex earū refutationē, vel declaratione, maxime Scotica sententia roborabitur.

21. Prima est Ioannis Canonici discipuli Scoti, qui q. 1. super 1. lib. Physic. affirmat, Arist. vt ethnicū minus rectē sensisse, dū 12. Metaph. asseruit, substantias separatas (intelligentias, scilicet, seu Angelos) esse immobiles; & similiter dū 6. Physicorū, docuit, solum corpora naturalia esse per se mobilia; nam fides catholica credendū proponit, Angelos moueri à loco in locū; & cōsequenter ens mobile ad plura se extendere, quā ad corpora naturalia. Et ex hoc errore Aristotelico (ait hic auctor) prouenit, quòd assignādo pro obiecto formali, & adæquato Philosophiæ naturalis corpus

na;

naturale (sumptō naturali pro eo, quod habet in se principiū motus, & quietis) Arist. dimi-
nutē, & defectuosē processerit; nam stando in principijs Fi-
dei, quæ docet, Angelos, seu in-
telligentias esse entia per se
mobilia, potius constituendū
erat pro obiecto formali, &
adæquato Philosophiæ natu-
ralis aliquid superius, & com-
mune, tam corporibus natu-
ralibus, quam Angelis, seu intel-
ligentijs: siquidem mobilitas,
quæ est præcipua passio, quam
de suo obiecto demonstrat Phi-
losophia naturalis, non solum
corporibus naturalibus, sed
etiam Angelis, seu intelligen-
tijs competit. Vnde responde-
do in forma ad propositam
quæstionem docet, Philosophiam
naturalem dupliciter
considerari posse. Primò, vt
tradita est ab Arist. innitendo in
suo principio erroneo de im-
mobilitate Angelorum, seu in-
telligentiarum; & vt sic, obiectum
eius formale, & adæquatū
esse, quod assignauit Scotus,
scilicet, substantiam corpo-
ream naturalem. Secundo, vt
in se, & absolute, & iuxta suam
naturā, & totam latitudinem;
& vt sic, docet, obiectum eius
formale, & adæquatū esse
substantiam finitam in commu-
ni; & prout sub se comprehendit
tam corpora naturalia, quā
Angelos sub ratione naturalita-
tis.

22 Sed bona venia discipu-

lus iste Scoti iniurius est magi-
stro suo; siquidem ex sententia
eius infertur, aut Scotum in er-
rorem de immobilitate Ange-
lorum (quem auctor hic tri-
buit Aristoteli) lapsū fuisse:
aut, si non fuit lapsus in hunc
errorem, sed potius fuit certus,
quod mobilitas (quæ est præ-
cipua passio, quam Philoso-
phia demonstrat de suo obiecto)
compereret etiam Ange-
lis, perperam, & contra regu-
las obiecti formalis, & adæqua-
ti ab ipso traditas obiectum for-
male, & adæquatū Philoso-
phiæ naturalis ad substantiam
corpoream restrinxisse.

23 Dicendum ergo nobis est
in defensione sententiæ Scoti,
Arist. circa mobilitatem sub-
stantiarum separatarum, vt sunt
Angeli, seu intelligentiæ, non
errasse: nam quando 12. Meta-
ph. affirmat, substantias separa-
tas esse immobiles, non loquitur
de immobilitate, quæ op-
ponitur motui Metaphysico
(qualis est motus, quem fides
tribuit Angelis) hic enim, cum
nec sit quantus quantitate mo-
lis, nec affectus accidentibus
sensibilibus, abstrahet à mate-
ria, tam intelligibili, quam sen-
sibili; & consequenter eius cō-
sideratio solum ad metaphysi-
cum, qui agit de obiectis, sic
abstractis, spectabit. Sed loqui-
tur de immobilitate, quæ op-
ponitur motui physico. (qua-
lis est per se sensibilis à nostris
sensibus) Et de hac etiam lo-
qui-

quitur in Physica, cum solum
corporibus naturalibus tribuit
esse per se mobilia. Quæ do-
ctrina non solum, non est con-
tra fidem; sed ita est certa, vt à
nullo Philosopho possit infir-
ciari. Quem sensum Arist. op-
timè callens Scotus acutè re-
strinxit obiectum formale, &
adæquatū Philosophiæ ad sub-
stantiam corporeā, seu ad cor-
pus de prædicamento substan-
tiæ, eò quod mobilitas per mo-
tum quantum, & sensibilem
(quæ sola est passio, quam de
suo obiecto demonstrat Philo-
sophia naturalis) solum de cor-
pore de prædicamento substan-
tiæ potest verificari.

24 Secunda sententia est, quā
noster Philippus Faber, Pere-
rius, & Hurtado attribuunt qui-
busdam recentioribus, scilicet
obiectum, seu subiectum for-
male, & adæquatū Philoso-
phiæ naturalis esse corpus ge-
nerabile, & corruptibile. Et
probant. Primò, quia illuc est
obiectum formale, & adæqua-
tum Philosophiæ naturalis, cu-
ius principia considerauit Phi-
losophus 1. libro Physicorum.
Sed 1. libro Physicorum con-
siderauit Philosophus mate-
riam, formam, & priuationem,
quæ solum sunt principia cor-
poris generabilis, & corrupti-
bilis: ergo solum corpus gene-
rabile, & corruptibile erit ob-
iectum, seu subiectum forma-
le, & adæquatū Philoso-
phiæ.

25 Secundo probant: quia to-
ta Philosophia naturalis occu-
patur, & cōsumitur in explicā-
dis corporibus generabilibus,
& corruptibilibus, ex ceptis li-
bris de Cælo, in quibus non
agitur de Cælo (inquiunt isti)
per se, neque vt est species ob-
iecti, seu subiecti Physici, sed
quatenus est principium mo-
uens, & efficiēs corporum ge-
nerabilium, & corruptibilium:
ergo solum corpus generabi-
le, & corruptibile erit totius
Philosophiæ formale, & adæ-
quatū obiectum. Antecedēs
quoad posteriorem partē pro-
bant; quia (vt docet Aristot. 2.
Physicorum à text. 21. vsque
ad 26.) eiusdem est tractare de
forma, atque de materia alicuius
rei: ergo si Physicus ageret
per se de materia Cæli, ageret
etiam per se de illius forma,
quæ est intelligentia; quod pat-
etiam est, & ab Aristot. doctrina,
& a veritate alienum.

26 Tamen hæc sententia me-
rito, vt falsa, reijcitur ab his au-
ctoribus; est enim expressè cō-
tra Arist. nam 3. de Cælo text.
1. & 8. Metaph. text. 12. & 12.
Metaph. textu. 5. & de partibus
animalium cap. 5. Cælū enu-
merat inter substantias natu-
rales, & vult, considerationē eius
ad Physicum spectare; & ta-
men in omnium sententia Cæ-
lum, non continetur sub cor-
pore generabili, & corrupti-
bili; cum potius sit incorrupti-
bile. Itē 2. Physicorū text. 71.
di-

dicit idem Arist. quæcumque mota mouent, siue corruptibilia sint, siue incorruptibilia esse Physicæ; & ad considerationem Physicæ spectare. Et 12. Metaph. text. 5. postquam diuisit substantiam in mobilem, & immobilem, & rursus mobilem in sempiternam, & corruptibilem, subdit, substantiam mobilem, siue fuerit sempiterna, siue corruptibilis, pertinere ad Philosophiam naturalem: ergo expressè contra doctrinam Philosophi restringit obiectum formale, & adæquatum Philosophiæ naturalis ad corpus solum generabile, & corruptibile.

27 Et ratio à priori est, quia omne illud, quod habet in se principium motus physici seu sensibilis, spectat per se ad Philosophiam naturalem: siquidem hæc mobilitas est præcipua passio, quam Philosophia naturalis demonstrat de suo subiecto. Sed aliqua corpora incorruptibilia, ut Cælum, habent in se principium motus Physici, & sensibilis: ergo falsò prædicta corpora ab obiecto, per se Philosophiæ naturalis excluduntur.

28 Confirmatur ratione posteriori; hæc si cognitio Cælorum (qui sunt corpora incorruptibilia habentia in se principium motus physici, seu sensibilis) per se non traditur à Philosopho, à quo igitur petenda erit: Profectò à nullo.

Nam non à Mathematico; siquidem Astronomus, qui vnus de cunctis Mathematicis verba facit de Cælo, non perscrutatur substantiam eius (ut egregiè ostendit simplicius super textum 18. secundi Physicorum.) Neque etiã à Metaphysico; nam præterquam, quod Arist. talem scientiam, non tradidit in sua Metaphysica, manifestum est, Metaphysicum non agere de corporibus, ut in se habent principium motus physici seu sensibilis.

29 Neque ea, quæ in contrarium adducebantur, alicuius sunt ponderis. Ad primum dicimus, quòd, cum corpora incorruptibilia, quæ habent in se principium motus physici, seu sensibilis; ut sunt v.g. Cæli, componantur, tanquam ex principijs, ex materia, & forma, agendo Philosophus 1. Physicorum de materia, & forma, egit absque dubio de eorum principijs: ac per consequens ex hoc capite ineptè ab obiecto per se Philosophiæ huiusmodi corpora excluduntur. Quòd si Philosophus 1. Physicorum, non solum egit de materia, & forma, sed etiam de priuatione, hoc fuit, quia sub obiecto formali, & adæquato Philosophiæ naturalis, non solum continentur corpora naturalia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia, respectu quorum etiam priuatio est principium.

30 Ad secundum dicimus, fal-

falsò assumi ab aduersarijs, in libris de Cælo, quos Aristotel. inter partes Philosophiæ enumerauit, non disputari de Cælo per se, & ut est vna ex speciebus obiecti physici, sed solum per accidens, & in quantum est principium mouens, & efficiens corporum generabilium, & corruptibilium; aliàs enumeraret etiam Arist. inter partes Philosophiæ considerationem de intelligentijs. Siquidem intelligentiæ non minus, ac Cæli, sunt principium mouens, & efficiens corporum generabilium, & corruptibilium. Vnde ad probationem fateamur cum Aristot. eiusdem esse tractare de forma, atque de materia alicuius rei. Sed falsò existimant, dum asserunt, intelligentiam esse veram formam Cæli; cum sit tantum forma (ut aiunt) assistens; non autem dans esse Cælo; quòd latè demonstrarem, nisi hoc alienum videretur instituto nostro: pertinet enim talis disceptatio ad libros de Cælo.

31 Tertia sententia est aliorum recentiorum, quorum nomina reticet Pererius asserentium, obiectum formale, & adæquatum Philosophiæ naturalis esse substantiam sensibilem; qui fortè nixi sunt auctoritate Arist. qui 12. Metaph. c. 2. pro obiecto Philosophiæ naturalis substantias sensibiles assignat.

32 Sed si recentiores isti solum velint, rationem quæ, seu obiectum, quod Philosophiæ esse substantiam sensibilem, concidunt in sententiam Scoti ponentis pro ratione, quæ, seu obiectum formale quod, substantiam corpoream; nam substantia sensibilis, & substantia corporea in re coincidunt, & pro eadem re supponunt. (& hoc tantum est, quòd Aristot. loco citato contendit) At si velint, rationem sub qua, seu obiectum formale quod in Philosophia naturali, non esse naturalitatem (ut ponit Scotus) sed sensibilitatem, facile potest eorum sententia reijci, & impugnari.

33 Primo, quia inde sequeretur, solos libros de Anima totam Philosophiam naturalem continere: quod est absurdum. Sequela patet: nam, si bona est ratiocinatio Aristotel. qua ipse vtitur 1. de partibus animalium capit. 1. ad ostendendum scientiam de Anima intellectiuam, non spectare ad Physicum (quæ sic se habet. Si Physicus ageret de intellectu, similiter etiam deberet agere de omni intelligibili) ergo pari ratione liceret nobis sic argumentari. In libris de Anima agitur de sensu: ergo ibidem debet tractari de omni sensibili, quia sensibile est. Sed esse sensibile

secundùm istos recentiores, est ratio *sub qua*; seu obiectum formale *quo* totius Philosophiæ naturalis: continent ergo libri de Anima vniuersam materiam Philosophiæ naturalis; ac proinde totam scientiam naturalem.

34. Secundò; si esse sensibile est ratio, & causa, cur aliquid subiiciatur scientiæ naturali: ergo cui talis ratio per se competit, id per se, ac simpliciter à Philosophia naturali tractabitur; cui verò solum competit secundùm quid, & per accidens, id quoque solum secundùm quid, & per accidens à Philosophia naturali speculabitur. Sed esse sensibile per se competit accidentibus, per accidens verò, & secundùm quid substantiæ (vt clarum est ex his, quæ traduntur 2. lib. de Anima textu 65.) Philosophia ergo naturalis per se solum aget de accidentibus; per accidens verò, & solum secundùm quid de substantia; quod perspicue falsum est.

35. Quarta sententia est Auicennæ, Alberti Magni, Ægidij, & aliorum plurium, qui docent, obiectum formale, & adæquatum Philosophiæ naturalis esse corpus de prædicamento substantiæ, vt quid mobile est. Itaque ex duobus, quæ distinguunt auctores in obiecto formali, & adæquato, scilicet, rationem *quæ*, seu obiectum, quod, & rationem *sub qua*, seu

obiectum *quo*, dicunt hi auctores, rationem *quæ*, seu obiectum, quod in Philosophia naturali esse corpus de prædicamento substantiæ (& in hoc conueniunt cum Scoto) rationem verò *sub qua*, seu obiectum, *quo* affirmant esse rationem mobilis per motum physicum, & sensibilem (& in hoc videntur recedere à sententia Scoti) Et probant ex Arist. qui 11. Metaph. cap. 3. & 6. sæpe docet, physicam versari circa mobilia motu physico; quæ in sententia Arist. (vt supra dicebamus) solum sunt corpora de prædicamento substantiæ.

36. Tamen hæc sententia, vel falsa est, vel coincidit cū sententia Scoti. Quod sic facile demonstro. Cū hi auctores affirmant, mobilitatem esse obiectum, *quo*, seu rationem sub qua corpus de prædicamento substantiæ respicitur à Philosophia, aut sumant mobilitatem formaliter, qua ratione est quedam passio entis naturalis; aut sumunt mobilitatem radicaliter, scilicet pro ratione principij motus, & quietis, quæ est differentia intrinseca, per quam aliquod constituitur in esse entis naturalis, & à qua, tamquam à radice, pullular passio *mobilitas*? Si sumant mobilitatem hoc vltimo modo verum dicunt (& hoc est, quod probant auctoritates Arist.) sed coincidunt manifestè in sententiam Scoti ponentis obiectum,

ctum *quo*, seu rationem sub qua corpus de prædicamento substantiæ respicitur à Philosophia, esse naturalitatem, seu rationem principij motus, & quietis. Vndè subtilis Doctor, sumpta mobilitate in hoc sensu, non recusaret, corpus mobile subiectum formale, & adæquatum Philosophiæ vocitare; sicut de facto vocitat, tum q. 3. vniuersalium in response ad 3. tum etiam q. 1. Philosophica; nam, vt sic, mobile coincidit cum naturali. Si verò mobilitatem sumant primo modo, sententia ipsorum est falsa, vt efficaciter conuincit ista ratio.

37. Nulla scientia potest probare à priori de suo obiecto formali quod sit, aut quod ratio, sub qua attingitur, obiectum formale quod, in sit ipsi obiecto formali quod. Sed Philosophia demonstrat à priori, quod mobilitas (sumpta formaliter, & vt est passio entis naturalis) sit, & quod in sit corpori de prædicamento substantiæ, quod est obiectum formale quod Philosophiæ: ergo sumpta mobilitas formaliter, & prout est passio entis naturalis nequit esse obiectum formale quod Philosophiæ naturalis. Maior est Arist. 1. Post. textu 2. & ex professo illam probabimus in Logica q. 4. problemati num. 12. & 16. Minorem probat hæc discussus Philosophicus. Illud, quod habet in se naturam, seu

principium motus, est mobile. Sed corpus naturale habet in se naturam, seu principium motus: ergo corpus naturale est mobile, seu habens mobilitatem. 38. Quinta demum sententia est D. Thom. qui in proœmio Philosophiæ expressè affirmat, obiectum formale, & adæquatum Philosophiæ naturalis non esse corpus mobile, sed quid superius, scilicet, ens mobile. Verba Angelici Doctoris sunt. *Cuius* (scilicet Philosophiæ naturalis) *subiectum est ens mobile simpliciter; non dico autem corpus mobile; quia omne mobile esse corpus, probatur in isto libro: nulla autem scientia probat suum subiectum; ideo statim in principio de celo, qui sequitur ad istum, incipit à notificatione corporis.* Hanc sententiam D. Thom. secutus est asclepius, præsertim Caietanus in proprio præfatio de subiecto Philosophiæ, quamuis obscure loquatur. (Vt aduertit noster Faber. theorem. 20.) Ne autem videatur contradictio in D. Thom. qui in proœmio de celo videtur oppositum asserere, (ait enim subiectum Philosophiæ naturalis esse corpus mobile.) Aliqui Thomistæ asserunt duplex esse obiectum; vnum adæquatum; & hoc in Philosophia naturali esse ens mobile: alterum principale; & hoc esse corpus mobile: Diuum verò Thomam de illo loquutum fuisse in Phisicis; de isto autem in libris de celo.

39 Probari autem potest hæc sententia: primò ratione D. Th. quæ sic efformari potest. Nulla scientia demonstrat dari suum subiectum. Sed Aristot. 6. Physicorum demonstrat, dari corpus mobile: (probat enim, omne, quod mouetur, esse corpus.) ergo corpus mobile nõ potest esse subiectum Philosophiæ.

40 Secundò; idem est subiectum scientiæ, & præcipuæ passionis, quæ demonstratur in scientia. Sed præcipua passio, quæ demonstratur in Philosophia naturali, est mobilitas: ergo subiectum mobilitatis erit etiam subiectum Philosophiæ. Modò sic subiectum adæquatam mobilitatis, quam demonstrat Philosophia, nõ est corpus, sed quid superius, scilicet, ens: ergo, & subiectum adæquatam Philosophiæ. Hanc vltimam minore probant. Primò ex definitione motus tradita ab Aristot. 3. Physicorum, *motus est actus entis in potentia prout in potentia*, vbi pro subiecto motus non assignat Aristot. corpus, sed ens. Secundò probant; quia multa sunt mobilia, quæ non continentur sub corpore; nam materia mutatur ad substantiam; quãtitas etiam, & qualitas producuntur per motum: constat autem, hæc omnia non contineri sub corpore: de prædicamento substantiæ.

41 Hæc sententia D. Thom. in duobus differt à sententia Scoti. Primò in assignando obiectum formale quod Philosophiæ;

assignat enim pro obiecto formali *quod*, seu ratione *sub qua* mobilitatem. Et quoad hoc conuenit cum sententia Auicenæ, Alberti, & Ægidij, & sic eodẽ modo erit explicanda, vel reiicienda, ac istorum sententiam explicuimus, vel reieciimus.

42 Secundò differt in assignando rationem, *quæ*, seu obiectum *quod*: affirmat enim, non esse corpus de prædicamento substantiæ; sed quid superius, scilicet, ens. Et quoad hoc etiam differt à sententia Auicenæ, & c. & sic non solum à Scotistis, sed etiam ab his auctoribus debet reiici.

43 Ægidius illam reiicit ex inconuenienti, quod ex ipsa sequeretur, nimirum, quod Philosophia naturalis subalternaretur Metaphysicæ sequelam probat; quia illa est scientia subalternata, quæ considerat idẽ subiectum, quod considerat scientia superior, addita tantum differentia accidentali. At Metaphysica contemplatur ens, vt ens: ergo si Philosophia naturalis contemplatur ens, vt mobile, considerat idẽ subiectum, quod Metaphysica, addita ei tantum differentia accidentali, quæ est mobile, & consequenter erit subalternata Metaphysicæ.

44 Hæc tamen impugnatio Ægidij infirma est ad Diui Th. sententiam reiiciendam. Facile enim possunt Thomistæ negare sequelam; & ad probationem

nem dicere; ad scientiam subalternatam, præter duas conditiones enumeratas ab Ægidio, esse etiam tertiam requisitam, nimirum, quod principia inferioris scientiæ per se demonstrantur à scientia superiori, quia per se sunt ignota, & demonstrabilia: quod non cõpetit Philosophiæ; nã ista principia Philosophica, *natura est principium motus, & quietis; motus est actus entis in potentia, vt in potentia; homo est animal rationale*; & his similia per se immediata sunt, & indemonstrabilia. Nam propositio, in qua definitio prædicatur de suo definito, apud omnes censetur esse prima, immediata, & indemonstrabilis.

45 Ex efficaciori principio illam reiicit Pererius lib. 2. Philosoph. cap. 1. nimirum, quia inter rationem, *quæ*, & rationem *sub qua*, quæ ab auctoribus distinguuntur in obiecto formali, & adæquato cuiuslibet scientiæ, oportet, talem esse proportionem, qualis cernitur in rebus naturalibus inter materiã, & formam, ita vt sicut unicuique formæ respondet propria materia, ita unicuique rationi *sub qua* correspondeat sua propria ratio *quæ*. Sed inter ens, quod ponitur à D. Th. vt ratio *quæ* Philosophiæ, & mobile, quod ponitur ab eodem, vt ratio *sub qua* (& idem est iudicium de naturali, quod ponitur, vt ratio *sub qua* à Scoto) non reperitur talis proportio; nam esse

mobile non competit rebus, quia sunt entia (alias omne ens esset mobile) assignanda ergo est alia ratio, *quæ* in Philosophia naturali, nimirum, illud, cui primò insit mobile, seu naturale, & propter quod etiam competit alijs rebus. Hoc autem nihil aliud esse potest ex his, quæ numerantur in tota serie categoriæ substantiæ, præter corpus: nam non aliquid superius: siquidem non omne ens, aut omnis substantia, quæ sunt superiora ad corpus, sunt mobilia motu physico, & sensibili, vt in substantijs separatis est perspicuum. Neque aliquid inferius; quia quidquid sumas ex prædicatis, quæ ponuntur infra corpus, est angustius, & minus latè patens, quam mobile (de pluribus enim rebus dicitur mobile, quam de quolibet eorum, quæ numerantur sub corpore) ergo corpus de prædicamento substantiæ est solum ratio *quæ*, seu obiectum *quod* in scientia naturali.

46 Ad primum in contrarium, quod erat ratio D. Thom. Respondetur, Aristot. 6. Physicorum non demonstrasse dari corpus; sed mobilitatem solum corporibus cõpetere, (seu (quod idem est) sola corpora esse mobilia. Vnde ex hac doctrina Arist. quod inferri potest, solum est id, quod nos contra quartam sententiam statuimus, nimirum mobilitatem sumptam

formaliter, & prout est quædã passio corporis naturalis, non posse esse rationem *sub qua*, seu obiectum, *quo* Philosophiæ: nõ verò rationem, *quæ*, seu obiectũ *quod* non esse corpus.

47 Ad secundum fatemur subiectum primum mobilitatis, quam demonstrat Philosophia naturalis, esse subiectum formale, & adæquatum ipsius naturalis Philosophiæ; sed negamus, hoc esse ens, aut aliquid superius ad corpus de prædicamento substantiæ.

48 Et ad primam probationem, Respondetur, ens dupliciter sumi posse, vel tanquam nomen quoddam transcendentis, vel tanquam participium verbi substantiui *sum*, qua ratione idem valet, ac id, quod existit: in definitione ergo motus, quam 3. Physicorum tradidit Arist. non sumitur primo modo; vt existimant, qui inde sumunt argumentum ad probandum ens, quod est superius ad corpus, esse obiectum, *quod* Philosophiæ; aliàs definitio esset vitiosa; quia ex Aristot. 2. Post. text. 17. & 6. Topicorum in definitionibus exactis, non debent intrare transcendentia. Sed sumitur ens secundo modo ita, vt sensus definitionis sit; *motus est actus eius; quod existit in potentia, &c.* Quod absque dubio supponit pro solo corpore de prædicamento substantiæ.

49 Quod si obijcias; cur Arist.

in hac definitione motus, non posuit *corporis loco entis*, quandoquidem corpus est propriũ subiectum motus? Respondetur, quia nondum erat notum, omne mobile esse corpus, idque postea demonstraturus erat 6. libro Physicorum.

50 Ad secundam probationem respondetur, etsi materiæ aliquam qualiter possit tribui mutatio, scilicet, in quantum susternitur illi; & similiter. etsi formis, tam substantialibus, quam accidentalibus, aliquam qualiter possit tribui motus, scilicet, tanquam terminis, inter quos, & circa quos fiunt; tamen propriè solum posse composito substantiali ex materia, & forma motum attribui. Si enim quæritur; quid est, quod generatur, & corrumpitur? Quid itẽ est, quod alteratur? Loco mouetur? Augetur? &c. Non bene respondetur, hoc esse materiam, aut aliquam formam substantialem, vel accidentalem, sed hoc esse compositum substantiale; nam verè, & propriè solum compositum substantiale ex materia, & forma est, quod generatur, corrumpitur, alteratur secundum qualitatem, mouetur secundum locum, augetur secundum quantitatem, cæterisque mutationum generibus afficitur. Vnde Arist. 1. Physicorum text. 63. *omne, quod fit (inquit) semper est compositum.*

51 Ex dictis circa quid itatem Philosophiæ natural. fa-

cilè colligi pot. st, qualiter debeat essentialiter, & quidditatiuè definiri. Sic enim definitiõ da est: *Est scientia, quæ in contemplatione substantiæ corporeæ naturalis occupatur.* In qualoco generis ponitur sciẽtia, quæ est prædicatum quidditatiuum commune, in quo Philosophia naturalis conuenit cum alijs sciẽtijs. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ, per quas explicatur tendentia, quam dicit Philosophia naturalis ad suum formale, & adæquatum obiectum; quæ est prædicatum essentialiale speciale, & per quod quælibet scientia discernitur ab alia.

52 Vnde definitio illa Philosophiæ, quæ ex Platone in Phedone, Seneca Epist. 15. Cicero 2. Officiorum, & alijs refertur solet, *Philosophia, est humanarum, diuinarumque rerum cognitio*, non de Philosophia in speciali, & prout idem est, ac physica, seu scientia naturalis, data est; sed de Philosophia generaliter sumpta, & prout sub se etiam Metaphysicam comprehendit. Et idem est iudicium de illa definitione, quam aliqui ex Arist. 10. Metaph. cap. 3. desumpserunt. *Philosophia est cognitio rerum, vt sunt*, id est, per suas causas. Secus est, si definitio hæc, vt ex Damasceno lib. 4. suæ dialecticæ refertur, proponatur, scilicet, *Philosophia est cognitio rerum naturalium, vt sunt.* Sic enim incidit hæc definitio cum de-

finitione à nobis tradita, & consequenter erit quidditatiua, & essentialis Philosophiæ specialiter sumptæ, quam naturalem, seu Physicam appellamus.

53 Omitto definitionem aliã Philosophiæ, quæ adducit solet ex Platone in dialogo de sapientia, *Philosophia est mortis meditatio*; quia solum est quædam descriptio Philosophiæ generaliter sumptæ. Vt enim admonet Socrates, oportet, eum, qui vult, verè philosophari, studiosè mortem quærere. Quod non est intelligendum de morte naturali, quæ in separatione animæ à corpore consistit (vt ineptè intellexit Cleombetus, qui existimans, non posse aliter Philosophus euadere, quin sibi mortem inferret, ex alta turri se præcipitem dedit) sed de morte ciuili, & morali, qua animus noster spretis voluptatibus, & corporis illecebris, se totum ad veritatem contemplandam, atque virtutem colendam transfert.

QVÆSTIO III.

De naturalis Philosophiæ qualitate.

1 Explicata quidditate Philosophiæ naturalis, ordo præscriptus ab Aristot. postulat; vt difficultates attingentes, qualitates, seu proprietates eius proponamus; quæ num-

mero sunt duæ, sicuti & sunt duæ præcipuæ proprietates Philosophiæ? Prima, an Philosophia sit vna? Secunda, an sit practica, vel speculatiua scientia nuncupanda?

2 Circa primum philosophandum est, sicuti philosophari sumus de Logica, q. 5. proœmiali; & consequenter dicendum, quod, etsi Philosophia naturalis in esse rei non sit vna simplex qualitas, sed potius in ea sint tot qualitates, quot sunt diuersæ conclusiones, quæ in ipsa demonstrantur, nihilominus in esse scibilis, seu scientiæ sit tantum vna; vna, inquam, non vnitatem speciei atomæ, sed vnitatem speciei subalternæ, seu genericæ. Quæ assertiones, etsi plures patientur difficultates, tamen omnes illas innixi principijs Scotici loco citato superauimus.

3 Circa secundum dicendum est, absque dubio Philosophiã naturalem esse scientiam speculatiuam appellandam. Imò addo, quod, cum scientiæ speculatiuæ sint in duplici differentia; nam aliæ sunt contemplatiuæ, & Metaphysica, &c. Et aliæ directiuæ (vt probauimus de Logica, q. 6. proœm. sect. 2. à num. 65.) Philosophia naturalis non est inter scientias directiuas, sed inter purè contemplatiuas numeranda. Ita docuit Arist. 6. Metaph. cap. 1. & libro 11. cap. 6. quem omnes Peripatetici sequuntur.

4 E ratio à priori est, quia

in hoc distinguitur scientia directiua à contemplatiua, quod finis directiuæ est opus; finis autem contemplatiuæ est solà speculatio. Sed finis Philosophiæ naturalis non est aliquod opus; sed contemplatio essentia, & proprietatum substantiæ corporeæ naturalis: erit ergo Philosophia naturalis non inter scientias directiuas, sed inter purè contemplatiuas numeranda.

5 Dices: medicina est scientia practica (vt cum Aristot. 6. Metaph. omnes Peripatetici fatentur) sed medicina est vna ex partibus Philosophiæ naturalis; nam agit de quodam corpore naturali, scilicet, de corpore humano, vt est mobile ad sanitatem: ergo Philosophia naturalis, saltem quoad omnes eius partes, non debet inter scientias speculatiuas numerari.

6 Respondent aliqui, duplicem esse medicinam (vt habetur ex Galeno, & Auicena) aliã theoreticam; quæ corporis humani partes, diuersasque illarum affectiones, morborumque essentias meditatatur; & aliã practicã, quæ proximè versatur circa medicamentorum confectionem, & circa causandã sanitatẽ, expellendamq; ægritudinem. Et de priori dicunt esse speculatiuam; neque de ea locutus fuisse Arist. cum medicinã inter scientias practicas enumerauit; & sic de ipsa optimè posse verificari, quod assumit argumentum, scilicet medicinã esse vnã ex partibus Phi-

Phi-

Philosophiæ naturalis. Posteriorem verò affirmant, esse scientiam practicã, & intelligendum Aristot. cum medicinam scientiam practicã appellat. Sed falsum esse, quod assumit argumentum, scilicet, hanc medicinam esse vnã ex Philosophiæ naturalis partibus.

7 Sed hæc solutio aduersatur Scoto, & Diuo Thomæ, quorum primus q. 4. prologi, §. Ad rationes litteris EE. & secundus opusculo 70. §. Ad primum sic proceditur, in solutione ad 3. expressè affirmant, quod etiam si illa pars medicinæ, quæ agit de vniuersalioribus causis, & curis appelletur Theorica, seu speculatiua, facta comparatione ad aliam partem medicinæ, quæ agit de particularibus causis, & propinquis praxi, seu curationi; tamen simpliciter est practica, non secus ac alia, cum vtriusque idem sit finis (scilicet opus) & insuper, quia pars medicinæ, quæ dicitur Theorica virtualiter continet partem, quæ dicitur practica; & implicationem inuoluit, quod scientia practica contineatur virtualiter in scientia speculatiua; nam ex principijs speculatiuis, non potest gigni conclusio practica; sicuti neque è contra ex principijs practicis conclusio speculatiua.

8 Verba Scoti sunt: Ita potest distingui medicina in speculatiuam, quæ scilicet est de vniuersalioribus

causis, & curis, quæ cognitio est remotior à praxi elicienda; & in practicã, quæ est de particularibus, & propinquis praxi, & immediatius conformior praxi. Tamen secundum veritatem illa vniuersalior, quæ in comparatione dicitur speculatiua, est simpliciter practica, quia virtualiter includit illam particularem formaliter conformem praxi. Hæc Scotus.

9 Clariora adhuc sunt verba D. Thom. sic enim fatur: Cum medicina diuiditur in theoreticã, & practicã, non attenditur diuisio secundum finem (sic enim tota medicina sub practica continetur, vt pote ad operandum ordinata) sed attenditur prædicta diuisio secundum quod ea, quæ in medicina tractantur, sunt propinqua, vel remota ab operatione. Illa enim pars medicine dicitur practica, quæ docet modos operationis ad sanationes, sicut quod talibus apostematibus sunt talia remedia adhibenda. Theorica verò dicitur illa pars, quæ docet principia; ex quibus homo dirigitur in operationes, sed non proximè sicut quod virtutes sunt tres, & quod genera febrium sunt tota. Unde non oportet, vt si alicuius actiue scientiæ aliqua pars dicitur Theorica; quod propter hoc illa pars sub speculatiua scientia ponatur. Hæc Angelicus Doctor.

10 Aliter ergo respondendum est ad argumentum propositum, scilicet, negando minorem, videlicet medicinam secundum aliquam ipsius

partem esse vnam ex partibus Philosophiæ. Et ad probationem illius dicimus, quòd, etsi medicina disputet de quodam corpore naturali (scilicet, de corpore humano) vt est mobile ad sanitatem, nihilominus non debet inter partes Philosophiæ naturalis numerari; quia non disputat de illo, vt est mobile ad sanitatem, ab intrinseco, seu à natura; quæ est ratio, sub qua Philosophia agit de corpore naturali, sed vt est mobile ad sanitatem, ab extrinseco, & per artem.

1. Est tamen aduertendum, quòd etiam si medicina non sit pars Philosophiæ naturalis, sed scientia distincta ab illa, est tamen subalterna Philosophiæ naturali; siquidem corpus humanum, quòd ponitur subiectum medicinæ, continetur sub corpore naturali, quòd est subiectum Philosophiæ, & cõtrahitur per differentiam accidentalem; qualis est esse sanabile per artem: & insuper principia vniuersalia medicinæ per se sunt demonstrabilia à Philosophia naturali; quæ sunt tres conditiones ad scientiam subalternatam requisitæ. Propter quam subalternationem dixit Philosophus in principio libri de sensu, & sensibili, quòd, vbi definit Physicus, seu Philosophus naturalis, incipit medicus.

(S.)

QVÆSTIO IV.

De fine, & vtilitate Philosophiæ naturalis.

1. **E**X dictis patet, finem Philosophiæ naturalis esse tradere nobis notitiam totius entis naturalis, & omnium affectionum eius; & consequenter illam esse valde vtilem, & necessariam, non solum extra Ecclesiam (Hæc enim est, quæ antiquos Philosophos ad cultum Deo optimo exhibendum vnicè erudiuit, & à quorum animis, tanquam ab oculis terra errorum exlavit caligo) sed etiam in Ecclesia Dei; quòd solum potuerunt Lutherus, & Vbicleph simili sequente ceterua perfidis latratibus denegare.

2. Hoc autem constat; tum ex scriptura; nam 3. Regum, cap. 4. dicitur, Deum infudisse Salomoni Philosophiam, seu scientiam rerum naturalium, qua disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete; & discernit de iumentis, & volucribus; & reptilibus, & piscibus. Quòd Deus non præstaret, si Philosophia naturalis non esset vtilis in Ecclesia sua. Tum etiam ex communi consensu Doctorum Ecclesiæ, Hieronymi, Gregorij, Augustini, Damasceni, D. Thomæ, Bonauenturæ, & aliorum Sanctissimorum Patrum, qui eam didicerunt, & publicè do-

docuerunt. Tum denique ex auctoritate Ecclesiæ, quæ vniuersitates, atque studia ad Philosophiam naturalem publicè docendam fundauit, & approbavit: quòd non præstitisset, nisi hæc scientia in Republica Christiana esset vtilis, & necessaria.

3. Et ratio à priori est, quia Philosophia naturalis, non solum prodest ad comparandam medicinam, qua vita hominum (quæ bonorum huius vitæ radix, & fundamentum est) conseruatur; sed etiam prodest ad comparandum Theologiã. (quæ vitæ spiritualis est altera medicina) Inter omnes enim scientias, quæ lumine naturali acquiruntur, Philosophia naturalis vna est, quæ vel maxime ancillatur Theologiæ: *Inuisibilia Dei* (inquit Apostolus ad Romanos 1.) à creatura mundi (id est, ab homine) per ea, quæ facta sunt (hoc est, per sensibilia, de quibus disputat Philosophia) intellecta conspiciuntur.

4. Sed obijciunt nobis hæretici, Philosophia multis erroribus esse plenam, multaque passim in catholicam, atque orthodoxam fidem dogmatizare. Vnde Tertul. in libro de hæreticorum præscriptionibus, hæreses à Philosophia subornantur.

Et D. Hieronymus in libro aduersus Pelagianos, omnia hæreticorum venena à Philosophorum fontibus emanarunt.

5. Respondetur facile, errores, quibus Philosophiæ naturalis libri sunt aspersi, non Philosophiæ naturalis, sed Philosophorum Ethnicorum vitio fuisse inuectos. Vnde vera est Philosophia, essentque verissimi Philosophi, nisi cælestis lumine dei destituti veris, ac tutis multa falsa, & quæ non docet vera Philosophia, miscuissent. Et hæc de proœmio totius Philosophiæ.

6. In expositione huius operis sic me geram. In primis summam textus, non vnus cuiusque capituli singillatim, sicut fecimus in Logica (hoc enim etsi vberius, nimis tamen prolixum iudicau) sed totius libri proponam, quem aliquibus annotationibus illustrabo. Deinde circa textum excitabo disputationes, quæ communiter à recentioribus discutiuntur; quas per suas quæstiones, quæstionesque in aliquas sectiones (si necessitas postulet) distribuam, quem eundem ordinem in

Dialecticis commentarijs obseruau.

LIBER PRIMVS

DE PHYSICO AVDITV, SEV
auscultatione.

TEXTVS. *Cum in omnibus doctrinis, quarum sunt principia, aut causa, aut elementa cognitio, & scientia ex horum cognitione oriatur, &c.*

SUMMA TEXTVS HVIVS LIBRI.

IN TENTVM Arist. in toto hoc libro est agere de principijs entis naturalis; diuiditurque in tres partes principales. In prima explicat, qua methodo procedendum sit in Philosophiæ naturalis traditione: Hoc præstat capit. 1. In secunda cum Philosophis antiquis latè differit circa principia entis naturalis. Hoc facit à capite secundo, vsque ad sextum. In tertia in speciali agit de tribus principijs entis naturalis, materia scilicet, forma, & priuatione. Hoc absoluit à capite septimo, vsque ad nonum, & vltimum.

Accedendo ad primam partem; dicit Aristot. quòd, cum in omnibus doctrinis, quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa, cognitio, & scientia ex horum cognitione oriatur (si quidem tunc vnumquodque scire putamus, cum causas primas, primaque principia vsque ad elementa cognoscimus) manifestum est, etiam in scientia naturali incipiendum esse à scientia principiorum.

In cognitione autem principiorum incipiendum est (subdit) ab his, quæ nobis notiora sunt; non verò ab his, quæ simpliciter, & natura sua sunt notiora; & reddit pro ratione, quia nobis à natura insitum est, vt à notioribus nobis ad notiora simpliciter, & natura sua procedamus; non enim nobis, atque simpliciter eadem nota.

Explicans autem, quid sit nobis notius, subdit; quæ autem sunt magis confusa, nobis magis nota sunt, & manifesta. Vnde concludit, incipiendum esse ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia; quia vniuersale totum, & quid confusum est respectu singularium. Probat autem, totum, seu confusum esse nobis magis notum, quàm partes, triplici indicio, seu similitudine. Prima totius sensibilis, quod priùs cadit sub cognitione sensus,

sus, quàm singulæ eius partes. Secunda totius, quòd definitur, quod in definitione priùs à nobis cognoscitur, quàm singulæ eius partes. Tertia ex progressu puerorum, qui in principio viros omnes nuncupant patres, & feminas matres; sed horum vtrâque postea discernunt.

In secunda parte disputat Philosophus de principijs entis naturalis contra antiquos Philosophos, qui in duas præcipuas partes diuisi erant. Quorum quidam, vnicum esse principium entis naturalis, atque illud immobile, affirmabant. Sic Parmenides, & Melissus. Ex quibus Parmenides affirmabat, esse, quid finitum; Melissus verò, esse, quid infinitum. Quos Philosophos appellat Aristot. non naturaliter loquentes, eò, quòd negabant principia, quæ præsupponit Philosophia naturalis, scilicet, ens naturale constare natura, seu principio motus, & quietis. Et sic contra istos affirmat, non esse Philosophia naturali disputandum; quia contra negantes principia propria alicuius scientiæ, non potest scientia illa disputare; cum ad eam non spectet probare propria principia; sed vel ad nullam (si principia sint per se nota) vel ad vniuersaliorem; vt est Metaphysica; si principia sint per se demonstrabilia.

Alij verò principium, vel principia entis naturalis mobilia esse astruebant; quos Arist. naturaliter loquentes appellat; propterea quòd naturam, seu principium motus, & quietis, sicut priores Philosophi, non sustulerint; sed magis ad eam accomodatè loquuti sunt. Qui adhuc in assignando numero principiorum dissidebant, nam quidam ponebant vnum solum principium, quod aliqui dicebant esse aërem; alij aquam; alij ignem; alij quid mixtum ex his. (Terram namque nullus eorum pro primo principio posuit.) Et præter hoc vnum principium ponebant contrarietatem, scilicet, raritatem, & densitatem; & (vt vno verbo complectamur) exuperantiam, & defectiorem (Hisce enim vocabulis omnia contrariorum genera notat Arist.) ratione cuius res ex eo principio generari possent.

Quidam verò permissione, aut coitione in quodam receptaculo, quod appellabant *chaos*, & item secretionem ab illo res fieri opinati sunt. In quibus fuerunt Anaximander, Empedocles, & Anaxagoras. Quorum tamen placitum (vt Aristoteles exponit) consentiens non fuit. Empedocles enim permissionem illam in *chao*, & secretionem perpetuam esse affirmabat. At Anaxagoras semel tantum fieri dicebat. Præterea Anaxagoras in illa congerie infinita similium partium, atque inter se contraria collocabat; Empedocles autem tantum quatuor vulgaria ele-

elementa. Anaximander denique ad mitionem quandam infinitam faciebat; ab eaque res ad aliorum generationes fecerni pronuntiabat. Vnde isti Philosophi, & vnum, & plura posuisse principia dicuntur. Vnum, quia vnum chaos, seu confusionem ponebant; plura verò, quia plures partes in eodem chao in esse, vel ab eo fecerni prædocebant.

Explosis ergo istorum Philosophorum sententijs, atque eorum solutis rationibus propriam sententiam ponit Arist. Et in primis ostendit, non solum auctoritate omnium Philosophorū, sed etiam per rationem, principia rerum naturalium debere esse contraria. Ex quo infert (quod & iam ipse demonstrauerat contra Parmenidem, & Melissum) non posse esse tantum vnum principium rerum naturalium; nam contrarietas ad minus requirit duo extrema. Deinde docet non posse esse infinita. Quod probat, quia, cum infinitum humanæ mentis facultatem exuperet, non possent res naturales in nostram scientiam cadere; siquidem hæc absque principiorum notione obtineri nequit. Nec etiam posse esse tantum duo, sed addendum esse tertium, quod duorum pugnam, & contrarietatem suscipiat. Quod probat, quia vnum contrarium in abstracto non potest aliud contrarium etiam in abstracto simile sibi efficere; neque enim calor frigiditatem ipsam in calorem vertit, aut è contra. Dādum est ergo tertiū quoddam subiectum, à quo cōtraria sese mutuò expellant; & in quòd ignis, v. g. eiecta forma aquæ suam inducat, ignemque generet; quod ipsum alijs duabus rationibus confirmat.

Ex quibus infert, tria tantum, nec plura, nec pauciora, esse principia rerum naturalium, duo contraria, scilicet formam, & eius priuationem, & subiectum vtrique commune, scilicet, materiam primam. Et de materia, & forma id probat, quia res naturales componuntur ex eis. De priuatione verò, quia principium est illud, ex quo aliud fit; sed res naturalis fit ex priuatione; vt homo ex non-homine: ergo priuatio est principium rei naturalis.

In tertia tandem parte disputat Arist. de his tribus principijs in particulari, dicens, materiam esse primum subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit primò, & per se, & non secundum accidēs, appetereque formam, sicut turpe appetit pulchrum, esseque ingenrabilem, & incorruptibilem, & magis substantiam, quàm formam. Formam verò esse essentiam rerum, & quæ dat rebus perfectionem. Et denique priuationem esse carentiam in subiecto apto ad habendam formam, cuius est carētia; esseque idem realiter cum materia, distinguuntamen formaliter ab illa. Et sic tantum esse duo principia entis naturalis secundum rem, & tria se-

cun-

cundum rationes formales. Et hæc Arist. in tota littera huius libri.

ANNOTATIONES CIRCA LITTERAM totius huius libri.

I. **C**IRCA illa verba primi textus: *Cum in omnibus doctrinis, quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa primò annotandum est, per hæc verba Arist. indicare, non omnes scientias demonstrare suas conclusiones per omnia genera causarum. Licet enim Philosophia naturalis per omnia genera causarum demonstrat (vt auctor est Arist. 2. Phisycorum text. 70.) tamen neque Metaphysica, neque Mathematica per quatuor genera causarum demonstrat. Metaphysica enim, cum abstrahat ab omni materia, solum demonstrare poterit per tria genera causarum, scilicet, per efficientem, finalem, & formalem. Mathematica verò, cum ex Aristot. 3. Metaph. text. 3. non considerent causam finalem, neque efficientem, solum demonstrare poterunt per materialem, & formalem. Imò secundum Commentatorem 1. Phisycorum, cap. 1. solum demonstrant per formalem causam. Et secundum Nimphum, & Venetum, cap. 1. præfati, & Buridanum in præoemio Metaphysicæ; per nullū verum causæ genus demonstrant; sed solum vtuntur quibusdam principijs initio scientiæ præsuppositis ad inferendum conclusiones, quæ veris causis assimilantur in hoc, quòd sicut sublati causis, quòd effectus auferatur; necesse est, ita ablati his principijs, necesse est, vt omnes demonstrationes, quæ fiunt in Mathematicis, auferantur. Quæ doctrina videtur Arist. 2. Moralium ad Eudemum cap. 7.*

2. Dices Arist. initio 6. Metaph. docet, in scientia Mathematica esse principia, causas, & elementa: ergo falsò asserimus, Mathematicas non demonstrare per causas. Respondetur (vt modò ex Nimpho, & alijs dicebamus) in quacūque scientia esse quædam propositiones per se notas vt sunt in Mathematicis, *Totum est maius sua parte; si ab equalibus equalia demas, quæ remanēt sunt equalia, &c.* Quæ appellari possunt in scientijs principia, causæ, & elementa, non essendi, sed cognoscendi: principia, in quantum sunt principium demonstrationis; causæ, in quantum influunt in conclusionem; elementa, in quantum ex eis componitur demonstratio. Et de his principijs, causis, & elementis, non essendi, sed cognoscendi locutus est Arist. loco Metaphysicæ citato, dum di-

di-

dicit, in Scientia Mathematica esse principia, causas, & elementa;

3 Tamen totum hoc non est ad rem; nam, cum Aristotel. in textu, quem explicuimus, dicit, *In doctrinis, quarum sunt principia, &c.* non loquitur de principijs cognoscendi, sed essendi. Et hæc sunt, per quæ negamus demonstrare Mathematicas. Quod autem Arist. loquatur de principijs essendi, manifestè cõuincitur; quia loquitur de principijs, de quibus agit scientia; & nulla scientia agit de suis primis principijs cognoscendi, sed potius illa supponit, vt per se nota, vel per aliam scientiam priorem demonstrata; sed solum de principijs essendi, sui obiecti, vt in praxi docuit Arist. in hoc libro agens de materia, forma, & priuatione, quæ sunt principia essendi rerum naturalium.

4 Secundo annotandum est circa eadem verba, quod etsi nomen *Principium* latius pateat, quàm nomen *causa*, & nomen *causa*, quàm nomen *elementum*, vt docuit Arist. 5. Metaph. cap. 1. 2. & 3. nam nomen *principium* significat id, à quo incipit res, siue influat, siue non, vt punctum in linea, & priuatio in generatione naturali. *Causa* verò significat id, quod taliter est initium, vt simul influat in rem, cuius est causa. *Elementum* denique id, quod non solum est initium, nec solum influat in rem, sed etiam illam intrinsecè componit, vt materia, & forma. Et sic communiter dici solet, hæc tria se habere sicut superius, & inferius; nam omne elementum est causa; & omnis causa est principium; non tamen è contra. Tamen in præsentiarum, nec nomen *principium*, nec nomen *causa* accipitur ab Arist. in tota sua latitudine; sed nomine principij intelligit (vt placet Scoto in expositione huius textus, & desumpsit ex Commentatore) causam efficiëntem; quæ definiri solet, *est principium, unde motus*; & nomine causæ causam finalem, quæ est causa causarum, à qua pendent ceteræ causæ; & nomine elementi causas materiale, & formale; quæ sunt ex quibus compositum intrinsecè coalescit. Itaque his tribus nominibus solum voluit Arist. comprehendere quatuor genera causarum.

5 Quæ expositio fundatur in ipsomet Arist. qui alibi sæpe absolute docet, *scire* esse rem per causas cognoscere. Et eam etiam secuti sunt Eudæmius, & Alexander, vt referunt D. Thom. & Simplicius, quamuis hi differant à Scoto, & Commentatore in hoc, quod sub nomine causæ non solum finem, sed etiam formam intelligi volunt, & sub nomine elementi solum materiam.

6 Circa verba illa *cognitio, & scientia, ex horum cognitione, oritur* annotandum est, quod etiam si nomen *cognitio* seorsim sumptum quid superius sit ad cognitionem distinctam, & confusam; tamen in præsentia solum potest accipi pro cognitione distincta; nam cog-

nitio orta ex cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum (quæ est, de qua hic loquitur Arist.) non potest supponere pro cognitione confusa, sed solum pro distincta. Et in hoc omnes interpretes conueniunt. An verò hic nomen *cognitio* reciprocetur cum nomine *scientia*? dubium est inter ipsos. Nã quidam dicunt, non reciprocari, sed nomine cognitionis intelligere Arist. cognitionem definitiuam, qua naturam subiecti scientiæ declaramus; nomine verò scientiæ cognitionem demonstratiuam, qua à priori passionem subiecti scientiæ de ipso subiecto demonstramus. Et fundamentum est, quia vtraque ista cognitio oritur ex cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum; ergo, vt Arist. non diminutè procederet in tradendo ordinem, qui habendus est in cognitione, quæ habetur de aliquo obiecto scientifico, orta ex cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum ipsius obiecti, debuit vtrâque cognitionem comprehendere illis duobus nominibus definitiuam nomine cognitionis, & demonstratiuam nomine scientiæ.

7 Alij verò contendunt, reuera hæc duo nomina, *cognitio, & scientia* reciprocari, & in præsentia ab Arist. pro eodem usurpari, scilicet, pro sola cognitione demonstratiua, qua à priori passionem demonstrantur de subiecto, quæ est cognitio verè, & in rigore scientifica. Vnde dicunt, additum fuisse nomini *cognitioni* nomen *scientia* explicationis gratia, & vt nominis *cognitionis* latitudinem restringeret; ac si dixerit Arist. *cognitio, & scientia*, id est, non qualiscumque cognitio, sed illa, quæ verè est scientia. Et hanc vltimam expositionem sequuntur noster Scotus, Simplificus, & Philoponus in expositione huius textus. Imò Connimbricenses affirmant, quod, si verba contextus Græci expendantur, deprehendatur, priorem non esse idoneam, sed liberè ex cogitatam.

8 Et meo videri suaderi potest, hanc vltimam expositionem esse iuxta mentem Arist. quia etiam si cognitio definitiuam, qua naturam subiecti scientiæ declaramus, sit cognitio habita per principia, aut causas, aut elementa ipsius, non secus ac cognitio demonstratiua, & verè scientifica, qua passionem, quæ tali subiecto competunt, de ipso à priori demonstramus; ac per consequens idem ordo cognitionis, quem Arist. hic docet, obseruandum esse in cognitione demonstratiua, obseruandus etiam veniat in cognitione definitiuam, scilicet, vt à cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum subiecti scientiæ incipiamus. Tamen, quia scientiæ non probant definitionem sui subiecti, cum hæc potius præsupponatur nota, sed solum probant, quæ passionem suo subiecto conueniant, potuit Aristot. absque eo, quod diminutè procederet, solum agere de ordine cognitionis obseruando

in cognitione demonstratiua, qua passiones à priori demonstrantur de subiecto scientiæ: quia in isto textu intentum eius erat solum tradere nobis ordinem cognitionis, quem obseruare tenemur in cognitione eorum, quæ probantur in scientia; non verò eorum, quæ in scientia nota præsupponuntur.

9 Circa illa verba, *Instita verò naturaliter via est ex his, quæ nobis magis sunt nota, & manifesta, ad ea, quæ natura sua sunt notiora, ac manifestiora, &c.* primò annotandum est ad cognoscendum, quæ sint natura sua, & quæ sint natura quoad nos ordine generationis, & originis duas regulas tradidisse nobis Philosophum, à quibus nullatenus deuiandum est. Prima & quam dedit 6. Topic. cap. 3. est. *Quæcumque sunt priora alijs, & à quibus pendent alia, vt est punctum respectu lineæ, linea respectu superficiæ, superficies respectu corporis, vnitatis respectu numeri, atque elementum respectu syllabæ, &c. sunt notiora natura illis, quibus sunt priora.*

10 An verò quoad nos contingat è contrario ita; vt quoad nos dicantur via generationis, & originis notiora illa, quæ sunt posteriora, & dependentia ab alijs respectu illorum, quibus sunt posteriora, & à quibus dependent non statuit vniuersalem regulam, sed dicit, quandoque id contingere, videlicet, quoties posteriora, & dependentia magis sub sensibus cadunt, quam priora, & à quibus dependent; vt contingit in exemplis assignatis. Verba Arist. sunt: *Dupliciter contingit accipere notius; aut nobis, aut simpliciter. Simpliciter igitur notius est, quod prius est posteriori, vt punctum lineæ; & linea superficie, & superficies solido; quemadmodum, & vnitatis numero; prius enim, & principium orationis numeri; similiter autem, & elementum syllabæ. Nobis autem è conuerso quandoque accidit; nam magis solidum magis sub sensu cadit, quam superficies, & superficies, quam linea, & linea, quam signum. Quare multitudo magis huiusmodi cognoscit; nam illa quidem quomodo libet; hæc autem subtili, &ificio intellectu comprehendere oportet.*

11 Secundam regulam tradit 1. Post. textu 5. *Quæ est huiusmodi. Quæ sunt propinquiora sensibus, vt sunt accidentia respectu substantiæ, & naturæ minus vniuersales respectu naturarum magis vniuersalium, quoad nos notiora sunt. E contrario verò, quæ à sensibus sunt remotiora, vt substantiæ respectu accidentium; & naturæ magis vniuersales respectu naturarum minus vniuersalium, sunt notiora natura. Verba Arist. sunt: *Priora verò sunt, & notiora bifariam: non enim idem prius, aut notius natura, & ad nos. Dico autem ad nos priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui; simpliciter autem, quæ longius sunt. Sunt autem longissimè quidem ipsa maxime vniuersalia, proxima verò ipsa singularia.**

12 Et dixi notanter, *via generationis, & originis;* nam, si sermo sit de

notioribus via perfectionis, & intentionis, dicendum esset, notiora natura esse illa, quæ habent plus entitatis, & perfectionis. Cum enim ens sit obiectum intellectus, illud profectò via perfectionis, & intentionis erit natura sua notius quoad intellectum, quod habet plus entitatis, & perfectionis. Arist. tamen in regulis assignatis, atque in præsentibus textu non loquitur de notioribus via perfectionis, & intentionis; sed de noti ori via generationis, & tēporis. Alias notius natura esset totum actuale, quam eius partes; cuius oppositum docet Arist.

13 Secundò annotandum est circa eadem verba, viam procedendi in cognitione principiorum ex his, quæ notiora sunt nobis ad notiora natura sua appellari ab Arist. institam nobis naturaliter; non quia similis sit modo procedendi, quem natura tenet in producendis rebus; nam potius penitus est ei contraria; siquidem natura in producendis rebus progreditur à partibus ad totum; à causis ad effectus; nos autem è contrario in illis cognoscendis procedimus. Nec etiam quia fit congruens, atque cōsentiens naturali appetitui hominis, quo vehitur, atque ducitur ad sciendum; homo enim naturaliter expetit scire, non quocumque modo, sed per causas: talis enim scientia est perfectio intellectus humani ex plens, satiansque eius naturalem appetitum. Sed dicitur institam nobis naturaliter hæc via, quia sicut à natura institum, & infixum est, vt pro hoc statu intellectus non intelligat, nisi, quod cadit sub sensibus, ita etiam institum, & infixum est à natura, vt illa prius intellectus percipiat, quæ prius, & fortius mouent sensus, & illis magis sunt propinqua; vt sunt accidentia, totum actuale, minus vniuersalia, &c. quæ natura minus nota sunt.

14 Circa ea, quæ docet Arist. à capite secundo, vsque nonum, & vltimum, solum annotandum est; Arist. in præxi obseruasse id, quod circa ordinem procedendi in scientijs 1. cap. docuerat; siquidem incipit à cognitione principiorum rerum naturalium; & in cognitione horum principiorum incipit ab his, quæ nobis notiora sunt; nam in primis statuit principia esse multa; deinde esse finita; postea esse contraria, & statim esse tria; & demum quid illorum trium vnunquodque sit propriè, ac subtiliter exponit.

15 Demum circa ea, quæ à nobis circa literam huius libri disputanda sunt, annotandum est, Scotum sumpta occasione ex duobus, quæ capite tertio assumpsit Arist. ad improbandam Parmenidis sententiam (primum est, *Ens multis modis dicitur. Secundum, Substantia distinguitur à quantitate*) duo exagitate. Primum, vt rrum ens vniuocè dicatur de substantia, & accidenti? Secundum, vt rrum quantitas distinguatur realiter à re quanta? Sed, quia de his

ex professo egimus in Logica, illa silentio opprimemus. Solū enim disputabimus, quæ genuina sunt textui, & ad illius intelligentiam necessaria, videlicet, *de ordine procedendi in doctrinis; de materia prima, quæ est primum principium rerum naturalium; de forma, & priuatione; quæ sunt alia duo principia rerum naturalium; de composito naturali, ut est quoddam totum; & de termino augmenti, & decrementi illius; atque demum de indiuiduatione, existentia, & subsistentia compositi naturalis.*

DISPUTATIO PRIMA.

De ordine procedendi in doctrinis.

IN hac prima disputatione examinabimus, quæ scitu digna sunt ad intelligentiam eorum, quæ docet Arist. in primo capite huius libri, quæ quinque erunt numero. Primo, in quadam quæstione præambula explicabo, *quotuplex sit cognitio, qua intellectus in aliquod totum tendit?* Secundò expendam, *utrum ordo præscriptus ab Arist. in hoc primo capite in tradenda qualibet doctrina sit exactus?* Tertio aperiam, *an perfecta cuiuscumque rei cognitio, omnium causarum intelligentiam deposcat?* Quartò, *utrum in vniuersum sit verum, non nobis, atque natura eadem nota?* Quintò, *quid sit à nobis primò cognitum pro hoc statu?*

QUÆSTIO PRIMA.

Quotuplex sit cognitio, qua intellectus in aliquod totum tendit?

HÆc quæstio quasi præambula est ad susceptam disputationem, & in ea aliqua sunt certa, & aliqua in dubium reuocantur. Primum certum est, cognitionem, qua intellectus noster in aliquod totum tendit, bipartitam esse; nã quædam est distincta; quædam verò confusa. Distincta dici-

tur, qua totum cognoscimus, singulæ eius partes penetrando. Confusa verò, qua totum respicimus, non penetrando illius partes. Quia tamen duplex est totum; potentiale vnum, sic dictum, quia habet partes subiectiuas, quas in sua potestate continet; vt natura generica respectu suarum specierum; specifica respectu suorum indiuiduorum.

rum. Actuale alterum; sic dictum, quia partes actu in se comprehendit; vt homo respectu corporis, & animæ; qua ratione est totum actuale physicum; aut respectu generis, & differentie; qua ratione est totum actuale metaphysicum; hinc fit, vt vtraque ista cognitio, distincta, scilicet, & confusa, subdiuidatur in potentialem, quæ est, per quæ cognoscitur totum potentiale; & in actualem, quæ est, per quæ cognoscitur totum actuale. Vnde in vniuersum quadruplex erit cognitio totius; scilicet, confusa potentialis, & confusa actualis; distincta potentialis, & distincta actualis.

2 Secundum certum est, inter istas cognitionis non parum discriminis versari; nam primo differunt in hoc, quòd confusa distinctam semper præit eiusdem generis, scilicet, confusa actualis distinctam actualem; & confusa potentialis potentialem distinctam; vt asseruit Philosophus in hoc libro c. 1. tex. 2. Et inde probat Scotus in 2. d. 3. q. 2. lit. O. quia progressus naturæ est ab imperfecto ad perfectum per medium. Confusa autem cognitio quasi medium est inter ignorantiam, & cognitionem distinctam. Et insuper idem testatur experientia, siquidem prius in quodlibet totum incurrimus, quàm ea, quæ in ipso continentur, particulatim discernamus. Vnde naturæ exploratores prius composita na-

turalia confusa quadam ratione intellexere; deinde ex eorundem sectione per intellectum facta ad partes, & elementa sunt progressi.

3 Differunt secundo, quòd cognitio distincta potentialis potest simul consistere cum cognitione confusa actuali; & è contra distincta actualis cum confusa potentiali. Si quis enim numerum omnium specierum animalis cognitum habeat, & eius definitionem nesciat, habebit utique cognitionem distinctam potentialem animalis, & confusam actualem eiusdem. E contra verò si animalis definitionem calleat, & interim numerum specierum, quæ sub illo sunt, ignoret, is & cognitio nem distinctam actualem, & confusam potentialem animalis simul obtinebit. At neque confusa potentialis cum distincta potentiali; neque confusa actualis cum actuali distincta simul coherere possunt; vt præter alios aduertit subtilis Doctor in 1. d. 2. q. 7. Et ratio est, quia carentia penetrationis partium, quæ in cognitione confusa necessariò includitur, per cognitionem distinctam penitus aufertur.

4 Ex his, quæ reuocantur in dubium, primum est; an cognitio distincta alicuius totius possit haberi vnico simplici conceptu? An plures necessariò requirat? Et disputatione est de hominibus degentibus hanc vitam; nã si de Angelorum

cognitione agamus, citra controuersiam est, non exigere plures cognitiones; cum eodem intuitu plura possint apprehendere, atque consequenter simul hominem, cunctaque eius prædicata essentialia; vt ex D. Dionysio 7. cap. de Diuinis nominibus præter alios docet D. Th. 1. p. q. 58. art. 4. Et idem de illa cognitione, qua beatæ mentes omnia diuinæ naturæ attributa intuentur, sentiunt cõmuniter Theologi.

5 Sunt, qui dicant, cognitionem distinctam alicuius totius ab homine hanc vitam degente non posse haberi vnico simplici conceptu, sed aggregationem plurium esse necessariam. Quod inde probant; quia, quæ distinctè cognoscuntur, necessariò vt plura cõcipimus, siquidem illa particulatim exploramus: sed quæ vnico actu cõplectimur, non vt plura, sed vt vnũ apprehendere est necessarium; quia plura, qua plura, nec simul intelligi, neque simplicem actum terminare queunt: nequit ergo totum distinctè ab homine hanc vitam degente vnico simplici conceptu apprehendi.

6 Sed nobis dicendum est cõmuniori sententia, quam præter alios tenet Caietanus de ente, & essentia cap. 3. & Herbæus quolib. 7. q. 12. contingere aliquando posse hominem vitam istam degentem, aliquod totum vnico simplici conceptu distinctè apprehendere. Et

ratio efficax est; quia quidquid perfectionis est in potentia inferiori, non est denegandum superiori. Sed visus (id ostentitante experientia) vnico actu videt plures lapides, vt plures sunt: ergo intellectui, qui est potentia visu superior, non debemus denegare, posse vnico intuitu plures partes, adhuc vt plures sunt, alicuius totius percipere, siquidem hoc est maxima perfectio.

7 Ad fundamentum oppositæ sententiæ (quod, siquid probaret, probaret vtique, neque Angelos posse distinctè vnico intuitu aliquod totũ percipere) respõdemus, ea, quæ cognitionem simplicem distinctam terminant, & vt plura, & vt vnum sumi; vt plura in se ipsis; vt vnũ quatenus vnus obiecti ratione induunt; & ita præstare eidem conceptui tum simplicitatem, tum distinctionem; illam ab vnitate, quam habent in ratione obiecti, atque istam à multitudine rerũ, quas enucleatè cognoscimus. Consistit autem vnitas obiecti (prout à nobis hoc loco sumitur) in ordine quodã, quem habere necesse est, quæcumque intellectui per vnum actum simul obijciuntur.

8 Secundum ex his, quæ reuocantur in dubiũ, est, an cognitio, qua cognoscimus ens in communi non vt totum potẽtiale est, sed vt quid actuale, sit dicenda cognitio confusa? An distincta? Hæc quæstio meo vi-

de-

deri dependet ex alia, quam ex professo discussimus in Logica cap. de Equiuocis; vniuocis, &c. disp. 2. an scilicet, ens sit vniuocum, an verò analogum respectu suorum inferiorũ? Auctores enim, qui ibi affirmabant ens esse analogum, ac per consequens immediatè non significare vnicum conceptum obiectiuum præcisum, & distinctum à suis inferioribus, sed potiùs immediatè significare omnia inferiora, vt analogiã, seu proportionem dicunt inter se, consequenter sustinere debet, cognitionem actualem, qua concipimus ens in communi, nõ esse distinctam, sed cõfusam. Et ratio est, quia ad cognitionem distinctam actualem alicuius requiritur, quod particulariter percipiãtur omnia, quæ immediatè significantur per nomen eius, siue illa sint partes essentiæ, siue sint plures naturæ habentes analogiam, seu proportionem inter se. Constat autè per cognitionem, qua nos apprehendimus ens in communi, nõ particulatim agnoscere inferiora entis, scilicet, substantiam, quantitatẽ, relationẽ, &c. quæ sunt naturæ, quæ in sententia istorũ immediatè significantur hoc nomine ens, vt dicunt analogiã, seu proportionem inter se.

9 At nos, qui cum Scoto, atque alijs pluribus auctoribus loco citato statuimus, ens esse vniuocum respectu suorum inferiorum, & immediatè signifi-

care vnicũ conceptũ obiectiuũ præcisum, & distinctũ ab omnibus suis inferioribus, cõsequenter dicimus cum Scoto in 1. d. 3. q. 2. lit. N. cognitionem, qua percipimus ens in cõmuni (nõ vt est quid potẽtiale, sed vt quid actuale) esse necessariò distinctam, & non cõfusam appellandam. Et ratio est, quia, cum hic conceptus obiectiuus præcisus, & distinctus ab inferioribus, qui immediatè significatur per nomen ens, sit simpliciter simplex, id est, irresolubilis in plures conceptus obiectiuos, non poterit quis concipere ens in cõmuni, quin particulatim omne, quod immediatè significatur nomine ens, speculetur, & attingat: quod est requisitũ (etiam per aduersarios) ad cognitionem distinctã actualem cuiuscumque rei.

QVÆSTIO II.

Vtrum ordo præscriptus ab Arist. in hoc capite in tradenda qualibet doctrina sit exactus?

1 Prima ratio dubitandi est, quia in primo textu docet Arist. in doctrinis, quarum sunt principia, aut cause, aut elementa, in ipso esse à cognitione principiorũ, causarum, & elementorũ. Quæ doctrina non solum contraria est his, quæ docet idem Arist. 5. Metaph. c. 1. in doctrinis, inquit ibi, nõ à primo, ac rei principio aliquando inchoandum est, sed vnde quis facile discat) & similiter his, quæ docet textu 3 huius capituli (quæ autem sunt, fatetur ille, magis confusa, primum nobis nota sunt, & manifesta;

postea verò hęc diuidentibus elementa, & principia ex ipsis innotescunt) sed etiam videtur falsa; quod sic ostendo.

2 Secundum receptam sententiam (quam satis clarè indicauit Scotus in 1. d. 3. q. 2. litt. N. in 2. argumēto) in doctrinis inchoandum est à facilioribus, & notioribus. (Hoc enim nō solū docuit Arist. loco Metaph. nuper citato, & 7. Metaph. tex. 10. & 1. Ethic. c. 4. & 2. de Anima tex. 10, sed hanc viā in text. 2. huius libri nobis naturaliter insitā appellauit.) Sed nobis faciliora, & notiora in sciētia naturali nō sunt notiora natura, qualia sunt (vt in annotationibus nu. 9. & 10. ex Philosophi mēte diximus) principia, causæ, & elemēta (vt falsus est Arist. dum text. 2. huius capituli dicit; non enim nobis, atque simpliciter eadem nota) sed potius totum, seu effectus, vt de toto probauit ex professo ipse Arist. tribus exemplis in text. 4. & 5. & de effectibus conuincitur experientia, primi enim inuētores Philosophiæ naturalis non ex principijs, seu causis ad effectus, sed ex effectibus rerū naturalium sibi familiaribus, & notis ad abditissimas eorū causas progressi sunt. Cū enim effectus sibi obuios, & notissimos rerū naturalium contēplarentur, eorūque latitantes causas ignorarent, in admirationē adducti, ad causarum indaginē animum applicuere. Doctrina ergo, quam astruit Aristot. in 1.

text, huius capituli, falsa, atque improbabilis apparet.

3 Secunda dubitandi ratio est, quia text. 4. huius capituli docet Arist. vniuersalia esse nobis magis nota, quā singularia. Quæ doctrina ex diametro est opposita his, quæ docuit 1. Post. tex. 5. (cuius verba in annotationibus num. 11. retulimus) & etiam 1. Metaph. cap. 2. vbi sic fatur: *Maximè vniuersalia difficile à nobis cognoscuntur, quia sunt remotissima à sensibus; singularia verò facile, quia sunt sensibus propinquiora.*

4 Nec minùs difficultate vacat id, quod assumpsit eodem textu ad probandum vniuersalia esse nobis magis nota, quā singularia, nimirū, *quia vniuersale est quoddam totum respectu singularium.* Nam etsi hoc verum sit de toto potentiali; tamen de toto actuali oppositum verificatur, cum certum sit, vniuersale respectu suorum inferiorum esse partem actualem.

5 Vnde videtur summum pati paralogismum Aristot. dum in isto text. 4. docet, vniuersalia esse magis nota singularibus deceptus exemplo totius sensibilis; nam quamuis totum sensibile priùs percipiatur à sensibus, quā partes eius; id tamen non fauet vniuersali; quia vniuersale solū ratione est totū; in re autem potius est pars suorum inferiorum.

6 Tertia ratio dubitandi est, quia textu 5. huius capituli do-

docet Arist. *definitum esse notius partibus definitionis eius.* Hæc enim doctrina expressè opponitur his, quæ docuerat textu 4: scilicet, *vniuersalia esse magis nota singularibus;* siquidem plures partes definitionis sunt magis vniuersales, quā ipsum definitum.

7 Propter rationes istas dubitandi quidam Doctor huius scholæ in manuscriptis ausus est asserere, totam doctrinam huius capituli esse improbabilem, Aristoteli oppositam, atque sibi inimicam. Ne autem videretur, se rafa frōte Philosopho cōtraire, ridiculū quid ex cogitauit, & quod ansam præbet, ne istis libris de physico auditu vllam fidē præstaremus, nimirū, hos libros nō fuisse scriptos ab Arist. propria manu (vt auctor est Ioannes Ludouicus Vibas in censura de Arist. & eius operibus) sed potius fuisse desumptos ex aduersarijs discipulis, qui audita ab Arist. mādabant albeolo; & sic non mirū, quod caput istud minùs benè cōceptum, & dispositum fuerit; nec credendus est discipulus, cuius codex typis mandatus est.

8 Sed Doctor iste (bona venia) audacter locutus est, & cōtra omnes interpretes, qui caput istud, vt Aristotelicū venerātur, & ad doctrinā in ipso cōtentā nō reijciendā, sed amplectendā lōgos, & eruditos fecerunt cōmentarios. Vnde cum ipse omnibus indubitāter asseri-

mus, ordinem præscriptum ab Arist. in hoc primo capite in tradēda qualibet doctrina optimum, & exactissimum esse.

9 Quod, vt cōprobemus, & viam ad soluedas rationes dubitandi facilè apperiamus, primò annotandum est, aliud esse viā doctrinæ, & aliud ordinem doctrinæ. Via doctrinæ cū modo sciendi reciprocatur: est enim ratio declarandi, aut probandi ea, quæ sunt ignota. Vnde quia ratio declarandi, aut probandi ea, quæ sunt ignota multiplex esse solet; nā ea, quæ sunt ignota, aliquādo declaramus, aut probamus definitione, aliquādo diuisione, aliquādo argumentatione; hinc est, vt via doctrinæ multiplex esse debeat; nā alia est definitiua; alia diuisiua; & alia argumentatiua.

10 Ordo doctrinæ est ratio ordinandi, & disponendi cōgruè ea, quæ in sciētijs tractantur. Vnde, quia ea, quæ in sciētijs tractantur, dupliciter disponi, & ordinari possunt; nā disponi, & ordinari possunt ita, vt incipiamus à partibus ad totū; aut e cōtra, ita, vt incipiamus à toto ad partes; hinc fit, vt etiā ordo doctrinæ multiplex sit. Vnus cōpositiuus, scilicet, ille, quo procedimus à partibus ad totū; & alius resoluiuus, scilicet, quo à toto ad partes progredimur.

11 Arist. ergo in hoc capite nō intēdit, nobis tradere viam doctrinæ, quæ obseruari debet in scientia naturali: hanc enim

ipse infra tradit, scilicet, libro 2. viam definiendi textu 19. cum docet, res physicas definiendas esse per materiam; & formam, & viam argumentandi textu 70. dum dicit, res physicas demonstrandas esse per omnia genera causarum. Sed quod intendit nobis tradere est ordo doctrinae, qui obseruandus est in tradenda scientia naturali, id est, à quibus ad quae in scientia rerum naturalium progrediendum est.

12. Secundo annotandum est, in doctrinis, quae agunt de obiectis, quae habent principia, aut causas, aut elementa (qualis est nostra Philosophia naturalis), nos posse considerare, seu distinguere duplicem cognitionem, scilicet, & cognitionem, quae per principia prima, aut causas, aut elementa cognoscimus, vel naturam obiecti illius scientiae (vt est definitiua) vel passiones, quae illi conueniunt (vt est demonstratiua) & cognitionem, quae deuenimus in notitiam istorum primorum principiorum, aut causarum, aut elementorum, ex quorum cognitione pendet ratio cognitio definitiua naturae obiecti, quam demonstratiua passionum eius. Quae vltima cognitio, cum non possit haberi à priori, & per principia, aut causas, aut elementa (nam primorum principiorum, aut causarum, aut elementorum non dantur alia priora principia) necessarium est, quod habeatur per ex-

perientiam ex effectibus, ex signis, similitudinibus, &c.

13. Igitur Arist. in primo capite huius libri volens nobis tradere ordinem doctrinae obseruandum in scientijs, quae versantur circa obiecta habentia principia, aut causas, aut elementa (vt adaequatè, & exactè illustraret) non solum docet ordinem obseruandum in cognitione, quae per principia, aut causas, aut elementa cognoscimus naturam obiecti, vel illius proprietates; sed etiam ordinem obseruandum in cognitione, quae per experientiam ex effectibus, ex signis, similitudinibus, &c. habere possumus de huiusmodi primis principijs, aut causis, aut elementis; ex quorum notitia pendet cognitio, tam definitiua naturae obiecti, quam demonstratiua passionum illius.

14. Vnde in primo textu huius primi capitis, tradit primum ordinem (licet enim expressè solum loquatur de ordine obseruando in cognitione demonstratiua ob rationem, quam in annotationibus aut. 8. adduximus; tamen eundem ordinem esse obseruandum in cognitione definitiua manifestum est, cum haec etiam habeatur per principia, aut causas, aut elementa, vt ibidem etiam annotauimus) dicens in cognitione scientifica, quae à priori, & per principia, aut causas, aut elementa passiones de subiecto scientiae demonstramus, incipiendum esse

esse à cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum; quem ordinem esse exactum, imò simpliciter necessarium à nullo inficiari potest. Hoc enim euidenter conuincit ratio, quae id probat Arist. nimirum, quia, cum haec cognitio oriatur ex cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum, necessarium simpliciter erit, vt ante istam cognitionem, ipsa principia, aut causae, aut elementa cognoscantur.

15. In secundo verò textu tradit secundum ordinem (vt animaduertit Scotus in expositione text. 5.) affirmans, in cognitione istorum principiorum, aut causarum, aut elementorum (ex quorum notitia dixerat pendere cognitionem scientificam, quae à priori passiones de subiecto scientiae demonstramus) insitum naturaliter esse, vt ab his, quae notiora sunt nobis (etiam si sint minus nota simpliciter, seu natura) progrediamur. Quem ordinem etiam esse optimam, & exactam, praeter communem interpretum consensum, qui in hoc conspirat, probant manifestè ea, quae adducta sunt in prima ratione dubitandi.

16. Solum est aduertendum, quod, cum cognitio principiorum, aut causarum, aut elementorum subiecti scientiae necessario antecedit cognitionem scientificam, quae passiones de subiecto scientiae demonstramus, hinc esse, vt si absolutè, & simpliciter veli-

mus loqui de ordine obseruando in doctrinis, dicendum sit, in hoc consistere, vt à notioribus nobis (etiam si sint simpliciter, & natura minus nota) incipiamus.

17. In textu tertio explicat Arist. quae sint nobis notiora, id est, prius nota (loquitur enim de notioribus via originis, seu temporis, vt in annotationibus au. 12. aduertit) dicens, confusa (id est, tota) esse nobis notiora, quam partes ipsa diuidentes (si sint tota potentialia) aut componentes; si sint tota actualia.

18. Quam doctrinam esse verissimam non solum ostendunt tria illa exempla, seu signa, quibus Arist. text. 4. & 5. vsus est ad hoc probandum: sed etiam manifestè conuincitur ex eo, quod cognitio totius, vt sic, est cognitio confusa cognitio verò partium eius est distincta; & cognitio confusa semper praecedit in nobis cognitionem distinctam eiusdem generis, vt ex professo ostendimus quaestione praecedenti num. 2.

19. Ex quibus in textu quarto optimè infert, incipiendum esse ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia, eò quod vniuersale, quoddam totum est, cum sub se multa, vt partes comprehendat. Quod intelligendum est in cognitione, quae procedit via diuisionis; qualis est, quae vti solemus ad cognoscendum totum potentiale, & quae statim à secundo capite ingressus est Arist. inuestigando numerum principio-

rum rerum naturalium. Pro-
cessit enim à diuisione totius
potentialis hoc pacto.

20 Principia naturalia neces-
se est, aut esse vnum, aut multa.
Sed nõ vnũ: ergo multa. Si mul-
ta; aut finita, aut infinita? Sed
non infinita: ergo finita. Si fini-
ta; aut plura, aut pauciora tribus?
Sed nõ plura, nec pauciora tri-
bus: ergo tantũ tria. Si tria; aut
omnia inter se cõtraria, aut nul-
lũ? Sed neq; nullũ. neque om-
nia inter se cõtraria: ergo quæ-
dã contraria, & quædã non. Ex
quib; omnibus tandẽ cõcludit,
tria esse prima principia rerum
naturalium, duo inter se cõtra-
ria, & tertium, subiectum ipso-
rum contrariorum.

21 Et dixi notanter esse intel-
ligendũ in cognitione, quæ pro-
cedit via diuisionis, qualis est,
qua vti solemus ad cognoscẽ-
dũ totũ potentiale: nã, si cog-
nitio procedat via definitionis,
quæ est, qua vti solemus ad cog-
noskendũ totũ actuale, potius
progrediendum est è contra-
rio (vt docet Arist. 1. Post. text.
5. & 1. Metaph. c. 2.) scilicet,
ex minũs vniuersalibus ad ma-
gis vniuersalia; nã (vt vltima ra-
tio dubitandi obieciat) defi-
nitũ, quod est à nobis primum
cognitũ in ista via, minũs vni-
uersale est, quàm plures partes
definitionis eius.

22 Cuius ratio à priori est; quia
minũs vniuersale se habet, vt to-
tũ actuale respectu magis vni-
uersalis; siquidẽ magis vniuer-

sale est vna ex partibus, quæ mi-
nũs vniuersale metaphysicẽ cõ-
ponunt. Sed ex Arist. in text. 3.
huius capituli totũ, cũ sit quid cõ-
fufum, est nobis notius via gene-
rationis, seu originis suis parti-
bus: ergo necessariò fatendum
est, in cognitione definitiua,
quæ est, qua cognoscimus totũ
actuale, incipiendũ nobis esse à
minũs vniuersalibus, scilicet, à
cognitione confusa ipsius defi-
niti, quod minũs vniuersale est,
quàm plures illius partes.

23 Neque hoc contrariũ repu-
tes his, quæ adducit Martinius
in explicatione huius capituli
discutiendo 3. & 4. ex Aristot. 1.
de partibus animalium c. 1. & 4.
scilicet, *prædefiniendum esse genus
in scientia, in qua tractanda sunt spe-
cies*. Nam cum nos affirmemus,
in cognitione principiorum,
quæ procedit via definitionis,
progrediendum esse ex minũs
vniuersalibus, scilicet, à cog-
nitione definiti, quod minũs
vniuersale est, quàm aliqua par-
tes eius, loquimur de cognitio-
ne confusa, qualis est illa, qua
omne definitum necessariò ap-
prehendimus ante ipsam actua-
lem definitionem, non de cog-
nitione distincta ipsius definiti,
quam habemus per ipsam de-
finitionem, quæ est, de qua lo-
quitur Aristotel. loco citato.
Hanc enim ex dictis numero
14. exponendo primum tex-
tum constat esse posteriorem
cognitione distincta suarum
partium (cum ex ipsarum cog-
ni-

nitione pendeat) & conse-
quenter cognitione distincta
naturæ vniuersalioris, quæ
respectu definiti, seu naturæ
minũs vniuersalis se habet, vt
pars metaphysica ipsam com-
ponens.

24 Ecce quomodò ordo,
seu ordines obseruandi in tra-
denda quacumque scientia,
quæ versatur circa obiectum,
quod habet principia, & cau-
sas, aut elementa, traditi ab A-
rist. in hoc primo capite non
solum exacti sunt, sed etiam op-
timè concepta, & concinnata
omnia, quæ Philosophus tra-
dit in ipso. Abigatur ergo neo-
tericus ille Doctor, qui auda-
cter nimis, non solum contra
Philosophiæ Principẽ, sed etiã
contra veritatem loquutus est.

25 Sed iam ad rationes du-
bitandi, quibus fuit nixus, ac-
cedamus. Primam ingenuè fa-
teor concludere contra Marti-
nium, qui in expositione huius
capituli *discutiendo* 2. pro viribus
contendit, hos duos ordines, sci-
licet, *procedere à principijs, & pro-
cedere à notioribus*, quorum me-
minit Arist. in primo, & secun-
do textu, iam vnum coincidere.
Ratio enim prima dubitandi,
hoc esse impossibile, cõcludit.
Nam probat manifestè, ordines
istose esse contrarios, & opposi-
tos. Tamen contra nos, qui af-
firmamus, ordinem præscrip-
tum ab Aristot. textu primo in
tradenda cognitione, qua per
principia, aut causas, aut ele-

menta naturam, aut proprie-
tates obiecti scientiæ cognos-
cimus, non solum esse diuer-
sum ab ordine præscripto ab
eodem Arist. textu secundo in-
tradenda cognitione horum
principiorum, aut causarum,
aut elementorum, sed etiam
istos ordines esse oppositos, &
contrarios, nihil concludit:
imò potius sententiam nostrã
(vt num. 15. dicebamus) miri-
ficè confirmat.

26 Ad secundam negamus,
ea, quæ docet Arist. text. 4. esse
opposita his, quæ docet 1. Post.
text. 5. & 1. Metaph. cap. 2.
nam, cum in textu 4. docet, v-
niuersalia esse nobis magis, seu
prius nota, quàm singularia, lo-
quitur (vt numer. 19. diceba-
mus) de cognitione, quæ pro-
cedit via diuisionis, qualis est,
qua vti solemus ad cognoscen-
dum totum potentiale, vt totũ
potentiale est. In qua via, cum
vniuersale habeat rationem to-
tius, & singularia, seu minũs
vniuersalia, quæ sub illo conti-
nentur, rationem partium sub-
iectarum, non mirum, quòd vni-
uersale sit nobis magis, seu prius
notum singularibus, seu minũs
vniuersalibus. Nam totum es-
se nobis magis, seu prius no-
tum suis partibus, & docuit A-
ristot. in textu 3. & à nobis
demonstratum est numer. 18.
At in 1. Post. & Metaph. cum
docet, maximè vniuersa-
lia difficilè à nobis cognos-
ci, singularia verò facilè,
lo-

loquitur de cognitione, quæ procedit via definitionis; quæ est, qua uti solemus ad cognoscendum totum actuale, ut totum actuale est (ut num. 21. dicebamus.) In qua via, cum singulare, seu minus vniuersale habeat rationem totius, & magis vniuersale rationem partis, ipsum singulare, seu minus vniuersale metaphysicè componētis, etiam nō erit mirum, quod singulare, seu minus vniuersale sit nobis notius magis vniuersali.

27. Nec incōueniens est, quod istæ viæ cognoscendi sint ita oppositæ; imò hoc est simpliciter necessarium, siquidem totum potentiale, circa quod versatur prior via, & totum actuale, circa quod versatur posterior, in ratione totius, & partis se mutuò relatiuè opponant. Vniuersale enim, quod est totum potentiale, & ut sic, respicit, ut partem, singulare, seu minus vniuersale, quod sub ipso continetur, habet rationem partis componentis respectu eiusdem singularis, seu minus vniuersalis, si singulare, seu minus vniuersale, quod est totum actuale, ut tale consideratur.

28. Vnde non capio, quid difficultatis reperire potuerunt aduersarij in eo, quod assumpsit Arist. ad probandum, vniuersalia esse nobis magis nota, quàm singularia, seu minus vniuersalia, videlicet, quia vniuersale est quoddam totum respectu singu-

larium, seu minus vniuersalium, supposito, quod ipsi nobiscum ingenuè fateantur, hoc dictum Arist. optimè verificari de toto potentiā; nam, si Arist. (ut dictum est) loquebatur de notioribus nobis in cognitione, quæ procedit via diuisionis, quæ est, qua utimur ad cognoscendum totum potentiale, ut vniuersale, ista via esset nobis magis notum, quàm singularia, seu minus vniuersalia, per se requisitum erat, quod respectu singularium, seu minus vniuersalium, vniuersale esset totum potentiale, non verò, quod esset totum actuale; imò hoc potius noceret.

29. Id autem, quod addiderunt in eadem ratione dubitandi, scilicet, Aristotelem summū passum fuisse parologismum, dum in text. 4. probat, vniuersalia esse nobis magis nota, quàm singularia, deceptus exemplo torius sensibilis, plus audaciæ, quàm veritatis includit. In exemplis enim non requiritur idemitas, sed proportio: hæc autem maxima est inter sensationem, qua partes totius sensibilis conamur attingere, & cognitionem, qua, via diuisionis, partes totius potentialis conamur percipere. Nam sicut sensatio prius terminatur ad totum sensibile, quàm ad partes eius; quia totum sensibile est, quid confusum respectu suarum partium; ita cognitio, quæ via diuisionis procedit, & consequenter

ter circa totum, nō actuale, sed potentiale versatur, prius terminari necesse est ad vniuersale, quàm ad singularia, seu minus vniuersalia, quæ sub illo continentur: siquidem vniuersale respectu singularium, seu minus vniuersalium, quæ sub illo continentur, se habet, ut totum potentiale; & consequenter, ut quid magis confusum, quàm singularia, seu minus vniuersalia. Vnde quoad hoc nihil refert, quod totum potentiale sit solum totū per rationē, actuale verò sit totum à parte rei: imò simpliciter hoc requiritur supposito, quod nihil induat rationem totius potentialis, nisi per operationem intellectus. Et loquor de toto potentiā formaliter; nam materialiter, aut fundamentaliter, sicut datur a parte rei vniuersale, ita & totū potentiale.

30. Ad tertiā etiam negamus, ea, quæ Arist. docet in textu 5. esse opposita his, quæ docuerat textu 4. Nam, cum in textu 5. docet, definitum esse notius, seu prius notum partibus definitionis, loquitur de cognitione, quæ procedit via definitionis. In quā via constat ex dictis numero 21. minus vniuersale esse nobis notius, quàm magis vniuersale. At verò, cum in textu 4. dicit, vniuersaliora esse nobis magis nota, quàm minus vniuersalia, loquitur (ut numero 19. annotauimus) de cognitione, quæ procedit via diuisionis.

Quas vias necessariò debere esse oppositas ostendimus numero 27. ex eo, quod vna versatur circa totum potentiale, & alia circa totum actuale; & totum potentiale, & actuale in ratione totius, & partis se mutuò relatiuè opponant.

QUESTIO III.

An perfecta cuiuscumque rei cognitio omnium causarum intelligentiam deponat?

1. **D**ocuit Arist. in 1. textu, (ut quæst. præcedenti numero 14. dicebamus) in cognitione verè scientifica, qualis est, qua à priori per principia, aut causas, aut elementa passionis de subiecto demonstramus, incipiendum esse à cognitione principiorum, aut causarum, aut elementorum; cuius rationem reddens, subdit hæc verba: *Siquidem vnumquodque tunc nosse arbitramur, cum causas primas nouerimus, & principia prima vsque ad elementa.* Quæ verba ansam dederunt interpretibus, ut in præsentī disputarent, utrum ad perfectam cognitionem cuiuscumque rei notitia omnium causarum illius deponatur? Id enim videntur insinuare verba Arist. relata.

2. Et rationes dubitandi pro parte negatiua sunt, quas ponit subtilis Doctor in initio quæstionis 3. primi libri Phisycorum, ubi ex professo agit hanc quæstionem. Prima desumpta est

est ex inconuenientibus; quæ videntur sequi ex eo, quòd ad cognitionem perfectam cuiuscumque rei cognitio omnium causarum deposcatur. Primum est, quòd nulla res perfecte cognosci posset, nisi Deus, qui est prima illius causa, cognosceretur. Consequens videtur falsum; siquidem multæ res facillè cognoscuntur; Deus autem est difficillè cognoscibilis: *Quemadmodum enim* (inquit Aristot. 2. Metaph. cap. 1.) *oculi respersionum ad lumen diei se habent, ita intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt. Vbi per manifestissima omnium omnes intelligunt Deum, & alias substantias separatas.*

3 Secundum inconueniens est, quia in via Arist. qui posuit mundum ab æterno, necessario fatendum esset, naturaliter nullam rem nos posse perfecte cognoscere. Quod satis absurdum est. Sequelam probò. Nã in hac via Arist. cuiuslibet rei darentur actu infinitæ causæ subordinatæ, & vna alteri succedens. Impossibile autem est, quòd intellectus noster naturaliter cognoscat distinctè, quæ numero actu sunt infinita. Idè argumentum potest fieri de continuo, in quo infinitæ sunt partes proportionales; & de materia prima, quæ est in potentia passiva ad infinitas formas possibili; & de potètia intellectiva, quæ est in potentia ad cognoscendum omnia obiecta in-

tellectus possibile; quæ infinita sunt numero.

4 Tertium inconueniens est, quòd necessariū foret ad cognitionem perfectam ignis cognoscere lumen, & motum, & alium ignem; quod est contra experientiam. Sequela patet, quia ignis natus est produci à quolibet istorum, tanquam à causa.

5 Quartum inconueniens est, quia, cum in naturalibus cognitio causæ dependeat ex cognitione suorum effectuum (effectus enim sunt nobis notiores suis causis, & à notioribus nobis in cognitione principiorum progrediendum est ex dictis quæstione præcedenti numero 15.) si è contra cognitio perfecta effectus exigeret cognitionem causarum, sequeretur, dari circulum in cognitionibus; quod absurdum reputauit Aristot. 1. Post. textu 22.

6 Secunda ratio dubitandi desumpta est ex varijs instantijs. Prima est cognitionis definitiua, quæ absque dubio ingerit in mentem cognitionem perfectam naturæ rei definitæ; & tamè definitio sæpè dari solet, non per causas, sed per conceptus essentiales, quales sunt generis, & differentia.

7 Secunda instantia est cognitionis demonstratiua, quæ cum ita determinet intellectum ad assentiendum conclusioni, vt dissentire non possit, nulli dubium erit, quòd sit perfecta

cog-

cognitio; & tamen ex Arist. 2. Post. c. 11. textu 11. per quodlibet genus causæ fieri possunt demonstrationes.

8 Tertia instantia est mathematicarum, & metaphysicæ, quæ reuera sunt cognitiones perfectæ; (aliàs nomen scientiarum non usurparent) & tamen scientiæ istæ non demonstrat suas conclusiones per omnia genera causarum; vt in annotationibus u. 1. dicebamus.

9 Pro decisione huius quæstionis, primò annotandum est ex Scoto loco citato, §. *Quantum ad secundum*, cognitionem habitam per causas obiecti esse in duplici differentia. Nam vna est incomplexa, sic dicta, quia per terminos incomplexos notitiam naturæ sui obiecti in mentem ingerit: talis est omnis cognitio, quam definitiuam appellamus. Alia est complexa, sic appellata, quia per terminos complexos, id est, per propositiones deducendo vnã ex alia, passionem, quæ conueniunt suo obiecto, nobis manifestat: talis est cognitio, quam appellamus demonstratiuam. In præsentem ergo, cum inquirimus, vtrum cognitio perfecta cuiuscumque rei, quæ fit per causas, omnium causarum cognitionem deposcat? sermo est de cognitione, tam complexa, seu demonstratiua, quam incomplexa, seu definitiua. Nã quãuis Arist. in textu solùm loquatur de cognitione complexa, seu demonstrati-

ua; (ob rationem, quam adduximus in annotationibus numero 8.) tamè eadè difficultas esse potest de cognitione incomplexa, seu definitiua; cum hæc etiam haberi possit per causas.

10 Secundo annotandum est, duplicem perfectionem nos posse excogitare, in cognitione, tam incomplexa, seu definitiua, quam complexa, seu demonstratiua. Vnã, quæ illi conuenit ex modo tendendi in obiectum; & alteram, quæ illi accrescit ex maiori penetratione obiecti. Inter quas hoc discrimen reperitur, quòd perfectio, quæ accrescit ex maiori penetratione obiecti, attenditur penes hoc, quòd plures, vel pauciores causas, aut proprietates obiecti cognoscamus. At perfectio, quæ conuenit cognitioni ex modo tendendi in obiectum, non attenditur penes hoc, quòd plures, vel pauciores causas, aut proprietates obiecti cognoscamus; sed, si est incomplexa, penes hoc, quòd species quibus medijs obiectum cognoscimus, ipsum magis, vel minus perfecte representent: & si est complexa, penes hoc, quòd fiat per medium magis, vel minus determinans intellectum ad conclusionis assensum.

11 Vnde in hoc ultimo genere perfectionis inter cognitiones incomplexas, intuitiua dicitur perfectissima omnium, etiam si per ipsam non cognoscimus omnes causas, aut proprie-

proprie-

prietates obiecti; eò quòd fit per species, quæ repræsentant obiectum, vt est in se præsens, & existens. Et inter cognitiones complexas demonstratiua dicitur omnium perfectissima, etiam si solùm fiat per vnicum genus causæ; eò quòd medium demõstrationis adeò firmiter, & euidenter determinat intellectum ad assentiendum conclusioni, vt nullo modo possit ab ea dissentire.

12 Hanc doctrinam tradidit nobis Doctõr subtilis loco citato, dum §. *Quantum ad primum* loquens de cognitione complexa dicit, quòd aliquid sciri potest dupliciter. Vno modo vt conclusio, & alio modo vt res significata per terminos conclusionis; & ad prioris cognitionis perfectionem requirit, quòd intellectus determinetur ad assentiendum firmiter, & euidenter conclusioni. Ad posterioris verò perfectionem, quòd res sciatur secùdum omnem modum considerandi, quo possibile est, rem illã considerare; & secundum omnes proprietates; & conditiones conuenientes sibi, & possibiles conuenire secundum aliquem dictorum modorum considerandi.

13 Tertiò annotandum est, quòd loquendo de perfectione, quæ accrescit cognitioni ex maiori penetratione obiecti, adhuc cognitio, tam incomplexa, quam complexa, potest

dupliciter perfecta appellari, scilicet, simpliciter, seu in omni genere cognitionis; & secùdum quid, seu in aliquo determinato genere, aut causæ, aut sciẽtiæ. Et quamuis aliqui cognitionem, quæ est perfecta simpliciter, seu in omni genere cognitionis confundant cum cognitione comprehẽsiua: tamen ex Scoto in 3. d. 14. q. 2. §. *Ad primum* lit. F. etiam requiritur ad comprehensionem, quòd intellectio, & obiectum intellectum in intensiõne adæquantur, id est, quòd tanta sit vis intelligendi in intellectu in actu primo, & in intellectu in actu secundo, quanta est intelligibilitas ipsius obiecti, quòd intelligitur.

14 Demum quartò annotandum est, causas esse in duplici differentia; nam quædam sunt per se; quædam verò per accidens. Per se dicuntur, quæ reuera influunt in effectũ, siue immediatè, siue mediatè: quas ad quatuor genera reduxit Aristot. (vt ex dicendis super secũdum librum constabit) scilicet, ad efficientem, ad finalem, ad formalem, & materialem. Ex quibus efficiens, & finalis sunt extrinsecæ ipsi effectui; formalis verò, & materiales intrinsecæ. Per accidens vero dicuntur, quæ in effectum nõ influunt; habent tamen aliquam coniunctionem accidentalem cum causis influentibus: tales sunt respectu generationis homi-

minis, quòd pater generans sit grammaticus, aut geometra. 15 His annotatis, si sermo sit de perfectione, quæ conuenit cognitioni ex modo tendendi in obiectum, dicendum est, neque ad cognitionis incomplexæ perfectionem, neque ad perfectionem cognitionis complexæ, omnium causarum obiecti notitiam deponci. Vtramque partem huius asserti tradidit nobis Scotus. loco citato: priorem, quæ procedit de perfectione cognitionis incomplexæ, §. *Nunc est prima conclusio*; vbi hoc ostendit instantia visionis, qua video albedinem, quæ ex modo tendendi in obiectum perfectissima est, cum sit intuitiua, & per species repræsentantes obiectum, vt est in se præsens, & existens: & tamen per hanc visionem non cognoscimus omnes causas albedinis. Quod vltimum probat Scotus ex eo, quòd nõ plus cognosco modò per visionem istam albedinis, quàm si albedo ista esset ab æterno: & tamen, si esset ab æterno, nõ cognoscerẽ causam illius efficientem: ergo neque modò.

16 Posteriorẽ verò partem, quæ procedit de perfectione cognitionis complexæ, §. *Ex hoc ponuntur conclusiones*; vbi hoc demonstrat instantia demõstrationis, quæ ex modo tendendi in obiectum perfectissima est; cum medium illius ita firmiter, & euidenter determinet

intellectum ad assentiendum conclusioni demonstratæ, vt ab illa dissentire non possit. Et tamen ex Arist. 2. Post. (vt in secunda instantia pro secunda ratione dubitandi adducta dicebamus) demõstratio fieri potest per vnicum genus causæ, nec opus est, quòd fiat per omnia genera causarum. 17 Et ratio à priori vtriusque partis nostri asserti est; quia (vt numero 10. huius quæstionis dicebamus) perfectio hæc non attenditur penes hoc, quòd plures, aut pauciores causas, aut passiones obiecti cognoscimus: sed, si cognitio est incomplexa, penes hoc, quòd species, quibus medijs intellectus tendit in obiectum, ipsam perfectissimè repræsentet: & si complexa, penes hoc, quòd medium, quo intellectus assentitur conclusioni, ipsum firmiter, & euidenter determinet ad assensum. Sed dari potest cognitio incomplexa, in qua species perfectissimè repræsentent obiectum, non repræsentatis omnibus illius causis; vt contingit in visione albedinis; (& idem poterat exemplificari in multis cognitionibus intuitiuis) & similiter dari potest cognitio complexa, in qua mediũ firmiter, & euidenter determinet intellectum ad assensum conclusionis absque notitia omnium causarum obiecti; vt contingit in demõstratione habita per vnicam tantum cau-

fam. Non ergo requiritur ad cognitionis incomplexæ, neque ad complexæ perfectionem, quæ oritur ex modo tendendi in obiectum, omnium causarum notitia.

18 Si verò sermo sit de perfectione, quæ accrescit cognitioni ex maiori penetratione obiecti, dicendum est primò neque in complexam, seu definitiuam cognitionem, neque complexam; seu demonstratiuam ad sui perfectionem exposcere notitiam causarum per accidens subiecti. Ratio est, quia ex Arist. 2. Metaph. cap. 4. sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Sed nulla res in suo esse dependet à causis per accidens: ergo neque in cognitione, seu penetratione sui esse ex cognitione causarum per accidens poterit dependere. Quibus accedit, quòd huiusmodi causæ, cum pro circumstantiarum occursum varientur, & earum plures in utramque partem eueniant, nequeunt sub certâ mentis notionem cadere; ac proinde neque ad definiendum, neque ad demonstrandum assumi debent.

19 Dicendum est secundò, ad cognitionem perfectam simpliciter, & in omni genere, tam incomplexam, seu definitiuam, quam complexam, seu demonstratiuam, omnium causarum, tam intrinsecarum, quam extrinsecarum, notitiam deponi. Hæc assertio est omnium

interpretum. Excipe Conimbricenses, qui hic quæst. 1. art. 1. assertionem 2. tenent, ad cognitionem definitiuam absolutam, & simpliciter perfectam sufficere cognitionem causarum internarum. Est autem expressa Scoti loco citato, §. *Secunda conclusio*.

20 Aduertit autem subtilis Doctor, (quod plures difficultates, quæ ex hac assertionem emergi poterant, dissolvit) non esse necessarium, ut notitia ista omnium causarum (quæ ad cognitionem perfectam simpliciter, & in omni genere requiritur) sit distincta, sed sufficit confusa, id est, non esse necessarium ad hoc, ut ego cognoscam cognitionem simpliciter, & in omni genere perfectam hominem, quòd cognoscam determinatè esse genitum à Socrate; aut quòd cognoscam distinctè omnes illius partes eiusdem rationis; sed sufficere, quòd cognoscam omnes partes, & causas hominis specie distinctas sub nomine, seu conceptu specifico ipsarum.

21 Probari potest hæc nostra assertio. Primò rationibus Scoti. Prima est. De aliquo causato non habetur perfectè scientia simpliciter, & in omni genere, donec cesset omnis quæstio dubitabilis, quæ est de ipso scibilis. Sed hoc non fit quòvisque cognoscamus omnes illius causas, tam intrinsecas, quam extrinsecas: ergo ad cog-

ni-

nitionem perfectam simpliciter, & in omni genere cuiuscumque causati notitia omnium causarum exposcitur.

22 Secunda. Ad cognitionem istius effectus necessarium est cognoscere causam aliquam. Sed causa illa cognoscitur per suam causam: ergo, cum causæ sint sibi inuicem causæ, necessarium erit ad cognitionem cuiuscumque effectus simpliciter, & in omni genere perfectam agnoscere omnes illius causas.

23 Secundò probari potest; quia (ut supra nu. 18. ex Arist. dicebamus) sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Sed in esse dependet ex omnibus causis, tam intrinsecis, quam extrinsecis: ergo, ut cognoscatur cognitione simpliciter, & in omni genere perfecta, prædicta cognitio erit etiã dependens ex cognitione omnium causarum, tam intrinsecarum, quam extrinsecarum.

24 Vnde Arist. sæpè res definit non solum per causas intrinsecas, sed etiam per extrinsecas; ut videri est 1. Post. cap. 2. ubi demonstrationem definit per causam finalem; & 2. de Anima cap. 8. text. 9. ubi vocem definit per causam efficientem; & 2. lib. huius operis cap. 7. text. 70. & 8. Metaph. cap. 4. text. 12. affirmat, Physicum per omnia causarum genera demonstrare. Et 2. Post. cap. 11. textu 11. nullum causæ genus à demonstratione excludit. Et verbis in principio huius quæstionis relatis affir-

mat, tunc nos rem perfectè cognoscere, cum causas primas, & principia prima usque ad elementa nouerimus.

25 Dicendum est tertio ad cognitionem, tam incomplexam, seu definitiuam, quam complexam, seu demonstratiuam in aliquo genere scientiæ perfectæ, etiam requiratur notitia omnium causarum, tam intrinsecarum, quam extrinsecarum, quæ ad huiusmodi scientiam attineant; non tamen requiri cognitionem causarum, neque intrinsecarum, neque extrinsecarum, quarum consideratio ad huiusmodi scientiam non spectat, sed ad alias. Ita Scotus loco citato, §. *Tertia conclusio*, & communiter interpretes. Et prior pars est, quam intendit Arist. in verbis in principio relatis; atque ipsam, proportionem seruata, probant omnia, quæ adducta sunt pro assertionem præcedenti.

26 Posterior verò pars est meo videri perspicua; siquidem à qualibet scientia illæ dumtaxat causæ, quæ ad eam spectant, postulandæ sunt. Alioquin cogentur artifices extra res sibi subiectas vagari, & in alienos terminos transilire.

27 Vnde benè inferunt Conimbricenses, posse physicum in suo genere perfectam rerum naturalium obtinere scientiam, quamuis communia quædam earum attributa, quorum conceptus abstrahunt à materia sensibili, atque adeo physicam

d

tra-

tractationem excedunt, non pernoscant, ut, quid substantia sit? quid ens? aliaque huiusmodi; quæ etsi ad rerum naturalium essentiam pertineant, sunt tamen non physici, sed metaphysici instituti.

28 Id, quod dictum est de cognitione, tam definitiua, quam demonstratiua in aliquo determinato genere scientiæ, scilicet, solum exigere ad sui perfectionem notitiam causarum, tam intrinsecarum, quam extrinsecarum, quæ ab illa scientia adhiberi possunt, de cognitione etiam tam definitiua, quam demonstratiua in aliquo determinato genere causæ accipiendum est.

Neque enim, ut quis, v. g. obtineat perfectam hominis cognitionem in genere causarum intrinsecarum, oportet, causas illius extrinsecas cognoscere, ut satis est manifestum.

29 Solum est aduertendum, hanc cognitionem perfectam rei, quæ, ut talis sit, in aliquo speciali genere scientiæ, notitiam omnium causarum, quæ ab illa scientia adhiberi possunt, exposcit, si sit definitiua, aliquando tradi pluribus definitionibus continentibus plura genera causarum; aliquando vero vnicæ definitione complectente omnia genera causarum. Etsi sit demonstratiua, aliquando tradi pluribus demonstrationibus, quarum quælibet continet suum genus, causæ: aliquando vero vnicæ demonstratione continete pro-

medio omnia genera causarum, ex quibus demonstrari potest tale attributum.

30 Ad primam rationem dubitandi, quæ desumpta fuerat ex aliquibus inconuenientibus, quæ exoriri videbantur ex eo, quod perfecta rei cognitio omnium causarum notionem deposceret, respondetur. Ad primum optimè respondet Scotus concedendo, nullum posse habere scientiam naturalem perfectam de aliqua re, nisi habeat cognitionem de Deo, non sub isto conceptu *Deus*, sed sub isto, *primum agens*, aut *primum mouens*; qua ratione determinatur de ipso in scientia naturali.

31 Et cum obijcitur, plures res naturales facile cognosci, Deum autem esse difficile cognoscibilem; respondet, solum ex hoc inferri, plures res naturales à nobis cognosci imperfectè, & consequenter independenter à cognitione Dei; nam cognitione perfecta, quæ est, quæ dependet à cognitione Dei, res naturales difficile cognoscuntur, sicut & ipsemet Deus difficile cognoscibilis est.

32 Ad secundum optimè etiam respondet Scotus negando sequelam; & ad probationem dicimus, quod etiam si in via Aristot. ponentis mundum ab æterno, cuiuslibet res darentur infinitæ causæ efficientes subordinatæ; non tamen inde sequitur, esse necessarium ad cognoscendum perfectè aliquam rem cog-

nos-

noscere infinita. Tum, quia illæ causæ, etsi sint per se (cum re vera influant in effectum, saltem mediatè) sed non sunt subordinatæ per se, & essentialiter, sed per accidens: quandoquidem independenter omnino ab actuali earum concursu, qui tunc minimè stabat, quælibet res à sua immediata causa producta est perinde, ac si aliæ mediatæ nunquam præcessissent. Ad cognitionem autè perfectam cuiuslibet rei, etsi requiratur cognitio causarum, sed non per accidens subordinatarum, licet alioquin sint causæ per se.

33 Tum etiam, & præcipuè, quia causæ illæ essent eiusdem rationis specificæ in causando; & ad cognitionem perfectam alicuius rei non est opus (ut ex Scoto num. 20. animaduertebamus) quod cognoscamus illius causas, aut partes eiusdem rationis distinctè, & quamlibet seorsim per conceptum sibi proprium: sed sat est, quod cognoscantur confusè sub conceptu communi specifico causandi; quod in dicto casu quilibet præstare posset per hoc, quod cognosceret, rem illam esse productam ab efficiente sibi simili; qui est conceptus specificus causandi; in quo omnes illæ infinitæ causæ conueniunt.

34 Per hoc etiam patet responsio ad instantias de continuo; de potentia intellectiua animæ, & de materia prima. Respondetur enim, non esse neces-

sarium ad perfectam cognitionem continui, quod partes illius proportionales distinctè cognoscantur; sed satis est, quod cognoscantur confusè, & sub conceptu communi specifico integrandi: qualis est, partes illas esse continuas, & diuisibiles in semper diuisibilia. Et similiter ad cognitionem perfectam materiæ primæ non est necessarium, quod cognoscantur omnes formæ, ad quas dicit potentiam passiuam, distinctè; sed sat est, quod cognoscantur confusè, & sub conceptu communi specifico terminandi illam potentiam, qualis est formæ amissibilis. Hæc enim est ratio, propter quam secundum aliquos distinguitur specie materia sublunaris à materia cælorum. Et demum, ut potentia intellectiua animæ perfectè cognoscatur, non est necessarium, quod cognoscantur distinctè omnia objecta materialia illius; sed sat est, quod cognoscantur confusè, & sub conceptu communi objecti formalistalis potentia, qualis est conceptus entis, vel conceptus veri; nam solum objectum formale est, quod specificat potentias.

35 Ad tertium etiam optimè respondet Scotus concedendo, necessarium esse ad perfectam cognitionem ignis cognoscere illaria; sed non distinctè, sed confusè: id est, necessarium esse cognoscere, quod ignis sit producibilis à quolibet illorum, sed nõ

oportere cognoscere in speciali, an sit genitus à lumine, an à calore, an ab alio igne; sicuti ad cognitionem Platonis non oportet cognoscere, an genitus sit à Socrate, an à Ruberto.

36 Ad quartum etiam optimè respondet Scotus, solum esse inconueniens, & contra Aristot. loco citato cognoscere vnum ex alio circulariter, in eodem genere sciendi, sed non in diuersis, sicut in præsentibus contingit; nam cognoscere causas ex effectibus est processus *quia*; & è cõtra cognoscere effectus per causas est processus *propter quid*.

37 Ad secundam rationem dubitandi, quæ desumpta erat ex tribus instantiis, respondetur. Ad primam dicimus, definitiones, quæ dantur per genus, & differentias, esse quidem cognitiones perfectas in aliquo genere scientiæ, scilicet, in genere metaphysico; non verò simpliciter, & in omni genere; siquidem eadem res, quæ metaphysicè definitur per genus, & differentiam, potest adhuc magis penetrari, si in alio genere scientiæ (scilicet physico) definiatur per formam, & materiam. Et sic, hanc instantiam non impugnare id, quod docuimus numero 19. sed potius confirmare id, quod statuimus numero 25.

38 Ad secundam instantiam respondetur, ex eo, quod demonstratio (etiam si sit facta per vnum tantum genus causæ) ita determinet intellectum ad conclu-

sionis assensum, vt ab eadissentiri non possit, conuinci manifestè id, quod statuimus numero 15. scilicet, ad perfectionem, quæ conuenit cognitioni demonstratiuæ ex modo tendendi in obiectum, non esse necessarium, quod fiat per omnes causas, seu quod cognoscantur omnes causæ. Non tamen impugnari id, quod numero 19. docuimus, scilicet, ad cognitionis perfectionem, quæ aduenit ex maiori penetratione obiecti, vt sit talis simpliciter, & in omni genere (sive cognitio sit definitiua, sive demonstratiua) omnium causarum notitiam exposci.

39 Ad vltimam instantiam dicimus, probare id, quod numero 25. statuimus, scilicet, ad cognitionem, tam definitiuam, quam demonstratiuam perfectam in aliquo genere scientiæ non requiri cognitionem omnium causarum, sed illarum tantum, quæ ab illa scientia adhiberi possunt.

QVÆSTIO IV.

Utrum in vniuersum sit verum, non nobis atque natura eadem nota?

1 Postquam Aristot. text. 2. huius primi capituli docuisset, insitum naturaliter esse, vt ex his, quæ nobis magis sunt nota, & manifesta, ad ea, quæ natura sunt notiora, & manifestiora, procedamus, subdit hæc verba: *Nō enim nobis, atque simpliciter* (id

(id est, natura) eadem nota.

2 Quæ verba occasionem tribuerunt interpretibus, vt in præsentibus exagitant, an sint vniuersaliter accipienda ita, vt nunquam contingat, esse notiora nobis ea, quæ natura sua sunt notiora? an verò solum indefinitè, & quia vt in plurimum sic contingat, esto in aliquibus occasionibus oppositum eueniat?

3 Et sermo est de notioribus via generationis & originis, quia de hac via loquitur Aristot. (vt in annotationibus numero 12. animaduertimus) nam de notioribus via perfectionis, seu intentionis nulli dubium est, quod ea, quæ natura sunt notiora, possint esse notiora, etiam quoad nos siquidem hac via notius natura dicitur totum actuale, quam eius partes: quod esse etiam nobis notius quam eius partes ex Aristot. & per rationem Scoti ostendimus quæstione 2. numero 17. & 18.

4 Cui dubitationi breuiter dicendum est, cum Scoto q. 4. super 1. Physicorum, §. De tertio, & §. Secunda conclusio, prædictam propositionem (quæ etiã habetur apud Aristot. 1. Post. textu 5. vt videri est in verbis, quæ retulimus in annotationibus numero 11.) non esse vniuersaliter accipiendam; sed prolatam fuisse ab Aristot. quia in scientia naturali, de qua erat sermo, vt in plurimum sic cõ-

tingit. Quod efficaciter probat Scotus ex eo, quod aliquando causæ sit nobis notiores, quam earum effectus: ergo aliquando eadem sunt nobis notiora, & natura, Tenet cõsequentiã; nam (vt in annotationibus n. 9. dicebamus) ex Aristot. 6. Top. c. 3. semper causæ sunt notiores natura suis effectibus. Antecedens verò ostendit Scotus duabus instantiis.

5 Prima est cæli, quod causa est influentiæ cælestis; & tamen nobis notius est ipsa influentia. Secunda est hominis, qui est causa actus intelligendi; & tamen homo notior est nobis, quam eius actus intelligendi. Et idem poterat ostendere instantia adamantis, (quæ posuit in argumento tertio eiusdem quæstionis) qui causa est illius virtutis, qua mediante attrahit ferrum; & tamen nobis notior est ipsa virtute. Et similiter instantia obiectorum sensum exteriorum, vt sunt color, sapor, odor, &c. quæ causæ sunt specierum intentionalium, quibus median- tibus à sensibus percipiuntur, & tamē notiora sunt nobis prædictis speciebus; cum prædicta obiecta nullus sanæ mentis negauerit, species autem intentionales nec pauci, nec indocti viri de medio sustulerint.

6 Aduertit autē Scotus, quod etiam si in scientia naturali, (vt dictum est) vt in plurimum contingat, quod non sint nobis, & natura eadem

nota, & raris euentibus contrarium; tamen in alijs scientijs (excepta metaphysica, quæ disputat de substantijs separatis) è contrario euenire; nam in alijs scientijs, seu disciplinis, vt in plurimum contingit, quòd eadem sint nobis, & natura notiora.

7 Quod probat inductione; nã principia mathematicarum, vt sunt, *totum est maius sua parte; si ob equalibus equalia demas, quæ remanent, sunt equalia* (de quibus in annotationibus num. 2. dictum est, non tam esse principium esse, quàm intelligendi) sunt notiora nobis, quàm cõclusiones, quæ ex ipsis deducuntur; & tamen, cum sint causæ conclusionum, quæ ex ipsis deducuntur, erunt etiam natura notiora ipsis conclusionibus. Item in Logica termini sunt nobis notiores, quàm argumentationes; & tamen, cum sint causæ, & elementa, ex quibus argumentationes coalescunt, erunt etiam natura ipsis argumentationibus notiores. Deinde in Grammatica litteræ, & syllabe sunt nobis notiores, quàm orationes, & tamen, cum sint causæ, & elementa, ex quibus rationes constantur, erunt etiam natura notiores ipsis orationibus. Et demum in scientia morali actus humani notiores sunt nobis, quam virtutes, quæ ex ipsis generantur, qui eò ipso, quòd sunt causæ virtutum, erunt etiam natura ipsis virtutibus notiores.

8 Quòd si optes cognoscere regulam generalem ad discernendum, quando in aliqua scientia eadem erunt nobis, & natura notiora; hanc teneas. Si principia, seu causæ, quæ cognoscuntur, sunt incõplexa, tunc erunt, non solum natura, sed etiam quoad nos notiora suis principiatis, seu effectibus: cum fuerint suis principiatis, seu effectibus sensibilibiora; vt in omnibus instantijs principiorum in complexorum adductis manifestum est.

9 Vnde Arist. 6. Top. cap. 3. (vt in annotationibus num. 9. animaduerti) etsi absolutè dixerit, via generationis, & originis esse notiora natura, quæcumque sunt priora alijs, & à quibus dependent alia; tamen è contrario non dixit absolutè esse notiora quoad nos, quæ sunt posteriora alijs, & quæ dependent ab alijs, sed cum hac limitatione; quoties hæc posteriora, & dependentia magis sub sensibus cadunt; nã, si priora, & à quibus alia dependent, sint sensibilibiora, quasi certum præsupponit, non solum esse notiora natura, sed etiam quoad nos.

10 Si verò principia, quæ cognoscuntur, fuerint complexa, vt sunt in mathematicis, *totum est maius sua parte; si ab equalibus equalia demas, quæ remanent, sunt equalia*; & in metaphysica, *quodlibet est, vel non est*; tunc erunt non solum natura, sed etiam quoad nos

ad nos notiora; cum ex ipsis terminis, & seclusa quacumque alia cognitione complexa, magis nata sint determinare intellectum ad assensum verum, quàm sunt alia complexa, quæ ex ipsis deducuntur. Quod quia ferè semper contingit, & in mathematicis, vt in plurimum nõ sunt alia principia, nisi hæc complexa, idèõ communiter docent auctores, in mathematicis vt in plurimum principia esse & nobis, & natura notiora.

21 Et ratio à priori huius regulæ est, quia (vt docet Scotus quæst. 4. super 1. Physicorum, §. *Quantum ad primum*, versiculo *Secundo notandum est*) omnis nostra cognitio intellectiva originatur in nobis altero duorum modorum, scilicet; aut ex sensibus (vt contingit in cognitione incomplexorum) aut naturali inclinatione intellectus circa verum, & contingit in cognitione complexorum. Ergo loquendo de incomplexis illud erit via originis magis notum quoad nos, quod sub sensibus magis cadit: quod si contingat esse principium, erit etiam simul notius natura. Et loquendo de complexis, illud erit via originis magis notum quoad nos, quod magis ex ipsis terminis, & seclusa quacumque alia cognitione complexa natum est determinare intellectum ad assensum verum,

& consequenter eius appetitum, seu inclinationem fatiare: & si contingat esse principium, erit etiam simul notius natura.

12 Quòd si aliquis obijciat; natura magis vniuersalis (quæ quid incomplexum est) non solum natura est notior naturis minùs vniuersalibus (est enim vnum ex elementis, seu principijs, quæ naturas minùs vniuersales essentialiter cõponunt) sed etiã est notior quoad nos (vt ex Arist. habemus in tex. 4. huius capituli) & nihilominus non est magis sensibilis, quàm naturæ minùs vniuersales; sed potius minùs; cum remotior sit à sensibus teste Aristot. 1. Post. text. 5. ergo prior pars regulæ à nobis traditæ ad cognoscendum, quæ sint in aliqua scientia simul nobis, & natura notiora, non est vniuersalis.

13 Respõdetur, nunquam naturam magis vniuersalem esse nobis simul, & natura notioram in eodem genere cognitionis; nã in cognitione actuali, quæ est, quæ datur via definitionis, & si natura magis vniuersalis sit notior natura ipsis naturis minùs vniuersalibus, eò quòd sit pars ipsas metaphysicè componens; tamen in hoc genere cognitionis non est notior nobis, sed potius notiores nobis sunt ipsæ naturæ minùs vniuersales; quæ respectu naturarum magis vniuersalium habent rationem to-

tius; & consequenter sunt, quid confusum.

14 In cognitione autem potentiā (quæ est, quæ datur via diuisionis) licet natura magis vniuersalis sit notior quoad nos naturis minus vniuersalibus, quas continet in potentia subiectiua (vt docuit Arist. textu 4. citato, & probauit ex eo quod, vt sic, sit quoddam totum, & quid confusum) tamen in hoc genere cognitionis natura magis vniuersalis, non est notior natura ipsis naturis minus vniuersalibus, quas in potentia subiectiua continet; sed potius è cōtra: siquidem in isto genere cognitionis naturæ minus vniuersales habent rationē partium, seu causarum, & natura magis vniuersalis habet rationem totius.

15 Vnde valde allucinantur non pauci recentiores, qui ad probandum, propositionem illam Arist. *non sunt nobis, & natura eadem nota*, non esse vniuersalem, sed indefinitam, vtuntur instantia naturæ magis vniuersalis ad sua inferiora comparatæ. Licet enim natura magis vniuersalis sit & natura, & nobis notior suis inferioribus, sed non in eodem genere cognitionis (de quo est difficultas) sed in diuersis: quod in præ-

senti non controuertitur.

QVÆSTIO V.

Quid sit à nobis primò cognitum pro hoc statu?

1 O Ccasionem dedit ad excitandam hanc controuersiam Arist. text. 4. huius capituli, dum dixit, in principiorū cognitione incipiendum esse ab vniuersalioribus, quia incipiendum est à notioribus nobis; & vniuersaliora, cum sint magis confusa, & quoddam totum, sunt nobis notiora. Exagitat autem eam ex professo Doctor Subtilis in 1. d. 3. q. 2. à §. *Ad secundam questionem.*

2. In cuius principio aduertit, quod etiam si tripliciter possit aliquid appellari primo cognitum. Primò via generationis, seu originis; secundò via perfectionis (quarum duarū prioritatum meminit Arist. ipsalque contrapofuit 9. Metaph. text. 15. dum dicit; *quæ sunt priora secundum generationem; sunt posteriora secundum substantiam*, id est, *perfectionem*) tertio via adæquationis (cuius meminit Aristot. 1. Post. text. 11. dum in definitione vniuersalis *primum* accipit duobus modis, scilicet, vt dicit præcisionem, & vt dicit adæquationem) tamen in præsentī questione solum est sermo de primò cognito via originis, seu generationis.

3 Nam primò cognitum via perfectionis certum est esse Deum. Siquidem Deus est perfectissimum obiectum ex his, quæ

quæ ab intellectu nostro possunt cognosci. Et primò cognitum via adæquationis certum est esse (si ad naturam nostræ potentie intellectiue attendas) ens comunissimè sumptum: & (si potentia intellectiua consideretur pro hoc statu, in quo in sua intellectione pendet à sensibus) quidditas rei sensibilis: siquidem obiectum adæquatum motuum nostræ potentie intellectiue (si potentia secundum suam naturam attendatur) est ens in tota sua latitudine sumptum: & (si consideretur pro hoc statu, in quo in sua intellectione pendet à sensibus) quidditas rei sensibilis: vt docent Arist. 9. Metaph. cap. 11. text. 20. & Scotus 1. sententiarum, dist. 3. quæst. 3. litt. B. & quolib. 14. art. 2. litter. Q. & P. & multis alijs in locis.

4 Aduertit præterea Scotus, in hac via generationis, seu originis (de qua procedit præsens quæstio) tria posse exagitari. Primum, quid sit in ista via primò cognitum in cognitione actuali? Secundum, quid sit primò cognitum in cognitione habituali? Tertium, quid sit primò cognitum in cognitione virtuali? 5 Et quia loquendo de primo cognito in cognitione actuali dupliciter fieri potest comparatio; primò inter solas naturas vniuersales; secundò inter naturas vniuersales, & singulares; idè nos, vt omnia, quæ docet Scotus, exactè, & distinctè at-

tingamus, tria sigillatim discutiamus. Primum, *quid sit à nobis pro hoc statu primò cognitum in cognitione actuali, facta comparatione inter naturas solas vniuersales?* Secundum, *quid sit à nobis pro hoc statu primò cognitum in cognitione actuali, facta comparatione inter naturas vniuersales, & singulares?* Tertium, *quid sit à nobis pro hoc statu primò cognitum in cognitione, tam habituali, quàm virtuali?*

SECTIO I.

Explicatur, quid sit à nobis pro hoc statu primò cognitum in cognitione actuali, facta comparatione inter solas naturas vniuersales.

6 **N**ON procedit præses quæstio de primo cognito in cognitione actuali complexorum. Tum quia quærimus de eo, quod est via generationis, seu originis absolute, & simpliciter primò cognitum; & manifestum est, cognitionē complexorum supponere apprehensionē incomplexorum, ex quibus coalescunt, cum absque apprehensione incomplexorum, nō possumus ad cognitionē complexi, quod ex ipsis coalescit, deuenire.

7 Tum etiam, quia, cum inter complexa illud dicatur à nobis via generationis, seu originis primò cognitum (vt ex Scoto, questione præcedenti n. 11. dicebamus) quod ex ipsis terminis, & seclusa quacūq; alia priorī cognitione complexa, magis natū est determinare intellectū

ad assensum verum; & consequenter eius naturalem appetitum, seu inclinationem satiare; absque dubio dicendum erit, complexa vniuersaliora (vt est in Metaphysica, *quodlibet est, vel non est*; & in mathematica, *totum est maius sua parte*; & in Philosophia naturali, *natura est principium motus, & quietis, &c.*) esse quoad nos via generationis, seu originis prius cognita, quàm complexa minùs vniuersalia, quæ ex ipsis inferuntur: siquidem complexa vniuersalissima ex ipsis terminis, & seclusa quacūque alia priori cognitione cōplexa, nata sunt determinare intellectum ad assensum verum. At complexa minùs vniuersalia, quæ ex ipsis deducuntur, non ita; cum necessarium sit ad hoc, vt determinēt intellectum ad assensum verum, vt præsupponatur cognitio cōplexorum magis vniuersalium, ex quibus inferuntur, & in quibus virtualiter cōtinentur.

8 Item non procedit præsens quæstio de primò cognitio in cognitione actuali, facta comparatione inter duas res incomplexas; sic enim etsi possit assignari certā regula inter substantiam, & ipsius accidentiæ; nam, cum omnis cognitio substantiæ pro hoc statu pendeat ex cognitione suorum accidentium, dicendum erit cōsequenter, accidentia via generationis à nobis prius cognosci pro

hoc statu, quàm substantiam. Et idem erit iudicium de qualitatibus, quæ sunt per se sensibiles, vt sunt tertiæ, & quartæ speciei, comparatæ ad qualitates, quæ per se non sunt sensibiles, vt sunt primæ, & secundæ speciei: siquidē cognitio istarū qualitatum dependet ex cognitione illarum per se sensibilibus. Tamen facta comparatione inter duas substantias, vt inter equum, & bouem; aut inter duas qualitates ex sensibilibus per se, vt inter colores, & odores; aut ex non sensibilibus per se, vt inter duos habitus, aut duas potentias naturales, non potest certa regula assignari; nam quòd ista substantia cognoscatur priusquàm illa, aut odor priusquàm color, aut iste habitus priusquàm alter, omnino est per accidens; & quia contingit, hæc obiecta prius origine, quàm alia intellectui medijs sensibus applicari.

9 Procedit ergo quæstio præsens de primò cognito in cognitione actuali, facta comparatione inter prædicata superiora, & inferiora essentialia eiusdem rei incomplexæ, siue sit accidens, siue substantia; an, scilicet, quando res aliquo intellectui media specie intelligibili cognoscenda obijcitur, intellectus prius origine prorumpat in cognitionem actualem prædicati essentialis vniuersalioris, vt est *ens*? an minus vniuersalis, vt est *species infima*?

10 Et adhuc restringenda est quæstio ad cognitionē actualē confusam. Tum quia querimus (vt in principio huius sectionis dicebamus) de eo, quod pro hoc statu via generationis absolutè, & simpliciter est primò cognitum: quod necessariò debet competere cognitio per cognitionem confusam; nam cognitionem confusam debere necessariò præcedere ad cognitionem distinctā eiusdem rei, docuimus ex Aristot. & Scoto quæst. 1. huius disput. numero 2.

11 Tum etiam, quia si sermo sit de cognitione distincta, fatentur omnes cum Scoto loco citato, §. *Loquēdo*. lit. N. cognitione distincta actuali prius à nobis cognosci naturas superiores, & magis vniuersales, quàm inferiores, & minùs vniuersales. E contra verò cognitione distincta potentiali prius à nobis cognosci naturas inferiores, & minùs vniuersales, quàm superiores, & magis vniuersales. Cuius ratio est, quia, cum cognitio distincta totius pendeat ex cognitione distincta partium, cognitione distincta prius debent à nobis cognosci partes, quàm totum. Cōstat autem, naturas superiores comparatas ad inferiores se habere, vt partes actuales essentialis, & inferiores, vt totum actuale. E contra verò naturas inferiores comparatas ad superiores se habere, vt partes to-

tius potentialis, & superiores, vt totum potentiale.

12 D. Thomas in proæmio huius quæstionis, & de ente, & essentia cap. 7. & 1. p. q. 85. arr. 3. & quàm plures alij, quos citant Conimbricenses quæst. 3. art. 1. & Rubius q. 4. pro viribus defendunt, primò cognitū via generationis pro hoc statu in cognitione actuali confusa esse naturam, seu prædicatum superius, scilicet, *ens*, non in tota sua latitudine sumptum; (cū enim noster intellectus pro hoc statu nihil intelligat, nisi per sensus, & sensus nihil per se, præter corpora, percipiant; nihil etiam intellectus per se, nisi corporeum intelligit; spirituaia verò per species corporū) sed concretum quidditate sensibili; siue, quod idem est, *ens corporeum*, siue corpus, quod est secundum prædicatum prædicamenti substantiæ.

13 Aduertunt autem Conimbricenses, hanc sententiam D. Thomæ ab auctoribus, qui eā secuntur, non eodem modo intelligi; nam quidam essentialē ordinem in communibus naturis, seu prædicatis concipiendis ponunt ita, vt necessariò intellectus primò concipiatur *ens corporeum*, deinde viuēs; postea sensibile, & tandem rationale; idque potissimè prouenire ex ipsa intelligibili specie, quæ huiusmodi naturas, seu prædicata, non æquè primò, sed ordine quodam repræsentat.

tat. Alij verò inter entis corporei dumtaxat perceptionem, & quamcumque aliam notitiam essentialem ordinem statuunt, ita, videlicet, vt ens corporeum necessario primò concipiatur: quid verò post illud concipi debeat, non possit certa, & statuta regula diffiniri.

14 Sed quidquid sit de ista còtrouersia, quod primò cognitum à nobis pro hoc statu via generationis sit natura, seu prædicatum superius, & vniuersalius, & consequenter ens, saltè concretum quidditate sensibili, probari solet. Primò ex Aristot. qui (vt in principio retuli) in textu 4. huius capituli expressè affirmat, in cognitione principiorum (quæ sunt, quæ primò cognoscuntur in scientijs, vt ipse docuerat textu 1.) incipiendum esse ab vniuersalioribus; quia incipiendum est à notioribus nobis; & vniuersaliora, cum sint magis confusa, & quoddam totum, sunt nobis notiora.

15 Secundò; (& est ratio, quã vitur D. Thomas) natura in his, quæ promouet de potentia ad actum, incipit ab imperfectis ad perfectiora (vt docet Arist. 9. Metaph. textu 15. & 8. huius operis textu 58. & manifestum est in generatione hominis: fetus namque vt constat ex 2. de Generatione animalium cap. 3. in utero matris primùm accipit animam vegetatricem, deinde sentientem; & vltimò

rationis compotem) sed intellectus noster, cum à principio sit, veluti tabula rasa, in qua nihil est depictum, (vt docet Aristot. 3. de Anima cap. 4. textu 14.) procedit de pura potentia ad actum intelligendi: ergo progreditur ab imperfectis ad perfectiora; atque adeò primò exprimet conceptum naturæ, seu prædicati magis vniuersalis; qualis est entis corporei, quia hic est imperfectissimus omnium, qui pro hoc statu per se à nobis haberi potest.

16 Tertio; notitia, quam vnaquæque potentia cognoscens primùm elicit, est sui adæquatè obiecti. Sed obiectum adæquatè intellectus (vt ex Arist. & Scoto numero 3. huius quæstionis dicebamus) est ens, vel in tota sua latitudine; (si potentia intellectiua secundum suam naturam spectetur) vel concretum quidditate sensibili: (si consideretur potentia intellectiua pro hoc statu, in quo in sua intellectione pendet à sensibus) ergo ens concretum quidditate sensibili, seu, quod idem est, ens corporeum erit à nobis primò cognitum pro hoc statu.

17 Et confirmatur; nam ens concretum quidditate sensibili pro hoc statu est ratio, propter quam alia cognoscuntur ab intellectu: ergo ens concretum quidditate sensibili erit nobis pro hoc statu primò cognitum. Patet consequentia; quia ex Aristot. 1. Post. cap. 2.)

prop-

propter quod vnumquodque tale, illud magis.

18 Quarto; inter obiecta còplexa principia vniuersalissima, vt sunt, *quolibet est, vel non est; impossibile est, idem simul esse, & non esse*, sunt à nobis via generationis prius cognita: (vt constat ex Aristot. 4. Metaph. cap. 3. text. 9. & ex supra dictis in hac sectione numero 7.) ergo etiam inter obiecta incomplexa via generationis primùm cognitum à nobis erit ens. Probo consequentiam; quia ens, & non ens sunt termini, ex quibus principia illa complexa vniuersalissima constant, & manifestum est, principijs illis nos assentire nò posse, nisi prius terminos illorū apprehēdamus.

19 Quinto, intellectus eo ordine progreditur in cognitione naturarum; seu prædicatorum vniuersalium, quo sensus in cognitione singularium. Sed sensus prius percipit singulare naturarum, seu prædicatorum magis vniuersalium, quàm singulare naturarum, seu prædicatorum minùs vniuersalium: ergo similiter intellectus prius cognoscet naturas; seu prædicata magis vniuersalia, quàm naturas, seu prædicata minùs vniuersalia. Maior patet, quia sicut intellectus noster pro hoc statu in sua cognitione pendet à sensibus, ita & in ordine cognoscendi. Minor probatur experientia; nam, si quis videat Socratem à longè venientem,

primò cōcipit, esse aliquod corpus, postea aliquod viuens, deinde aliquod animal.

20 Sextò; naturæ vniuersaliores sunt quædã tota potentialia respectu naturarum minùs vniuersalium, quas in potètia subiectiua cōtinēt. Sed cognitione cōfusa totum prius cognoscitur, quàm eius partes: (vt docet Aristot. in textu 4. huius capituli) ergo prius naturæ vniuersaliores, quàm minùs vniuersales à nobis cognitione confusa intelliguntur.

21 Septimò, & vltimò; illud vniuersale est à nobis prius cognitum, quod facilius abstrahitur: sed magis vniuersale facilius abstrahitur: ergo magis vniuersale prius cognoscitur. Minor probatur: nam cum abstractio sit, vnum intelligere, & relinquere aliud, facilius abstrahetur magis vniuersale; quia, cū paucioribus differentijs sit perfectum, quàm minùs vniuersale, ad illius abstractionem non est opus, vt intellectus tot concipiat, ac quando abstrahit minùs vniuersale.

22 Scotus verò loco citato; §. Loquendo, lit. K. per oppositum sustinet, primò cognitum pro hoc statu via generationis in cognitione actuali confusa esse speciem specialissimam illius singularis, quod efficacius, & fortius mouet sensum. Et hoc, supposito, quod singulare sit, in debita proportione præsens sibi. Verba Scoti sūt. Dico, quod

quod primum actualiter cognitum confusè est species specialissima, cuius singulare efficacius, & fortius primò mouet sensum, siue sit audibile, siue visibile, siue tangibile: quodcūque enim indiuiduum fortius mouet sensum, eius species primò cognita est cognitione confusa. Et hoc, supposito, quòd singulare sit in debita proportione præsens sensui.

23 Hanc Scoti sententiã sequuntur omnes eius discipuli, Lychetus, Mayronius, & Bargius super hunc locum Scoti, Antonius Andreas 1. Metaph. quæst. 10. Faber theoremate 83. Tartaretus super primum caput primi Physicorum art. 2. dubio 2. Pilosustom. 1. summæ theologiæ disp. 21. art. 2. Et ex alijs Conimbricenses hic quæst. 3. art. 3. qui pro ea citât Auerroem 3. de Anima commento 36. & 12. Metaph. cōmēto 4. Philoponum, & Themistium, tum hoc loco, tum ad finem 2. libri Post. Ammoniu in præfatione super Isagogem Porphyrij: immò D. Augustinum libro 8. de Trinitate cap. 5. & libro 9. cap. 6. secuntur etiam Toletus q. 3. Fonsæca 1. Metaph. q. 2. sect. 6. & plures alij, & est verior, & sequenda. Sed prius quàm ad ipsam comprobendam accedamus, aperienda nobis sunt duo, quæ in verbis Scoti obscura apparēt.

24 Primum est, quæ sint istæ species specialissimæ, inter quas facit comparationē Scotus, cum dicit, primum cogni-

tum in cognitione actuali cōfusa esse speciem specialissimam, non quàm cumque, sed illam, cuius singulare efficacius, & fortius mouet sensum. Et ratio dubitandi est; quia, si dicamus, esse species infimas rerum diuersarum, vt sunt species hominis, species equi, species albedinis, species dulcedinis, &c. Scotus extra chorum saltat: vt enim numero 8. dicebamus, cum inquirimus in hac quæstione, quid sit primò cognitum via generationis in cognitione actuali confusa? nō facimus comparationem inter diuersas res incōplexas, vt sunt species infimæ rerum diuersarum, sed facimus comparationem inter prædicata essentialia superiora, & inferiora eiusdem rei incōplexæ. Facta autem hac cōparatione malè loquitur Scotus appellando ista prædicata essentialia superiora, & inferiora species specialissimas: nam licet hoc possit verificari de prædicato essentiali omnibus inferiori; sed non de prædicatis essentialibus superioribus; cū ista potius induant rationem generis, vel speciei subalterna.

25 Pro decisione huius difficultatis primò notandum est ex Scoto in 4. d. 8. quæst. 2. cōclusionē 9. vnamquamque naturam, seu prædicatum vniuersale ex superioribus, seu genericis prius à nobis posse intelligi descendere ad sua propria, &

& incompleta indiuidua, quæ concipiatur contrahi per differentias essentielles ad suas species: v. g. natura, seu prædicatū vniuersale corpus prius potest à nobis concipi descendere ad propria, & incompleta indiuidua (puta ad istud, & ad illud corpus) quàm concipiatur cōtractum per differentiam essentialē animati ad esse viuētis; & per differentiam essentialē sensibilis ad esse animalis; & per differentiam essentialē rationalis ad esse hominis. Quod manifestè demonstrat Scotus ex eo quòd à remotis prius nos cōcipimus per visum aliquid esse corpus, quàm percipiamus esse viuens, & rationale: ergo, cum visus non terminetur ad corpus in vniuersali; sed in singulari, & indiuiduo, manifestè conuincitur, nos posse concipere, nō solum per intellectum, sed etiam per sensum, aliquam naturam, seu prædicatum vniuersale ex superioribus, & genericis cōtractum ad sua propria, & incompleta indiuidua prius, quàm percipiamus contractionem, quæ dicit per differentias essentielles ad suas species inferiores.

26 Secundò notandum est, inter naturam, seu prædicatū vniuersale ex superioribus, & genericis comparatum ad suas species, & inter eandem naturam, seu prædicatum vniuersale comparatū ad sua propria, & incompleta indiuidua, ma-

ximum interuenire discrimen. Nam comparatum ad species, ad quas per differentias essentielles cōtrahitur, induit rationem generis; nam non prædicat de illis totam ipsarum essentialiam, sed partem. At comparatum ad propria, & incompleta indiuidua, in quæ concipitur descendere, antequàm contrahatur per differentias essentielles ad suas species, induit rationē speciei specialissimæ: (vt ex professo in Logica cap. de Genere disp. vnica dubio 3. docuimus) siquidem prædicat de illis, non partem, sed totam illorum essentialiam: quod requisitum est ad speciem specialissimam, secundum prædicabile.

27 Ecce ergo solutionē difficultatis, quæ ex verbis Scoti ortum habuit. Respondetur enim, per species istas specialissimas non intelligere species infimas rerum diuersarum, sed prædicata essentialia superiora, & inferiora eiusdem rei incōplexæ; quorum superiora (cum consideret, non in ordine ad species, ad quas per differentias essentielles contrahuntur, sed in ordine ad propria, & incōpleta indiuidua, quæ sunt, quæ ad intellectionem prædicatorum prædicatorum essentialium mouent sensum) optimè appellat species specialissimas: siquidem, vt sic (vt visum est) nō generis, sed specialissimæ speciei rationē induit.

28 Et ita sensus Scoti verborum est; inter prædicata essentialia superiora, & inferiora eiusdem rei incomplexæ (siue sit substantia, siue accidens) quorum non solum infimum, sed etiam suprema, & intermedia comparata ad propria indiuidua species specialissimæ nūcupari debent, primum cognitum esse illud prædicatum, seu illam speciem specialissimam, cuius singulare, seu indiuiduum proprium efficacius, & fortius mouet sensum: quæ in sententia Scoti absque dubio est, non species specialissima prædicatorum essentialium magis vniuersalium, & superiorum; (puta entis, substantiæ, accidentis, corporis, qualitatis, &c.) Sed species specialissima prædicatorum essentialium minus vniuersaliū, & omnium infimorum (pura hominis, leonis, a'bedinis, dulcedinis, &c.) siquidem singularia propria prædicatorū minus vniuersalium, & omnium infimorum (vt docet ipse Scotus sub littera M.) sicuti sunt magis actualia, & perfecta, quam singularia propria prædicatorum magis vniuersaliū, & superiorum, ita & fortius, & efficacius, medijs suis speciebus intentionalibus (dummodo in debita proportione sint præsentia sensibus) sensus mouent.

29 Secundum obscurum in verbis Scoti est, quid intelli-

gat subtilis Doctor per debitā proportionem, cum dicit, doctrinam traditam esse intelligendam *in casu, quod singulare sit in debita proportione præsens sensui?* Et dicimus nomine *debitæ proportionis* intelligere, quod concurrant ex parte distantia, medijs, potentia, & obiecti, omnia requisita ad hoc, vt id, quod obijcitur sensui, emittat in illū speciem impressam intentionalem effectiue representantem omnia ipsius prædicata essentialia, tam superiora, quam inferiora, nam, vt in visum, v. g. obiectum immittat huiusmodi speciem intentionalem, quatuor ab omnibus requiruntur, scilicet, iustum spatium, aër purus, illa sus oculus, & motus moderatus. Et ex defectu cuiusvis horum prouenire potest, (vt experiētia docet) quod species impressa intentionalis immissa ab obiecto in potentiam sensitivam, non representet effectiue omnia prædicata essentialia ipsius singularis, quod obijcitur sensui, sed solum magis vniuersalia, & communia. Et tunc non mirum, quod primo cognitum ab intellectu facta comparatione inter prædicata essentialia superiora, & inferiora ipsius obiecti, non sit species specialissima prædicati essentialis minus vniuersalis, seu infimi omnium, non obstante, quod singulare propriū huius speciei specialissimæ efficacius, & fortius moueret sensum:

sum: quandoquidem in isto casu singulare proprium istius speciei specialissimæ non cadit sub sensu ex defectu applicationis in debita proportione, sicut cadunt singularia specierum specialissimarum prædicatorum essentialiū magis vniuersalium, & superiorum; nam, ex Aristot. libro de sensu, & sensibili, nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.

30 His prælibatis probatur nostra, & Scoti sententia. Primo, auctoritate Aristot. qui 1. Metaph. cap. 2. & 1. Post. textu 5. palam docet, ea, quæ sensui propinquiora sunt, notiora nobis esse; natura verò, seu simpliciter, quæ longius absunt à sensibus. Et explicans, quæ sint propinquiora sensibus, & quæ longius à sensibus absint, primum tribuit singularibus, & minus vniuersalibus; secundum verò maxime vniuersalibus. Verba Philosophi sunt: *Dico autem ad nos priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui; simpliciter autem, quæ longius sunt. Sunt autem longissimè quidem ipsa maxime vniuersalia; proximè verò ipsa singularia.* Quid clarius, & expressius?

31 Secundò, illud prædicatum vniuersale est à nobis primo cognitum, quod facilius abstrahitur à singularibus. Atque prædicata minus vniuersalia facilius à singularibus ab-

strahuntur: ergo prædicata minus vniuersalia sunt, quæ à nobis primo cognoscuntur. Discursus est optimus. Maior est aduersariorum in argumento vltimo. Minor est expressa Aristotel. 2. Post. cap. 18. textu 27. vbi asserit intellectum abstrahendo progredi ab inferioribus, donec ad ea perueniat, quæ in partes, scilicet, essentielles, diuidi non possunt; vt sunt genera suprema.

32 Et ratio à priori est, quia prædicata minus vniuersalia maiorem cū singularibus cognitionem, & similitudinem gerunt, & minor labor adhibetur ad illas abstrahendas, & à differentijs inferioribus, quibus sunt contractæ, liberandas; qui enim hominem à Socrate vult abstrahere, hoc facit, si Socratem exuat indiuiduali differentia. At, qui vult abstrahere animal, non solum indiuiduali, sed etiam specifica differentia debet illum exuere; ac per consequens plus laboris adhibere.

33 Tertiò (& est ratio à posteriori, qua vsus est Scotus) metaphysica, etsi inter omnes disciplinas naturali lumine inuentas, dignitate sit prima; tamen ordine acquisitionis vltimum habet locum; nec nisi post alias scientias reperia est, non alia de causa, nisi quia termini suorum principiorū

difficile à nobis cognoscuntur; ac per consequens non primo, sed ultimo loco; termini verò principiorum aliarum scientiarum sunt faciliora cognitu, & consequenter prius à nobis cognoscuntur. Sed termini principiorum metaphisicæ sunt omnium vniuersalissimi; vt pote, ens, substantia, bonum, verum, &c. termini verò principiorum aliarum scientiarum non ita sunt vniuersales: ergo signū euidens est, quòd minus vniuersalia facilius, ac per consequens prius à nobis cognoscuntur, quàm magis vniuersalia.

34 Quarto: (& est ratio à priori, qua maxime nixus est Scotus) causæ naturales non impeditæ edunt primò nobilissimū, quem possunt, effectum: nam teste Arist. 2. Phisicor. cap. 8. agunt necessitate naturæ, ac per consequens secundum vltimū suæ potētiae. Sed ea, quæ ad primum actum intelligendi concurrunt, sunt causæ naturales; nā (vt dicemus in libris de Anima) intellectiōnis causæ præcutientes quidem sunt phantasma, & intellectus agens; proxime verò effectrices sunt intellectus patiens, & species intelligibilis, quorum omnium cōcursum actum voluntatis antecedunt: ergo, si non impediuntur, vel à distantia obiecti; vel à lesione potētiae, vel ab indispositione mediij, &c. producet primò nobilissimum, quem possunt, effectum,

videlicet, conceptum speciei specialissimæ prædicari essentialis infimi, & minus vniuersalis. Hic enim omnium prædicatorum essentialium superiorum, & magis vniuersalium cōceptus antecellit, licet enim naturæ superiores plura sub se, & in sua potestate contineant, continent tamen naturæ inferiores plura in se actu; cum gradus superiorum in sua essentia includant: & rei cuiuscumque præstantia non ex his, quæ potestate sub se habet, sed quæ in se actu possidet, æstimanda est.

35 Verget sanè aduersarios Scotica ratio; & sic non mirum, quòd ad ipsam plures cōfictæ sint solutiones. Quidam negant maiorem; nec aliter eius comprobant falsitatem, quàm instantia ignis, qui etsi causa naturalis sit, non primò producit effectum perfectissimum, quem potest, sed primò producit imperfectiores dispositiones deinde perfectiores, & tandem ipsam formam substantialem ignis.

36 Sed isti non respiciunt particulam illam non impeditæ positam in maiori; nam si illam respicerent, agnoscerent, instantiam ignis, qua vtuntur, esse futilem. Ignis enim etsi primò non producat in passo effectum perfectissimum, quem potest; hoc prouenit, quia à qualitatibus cōtrarijs, quæ sunt in passo, impeditur. Vnde si in passo nullum esset impedimentum,

tum, quis dubitat, quòd primò, & in instanti produceret effectum perfectissimum, quē præstare potest, cum non liberè agat, sed (vt ex Arist. retulimus) ex necessitate naturæ, & secundum vltimum suæ potētiae? Et exemplificari potest in corpore luminoso, quod, quia in diaphano nullum reperit impedimentum, semel illi applicatum, primò, & in instanti producit perfectissimam illuminationem, quam potest producere.

37 Quidam verò respondent, effectum perfectissimum, quē causæ istæ naturales producere possunt in actuali prima cognitione esse conceptum naturæ magis vniuersalis. Sed contra hos optimè obijcit Scotus, sequi inde, nunquam causari posse conceptum naturæ inferioris ab istis principijs, seu causis, quæ naturaliter concurrunt ad intellectiōnem. Probo sequelam; quia quando causæ habentes omnia requisita ad agendū causant perfectissimū effectum, quem possunt, nunquam poterunt causare perfectiorem. Si ergo secundum aduersarios conceptus perfectissimus, quem istæ causæ causare possunt (adhuc existētibz omnibus requisitis ad causandum) est conceptus naturæ superioris, nunquam poterunt causare conceptum naturæ inferioris; nam hic est perfectior conceptu cuiuscumque naturæ superioris.

38 Alij demum ipsam conantur, non tam soluere, quàm in Scotum retorquere. Et aliqui (Durando, atque Ochamo omisis, qui ex hac ratione inferunt primò cognitum non esse speciem specialissimam infimam, vt sustinet Scotus, sed potius naturam singularem illius: de quo sectione sequenti) illam ita retorquent. Per Scotum causæ naturales non impeditæ edunt primò nobilissimum, quem possunt, effectum. Sed conceptus distinctus speciei specialissimæ infimæ est perfectior conceptu confuso, quem habemus de eadem specie specialissima infima: ergo per rationem Scoti (si vera est) infertur contra ipsum Scotum, primò cognosci à nobis speciem specialissimam infimam cōceptu distincto, quàm confuso.

39 Sed, qui ita retorquent, nō attendunt, quòd cognitio confusa naturæ superioris non est medium inter ignorantiam, & cognitionem confusam naturæ inferioris; sicuti est medium (teste Scoto litt. O.) cognitio confusa naturæ inferioris inter ignorantiam, & cognitionem distinctam eiusdem naturæ inferioris. Si ergo hoc attendere, facillè reperirent, quàm inaniter rationem istam in Scotum retorqueant. Nam etsi optimè inferatur ex eo, quod causæ naturales non impeditæ primò edant nobilissimum, quem

quem possunt, effectum, primò cognitum inter cognitiones confusas esse, sublati impedimenti, naturam inferiorem; non tamen infertur, quòd prius cognoscatur prædicta natura inferior cognitione distincta, quàm confusã. Nam etiam si cognitio distincta sit perfectior, quàm confusa; tamen cognitio confusa habet hoc peculiare, scilicet, esse medium inter ignorantiam, & cognitionem distinctam; & sic debet semper præcedere cognitionem distinctam: nam progressus naturæ postulat, vt non fiat transitus ab extremo in extremum, nisi per medium.

40 Quintò, & vltimò probatur alia ratione à priori desumpta ex Scoto. Inter species specialissimas (quales sunt, non solum prædicatum essentialiale infimum; sed etiam prædicata essentialia superiora, si ad sua indiuidua propria, & incompleta comparentur, vt ex dictis numero 26. constat) primò cognitum pro hoc statu via generationis in cognitione actuali confusa (supposito, quòd obiectum sit in debita proportionem præsens sensui) est illa, cuius proprium singulare, seu indiuiduum fortius, & efficacius mouet sensum. Sed singulare, seu indiuiduum speciei specialissimæ naturæ, seu prædicati inferioris, cum sit magis actuosus, & propinquus

sensibus, quàm singularia, seu indiuidua specierum specialissimarum naturarum, seu prædicatorum superiorum, est huiusmodi: ergo species specialissima naturæ, seu prædicati inferioris erit primum cognitum in hoc genere cognitionis.

41 Huic efficaci rationi respondent aduersarij negando minorem. Cuius falsitatem non aliunde probant, quàm ex eo, quòd videmus singularia naturarum superiorum à longiori distantia percipi à sensibus, quàm singularia naturarum inferiorum: quòd manifestum est signum (inquiunt) maioris fortitudinis, & efficacitatis in mouendo sensum. Et hoc confirmant exemplo duorum ignium, quorum vnus potens est comburere aliquid à longiori spatio, quàm alius: ex his enim ille, qui à longiori spatio comburit, absque dubio fortior est, & efficacior in comburendo. Vnde si vtrique combustibile in debita proportione applicaretur, licet vterque combureret, sed fortius, & efficacius ille, qui ab spatio longiori comburebat.

42 Sed (vt bene aduertit Scotus, & etiam ex illo notantur Conimbricenses; q. 3. citata att. 5.) ex eo, quòd singulare naturæ superioris à longiori spatio à sensu percipiatur, quàm singulare naturæ inferioris, nõ

rectè infertur, efficacius, & fortius mouere sensum: nõ quòd singulare naturæ superioris à longiori spatio percipiatur, quàm singulare naturæ inferioris, non prouenit ex maiori fortitudine, & efficacitate in agendo: (Hæc enim, cum cõsequatur ad esse, & esse singularis naturæ inferioris sit perfectius, & actuosius, quàm esse singularis naturæ superioris, nulli potest esse dubium, quòd maior fortitudo, seu efficacitas in agendo ei conueniat, quàm singulari naturæ superioris) sed prouenit ex maiori imperfectione ipsius. Cum enim imperfectius sit, quàm singulare naturæ inferioris, hinc prouenit, vt ad ipsius perceptionem non indigeat sensus specie impressa ita perfecta, ac indiget ad percipiendum singulare naturæ inferioris. Vnde cum obiectum non possit in tanta distantia immittere speciem perfectã, in quanta immittit speciem imperfectam (hoc enim est commune omnibus agentibus naturalibus, scilicet, nõ posse producere effectus perfectos in tanta distantia, in quanta imperfectos producant) hinc fit, vt ex maiori distantia possit sensus percipere singulare naturæ superioris, quàm inferioris, nõ verò quia ab ipso fortius, & efficacius moueatur,

43 Exemplum autem duorum ignium, quo aduersarij

sua sententiã confirmabãt, aut est contra ipsos, aut non est ad rem. Licet enim verissimè iudicemus, illum ignem, qui à longiori spatio aliquid comburit, esse in comburendo fortiolem, & efficaciorẽ, quàm illum, qui in eadem distantia illud non potest comburere: tamèn si huius discriminis rationem à priori indagemus, reperies esse, quia ignis, qui à longiori spatio comburit, est in suo esse perfectior, & actuosior, & in hoc exemplum militat in aduersarios; cum planè nobiscum fateantur, singulare naturæ, seu prædicati inferioris esse perfectius, & actuosius, quàm singulare naturæ, seu prædicati superioris.

44 Si verò rationẽ à posteriori scrutemur, reperiemus esse, quia, cū vterque ignis natus sit producere effectum eiusdem rationis, scilicet, cõbustionem, vnus à longiori spatio producit, quàm alius. Et in hoc exemplum non est ad rem: siquidẽ nec singulare naturæ, seu prædicati inferioris natum est producere effectum, scilicet, speciem impressam eiusdem rationis cum effectum, seu specie impressã, quam natum est producere singulare naturæ, seu prædicati superioris; nec è contra. Itaque ad inferendum ex productione effectus ex maiori spatio maiorem fortitudinem, & acritatem in agendo in producere, necessariũ est, quòd efficiat

producus sit eiusdem rationis: nam si est diuersæ rationis (vt in præfenti contingit) optimè euenire potest, quòd agens minoris fortitudinis, & acritatis in agendo producat effectum in maiori spatio (ob imperfectionem effectus) quàm agens maioris acritatis, & fortitudinis.

45 Sed iam ad solutionem argumentorum, quæ adducta sunt pro sententia D. Thomæ, accedamus. Ad auctoritatem Arist. dicimus, non esse ad rem. Nam (vt ex dictis q. 2. huius disputationis à numer. 19. constat) Arist. ibi non loquitur de cognitione totius actualis; qualis est, quæ datur via definitionis facta comparatione ad totum potentiale, qui est sensus præfentis quæstionis; sed de cognitione totius potentialis; qualis est, quæ datur via diuisionis facta comparatione ad ipsius partes.

46 Vnde benè aduertit Scotus in solutione istius auctoritatis, quòd etiam si duplex sit totum, seu confusum; vnum potentiale, seu vniuersale; & alterum actuale, seu essenziale; & in suo genere vnumquodque sit primò cognitum cognitione confusa respectu suarum partium: (Et ita optimè conciliatur id, quòd dicit Arist. loco citato, scilicet, vniuersaliora esse nobis notiora, cum his, quæ docet, tam r. Post. textu 5. quàm r. Metaph. cap. 2. scilicet, minus vniuer-

salia esse nobis notiora; nam primum est verum de cognitione totius potentialis facta comparatione ad suas partes; & secundum de cognitione totius actualis facta comparatione ad suas.) Tamen comparatio hæc duo tota, seu confusa inter se, priùs à nobis concipitur totum actuale, seu essenziale, quàm potentiale, seu vniuersale, & consequenter erit primùm cognitum; vt probant rationes, & auctoritates adductæ in hac quæstione pro sententia Scoti.

47 Ad secundum respondemus, naturam, quando aliquid promouet de potentia ad actum, solum incipere ab imperfectioribus in duobus casibus. Primò quando imperfectiora sunt dispositiones præcurrentes ad perfectiora, vt in generatione fætus est anima vegetatiua ad sensitiuam, & sensitiuam ad rationalem. Et quoad hoc rectè assimilatur intellectus alijs agentibus naturalibus, cum incipiat à conceptu speciei specialissimæ confuso, qui imperfectus est, ad conceptum eiusdem speciei distinctum; eò quòd omnis cognitio confusa alicuius rei est præuia dispositio ad illius distinctam cognitionem. Est enim mediū (vt ex Scoto num. 39. dicebamus) inter ignorantiam, & cognitionem distinctam.

48 Si tamen imperfectiora non sunt dispositiones præuie ad perfectiora, sicuti non est cognitio confusa naturæ supe-

rioris ad cognitionem confusam naturæ inferioris; non incipit ab imperfectioribus, sed potius à perfectioribus, vt patet in procreatione animalis; vbi cor priùs effingitur, quàm aliæ partes minus nobiles. Imò ipse intellectus in comparatione scientiæ progreditur ab assensu principiorum, qui assensum conclusionis excellit.

49 Secundò incipit natura ab imperfectioribus, quando aliquid promouet de potentia ad actum, si in passo sit aliquod impedimentum, quod paulatim vincitur, & aufertur vt videri est in alteratione; nã, cum productio caloris in aqua impediatur à frigiditate aquæ, non statim calor ignis producit perfectiorem effectum, què potest; sed, sicut paulatim expellit frigiditatem aquæ, quæ erat impedimentum, ita paulatim intendit, & perficit suum effectum. Et quoad hoc etiam assimilatur intellectus alijs agentibus naturalibus: nã stante aliquo impedimento, vel ratione distantie obiecti, vel ratione indispositionis medij, vel læsionis potentiæ, &c. incipit à conceptibus imperfectioribus, vt sunt conceptus naturæ superioris. Tamen, si nullum sit impedimentum (vt de facto non est in intellectu, quando obiectum est in debita proportione præsens sensui) non incipit natura ab imperfectioribus, sed statim primò

elicit perfectissimum effectum, quem potest producere; cum agat secundum vltimum suæ potentiæ; & supra numer. 36. instantia de corpore luminoso comprobauimus.

50 Ad tertium responderetur, quòd, si nomine adæquati obiecti, significetur obiectum cõmune, & ab inferioribus abstractum contineas sub se omnia, quæ à potentia attinguntur, maior propositio perspicuè falsa est; vt patet in visu, qui non videt colorem in communi, sed hunc, vel illum colorem. Si verò nomine adæquati obiecti significetur ratio, sub qua res sub potentia cadit; ita vt sensus maioris propositionis sit, primam notitiã, quam vnaquæque potentia format, esse eius, quòd participat rationem sui adæquati obiecti: tunc maior propositio admittenda est. Sed in eo sensu dicendum est ad minorem, non solum ens in communi, sed quodlibet particulare ens esse obiectum adæquatum intellectus: siquidem omnia entia rationem entis, quòd est obiectum adæquatum intellectus, participant.

51 Et ad confirmationem dicimus, ex eo, quòd ens concretum quidditate sensibili pro hoc statu sit ratio, propter quam alia cognoscuntur; solum sequi, ens concretum quidditate sensibili esse primùm cognitum, vt quo; non verò esse pri-

mum cognitum, vt quod. Nam, vt sic potius erit, quod ita participat rationem entis concreti quidditate sensibili, vt simul sit propinquius sensibus, qui sunt, à quibus pro hoc statu cognitio nostra incipit.

52. Ad quartum concessio antecedenti, negamus consequentiam. Et ad probationem dicimus, ex eo, quod ens, & non ens sint termini, ex quibus principia illa complexa vniuersalissima constant, solum sequi, nos non posse cognoscere principia illa complexa vniuersalissima, quin prius ens apprehendamus: non verò, quod inter incomplexa primum cognitum à nobis in cognitione actuali confusa sit ens. Imò, si ex similitudine complexorum velimus sumere argumentum, potius inferatur oppositum: nam (vt acutè docuit Scotus lit. O. versic. ad 3.) similitudo cognitionis complexorum, & incomplexorum, quoad præses attinet, stat in hoc, quod tam incomplexis, quam in incomplexis nostra cognitio confusa procedit ab includente ad inclusum. Sed est hoc discriminè quod in incomplexis includens est natura inferior, at in complexis includens sunt illa principia vniuersalissima, ex quibus deducuntur conclusiones.

53. Ad quintum concessio maiori negamus minorem, scilicet, sensum prius percipere singulare naturarum magis vniuersalium, quam singulare

naturarum minus vniuersalium, in casu nostræ conclusionis, scilicet, in hypothese, quod obiectum sit in debita proportione præsensentis sui. Neque experientia, qua vtuntur aduersarij, videntis Socratem à longè, est ad rem: nam, si tunc prius concipit, esse aliquod corpus, quod concipiat esse viuens, aut animal, &c. hoc est, quia obiectum non est in debita proportione præsensentis sui.

54. Ad sextum dicimus, quod, si naturæ superiores sunt quædam tota potentialia respectu suarum naturarum inferiorum, è contrario naturæ inferiores sunt quædam tota actualia respectu suarum naturarum superiorum; cum illas tanquam partes essentielles includant. Vnde, cum cognitio totius actualis confusa præcedat cognitionem confusam totius potentialis, si argumentum aliquid concludit, concludit manifestè contra aduersarios.

55. Ad septimum, & vltimum concessio maiori negamus minorem, & ad probationem dicimus, ex eo, quod magis vniuersale paucioribus differentijs sit perfectum, sequi quidem, minus requiri ad hoc, vt distinctè percipiatur; non verò, vt facilius abstrahatur à singularibus; sed potius sequi oppositum, vt ostensum est nu. 31. & 32.

56. Quod si quis nobis obijciat Scotum, tum in metaphy-

fica

SECTIO II.

Explicatur, quid sit à nobis pro hoc statu primum cognitum in cognitione actuali confusa facta comparatione inter naturas vniuersales, & naturas singulares.

59. **D**Vrandus in 2. d. 3. q. 7. **O**Kam. quolib. 1. q. 3. & in 1. d. 3. q. 5. Gregorius ibidem q. 3. Martinius hic q. 3. conclusione 1. & quam plures alij, quos referunt, & secuntur Conimbricenses hic q. 4. art. 2. existimant, facta comparatione inter naturas vniuersales, & singularia eiusdem rei incomplexæ primum cognitum à nobis pro hoc statu in cognitione actuali confusa esse singulare naturæ minus vniuersalis; v. g. in cognitione albedinis singulare albedinis.

60. Hæc sententia, si vera esset alia, quam plures auctores defendunt, præcipuè Nominales, scilicet, pro hoc statu dari tam in sensu, quam in intellectu nostro speciem propriam singularis, id est, non solum, quæ naturam eius specificam, sed etiam, quæ singularitatem, seu principium indiuiduationis eius per se, & directè repræsentet, & consequenter posse pro hoc statu cognosci ab intellectu nostro singulare per se, & directè, & non solum per accidens, & reflexè, per species, scilicet, tam naturam eius specificam, quam

sica libro 1. quæst. 10. tum in physica super primum librum quæst. 5. vbi tenet, vniuersaliora cognitione confusa esse nobis notiora; respondetur, loqui Scotum, sicut dictum est locutum fuisse Aristot. in textu 4. huius primi capituli, non de primò cognito simpliciter, & absolutè, sed de primò cognito facta comparatione totius potentialis ad suas partes subiectiuas. In qua restrictione nulli dubium est, quod primum cognitum cognitione confusa sit magis vniuersale.

57. Nisi velis dicere cum Aretino, quod in hoc loco physica loquitur Scotus de primò cognito, non in cognitione actuali, sed in cognitione habituali, & virtuali. In qua cognitione (vt sectione 3. cum Scoto dicemus) primò cognitum est magis vniuersale.

58. Quod si tibi videatur, nullam ex his solutionibus posse quadrare, saltem loco physice dices, standum esse his, quæ docet Scotus in sententiarijs; nam in sententiarijs prouectior factus retractat aliquando ea, quæ iuuenis in Philosophia tradiderat; vt notauit Aretinus in Epistola ad lectorem, quam scripsit in principio physice Scoti.

quàm naturas accidentiũ, quæ principiu indiuiduationis eius conequuntur, & quibus à parte rei est concretum, representantes, neque à Scoto, neque à nobis posset inficiari; cum præcipue rationes, quibus sectione præcedenti vñ sumus ad probandum inter naturas vniuersales primũ cognitum pro hoc statu in cognitione actuali confusa esse speciem specialissimam naturæ, seu prædicati essentialis infimi, & minùs vniuersalis, id efficaciùs cõuincant de natura singulari.

61 Si enim (vt sectione præcedenti dicebamus) species specialissima naturæ, seu prædicati essentialis infimi, & minùs vniuersalis primò à nobis cognoscitur pro hoc statu in cognitione actuali confusa, quia ex Arist. priùs cognoscuntur, quæ sensibus viciniora sunt; & quia causæ naturales non impeditæ primò edunt perfectissimum, quem possunt, effectũ; manifestè inferitur (si vera esset alia prima sententia) primò cognitum à nobis pro hoc statu in cognitione actuali confusa, esse singulare, vt tale est, siquidẽ singulare vicinius est sensibus, quàm naturæ specificæ; & conceptus ipsius perfectior est conceptibus earum; cũ per ipsum cognoscatur cõfuse, quidquid cognoscitur per illos, & aliquid amplius, scilicet, indiuidualitas, seu principium indiuiduationis.

62 Verum enim uero quia illustrior, & verior est sententia, quam tenet Scotus in 2. d. 11. solvendo secundam rationem Henrici, & in 4. d. 45. quæst. 3. §. *Ad secundum, principale* & magis ex professio in 1. d. 3. quæst. 6. §. *Ad primum principale*, & in 3. d. 14. quæst. 3. lit. E. & in 2. d. 3. quæst. 1. lit. C. & 7. Metaph. quæst. 15. & in Theorematis, quæ typis mandauit Hugo Cauellus theoremate 3. scilicet, neque in intellectu, neque in sensu dari speciem propriam singularis, id est, quæ non solum naturam specificam eius, sed etiam quæ singularitatem, seu principium indiuiduationis eius per se, & directè representet, ac per consequens pro hoc statu nos neque per intellectum, neque per sensum cognoscere per se, & directè singulare, sed per accidens, & reflexè, scilicet, per speciem naturam eius specificam, quàm naturas específicas accidentiũ, quæ eius principium indiuiduationis consequuntur, & quibus à parte rei est concretum, representantes; ideo dicendũ existimo (quidquid noster Angelus à Monte Piloso dicat) primum cognitum à nobis pro hoc statu in cognitione actuali confusa, facta comparatione inter naturas vniuersales, & singulares, non esse singulare speciei specialissimæ naturæ minùs vniuersalis, sed ipsam speciem specialissimam naturæ

turæ infimæ, & minùs vniuersalis.

63 Hæc est sententia Scoti, non solum theoremate 3. citato, vbi contra Nominales id ex professio defendit; sed etiam in sententiarum d. 3. q. 2. cum verbis à nobis sectione præcedente citatis, ait, *primum cognitũ esse speciem specialissimam*, cuius *singulare fortius, & efficacius mouet sensum*. Nam in verbis istis per particulas, *speciem specialissimam*, excludit à ratione primò cognitum naturas singulares, quæ species specialissimæ non sunt; & per particulas, *cuius singulare efficacius, & fortius mouet sensum*, excludit naturas superiores, & magis vniuersales; quæ etsi comparatæ ad sua propria, & incompleta indiuidua induant rationem speciei specialissimæ (vt ex dictis sectione præcedenti numero 22. constat) tamẽ earum singularia, seu indiuidua non ita efficaciter, & fortiter mouent sensum, sicut mouent singularia speciei specialissimæ naturæ infimæ, seu minùs vniuersalis, vt loco citato à numero 30. vsque ad 45. demonstrauit.

64 Porro per illas particulas, *speciem specialissimam*, exclusisse Scotum à ratione primò cognitum naturas singulares, patet eodem Scoto, qui paulò inferius lit. O. respondendo ad illud exemplum Arist. de pueris, qui primò appellant omnes fo-

minas, matres, & postea discernunt vnum quodque, quod sibi obiecerat pro sententia afferentium, vniuersaliora esse nobis notiora, ponit hæc verba, *quod dicit* (scilicet, Arist.) *de pueris, concedo, quod species intelligitur ante singulare; quia dixi* (in verbis à nobis relatis) *quod species est primum intelligibile*. En quomodo non solum iterũ ponit nostram sententiam, scilicet, primum cognitum nõ esse singulare, sed naturam specificam infimam; sed etiam fateatur, se hoc intellexisse, cum in verbis à nobis citatis, dixit, primum cognitum esse speciem specialissimam. Decipiuntur ergo non pauci Scotistæ, dum contendunt, prædicta verba Scoti restringenda esse ad primò cognitum facta comparatione inter solas naturas vniuersales.

65 Et ratio efficax huius nostræ sententiæ est, quia etiam si natura specifica, vt est sub singularitate, magis appropinquet sensibus, quàm abstracta à prædicta singularitate (sic enim nõ cadit sub sensibus, sed sub intellectu.) & similiter conceptus naturæ singularis perfectior sit, quàm solius naturæ specificæ: tamen, quia (vt supponimus) singulare non est cognoscibile pro hoc statu, neque ab intellectu, neque à sensibus per speciem propriam singularis; (quia nulla datur pro hoc statu) sed per species, tam suam

naturam specificam, quàm naturas específicas accidentium, quæ principium suæ indiuiduationis consequuntur, & quibus à parte rei est concretum, representantes; & consequenter eius determinata cognitio ex cognitione conglomerationis istarum naturarum specificarum dependeat, necessarium fatendum est, prius à nobis concipi istas naturas específicas, quàm quod ipsum singulare cognoscamus.

66 Quod declarari potest ex exemplo substantiæ, quæ in omnium sententia posterius à nobis cognoscitur pro hoc statu, quàm accidentia eius, non obstante, quod substantiæ conceptus sit perfectior, quàm conceptus accidentium, non ob aliam rationem, nisi quia pro hoc statu nos non cognoscimus substantiam per species proprias substantiæ, sed per species accidentium; ergo idem dicendum est de cognitione singularis ad cognitionem naturæ specificæ comparata, stando in hac sententia, quam Scoti, & verissimam supponimus, videlicet, pro hoc statu singulare non cognosci; neque ab intellectu, neque à sensu per speciem propriam singularis, sed per species, tam naturam eius specificam, quàm naturas específicas accidentium, quæ principium indiuiduationis eius consequuntur, & quibus à parte rei est concretum, representantes.

67 Solum restat, ut sententiam illam Scoti, scilicet, pro hoc statu neque in intellectu, neque in sensu dari speciem propriam singularis, & quæ non solum naturam eius specificam, sed etiam quæ eius singularitatem, seu principium indiuiduationis representet (quæ est, in quantum nostram sententiam) stabiliamus. Sed quia exacta eius examinatio non est huius instituti (spectat enim ad tertium librum de Anima) solum duabus rationibus, una à priori, atque à posteriori altera, desumptis ex Scoto illam stabilire cõrendam.

68 Ratio à posteriori (& qua utitur Scotus, præsertim in 2. d. 3. q. 1. sub lit. C.) sic efformari potest. Si in intellectu, vel sensu nostro pro hoc statu daretur propria species singularis, & quæ non solum naturam eius specificam, sed etiam quæ singularitatem eius, seu principium indiuiduationis representaret, tam intellectus, quàm sensus noster pro hoc statu cognoscerent singulare per se, & directè non solum sub ratione specifica, sed etiã sub ratione propria singularis. Sed neque intellectus, neque sensus pro statu isto cognoscunt per se, & directè singulare sub ratione singularitatis; ergo, &c. Maior est certa. Minor sic probatur. Cognoscens aliquod obiectum per se, & directè sub ratione singularitatis, circumscripito quocumque

que alio, potest ipsum ab alio singulari numero distinguere. Sed sic est, quod sublata distinctione loci, situs, aliorumque accidentium quæ principium indiuiduationis consequuntur, & permanentibus in duobus indiuiduis eiusdem speciei ipsorum singularitatibus, seu principijs indiuiduationis, non potest neque intellectus, neque sensus cognoscere illa, ut distincta numero: ergo signum evidens est, quod neque sensus, neque intellectus pro hoc statu cognoscunt per se, & directè singulare sub ratione singularitatis.

69 Minor patet instantia radiorum solis, qui distincti numero sunt, & visus videns ipsos, & consequenter intellectus ipsos cognoscens, nequeunt ipsos ad inuicem numero distinguere. Et similiter patet instantia duorum ouorum omnino in quantitate, qualitate, & figura similia, quæ etiam si numero distincta sint per proprias singularitates, & principia indiuiduationis, si tamen aliquis videns unum in aliquo loco, & discedens ab illo, interim, ipso inscio, aliud loco prioris substituatur, postea rediens nullo pacto potest cognoscere, ouum esse numero distinctum à priori.

70 Ratio à priori (& qua utitur Scotus theoremate 3. citato respondendo ad primam rationem in cõtrarium, & in 1. d. 3. q. 6. citata respondendo ad primum

principale) est, quia etiã si obiectum agens, seu emittens speciem in sensum, & mediante sensu in intellectum, sit quid singulare; tamen non agit, seu emittit speciem istam, in quantum singulare, sed in quantum est quædam natura specifica (singularitas enim solum est conditio requisita ex parte agentis) ergo species ab ipso producta, tam in sensu, quàm in intellectu solum erit similitudo effectiue representans naturam specificam obiecti, non verò illius singularitatem. Consequentia est nota; nam effectus solum potest assimilari suo efficienti, secundum illam rationem, secundum quam agit. Antecedens ostendi potest in omnibus actionibus agentium naturalium, quæ etsi ad agendum necessarium requirant, quod singularia sint (nam requiritur, quod existant à parte rei, & nihil potest existere à parte rei, quod singulare non sit) tamen tota ratio agendi in ipsis est ipsorum natura specifica; nam singularitas solum requiritur, ut conditio ex parte agentis requisita: alias producerent effectus sibi similes, non solum in natura specifica; sed etiam in singularitate, seu principio indiuiduationis: quod manifestè constat esse falsum: cum potius in singularitate, seu principio indiuiduationis sint omnino dissimilia.

71 Etsi cõtra hoc obijcias, sequi

ex ista doctrina vnum ex duobus, scilicet, vel quod species impressa, quæ producitur ab obiecto in sensu, repræsentet illud, vt aptum concipi à potentia sub ratione vniuersalis: vel quod species impressa, quæ producitur à phantasmate in intellectu possibili, non repræsentet illud, vt aptum concipi à potentia sub ratione vniuersalis. Siquidem in vtroque casu obiectum producens speciem impressam est singulare, & ratio agendi, seu producendi speciem impressam solum est natura specifica; singularitas verò solum se habet, vt conditio ex parte agentis requisita. Sequela autem quoad vtramque partem est absurda; nam ex primo sequeretur, sensus posse efficere vniuersale per suas sensationes. Ex secundo verò, intellectum non posse fabricare vniuersale per suas operationes.

72 Respondetur ex Scoto loco primi citato negando sequelam quoad vtramque partem. Ad probationem dicimus, quod etiam si in vtroque casu obiectum producens speciem impressam sit singulare; & similiter ratio agendi, seu producendi speciem impressam sit specifica; singularitas verò solum se habeat, vt conditio ex parte agentis requisita; tamè respectu productionis speciei impressæ in sensu causa totalis est obiectum. At respectu productionis speciei impressæ in

intellectu possibili causa totalis non est solum obiectum existens in phantasia; sed simul cum illo concurrat intellectus agens. Et hinc est, vt species impressa in sensu non possit repræsentare obiectum, vt aptum concipi à potentia sub ratione vniuersalis; bene tamen species impressa in intellectu. Quia (vt optimè vidit Scotus loco primi citato) quando species impressa producitur ab obiecto, tanquam à causa totali, etsi per se, & directè solum repræsentet illud sub ratione producendi ipsam, scilicet, sub ratione naturæ specificæ; tamen necessariò comitatur, illam repræsentare illud (scilicet, per accidens, & reflexè) sub ratione, seu conditione agentis: quæ ratio, seu conditio agentis cum in præsentia sit singularitas, & hæc sit opposita vniuersalitati, ideo non mirum, quod illud repræsentare non possit, vt aptum concipi à potentia sub ratione vniuersalis. At quando non producitur ab obiecto, vt à causa totali, etsi etiam per se, & directè repræsentet illud sub ratione producendi ipsam, scilicet, sub ratione naturæ specificæ; non tamè est necessarium, (imò aliqui putant esse impossibile) quod illam comitetur repræsentare illud (adhuc per accidens, & reflexè) sub ratione, seu conditione agentis; qualis est in proposito singularitas. Et sic optimè potest obiectum repræsentare.

tare, vt aptum concipi sub ratione vniuersalis; quia repræsentat naturam specificam ipsius abstractam, & seiunctam à ratione opposita singularitatis.

73 Hinc intelligetis, cur dixerit Arist. tam cap. 5. huius libri, quam 1. Post. textu 45. obiectum sensus esse singulare, intellectus verò vniuersale. Hoc enim non dixit, quia species impressa, quæ producitur ab obiecto in sensu, per se, & directè repræsentet singularitatem, species verò impressa, quæ producitur à phantasmate simul cum intellectu agente in intellectu possibili, per se, & directè repræsentet naturam vniuersalem; nam (vt ex dictis patet) tam vna, quam altera species per se, & directè solum repræsentat naturam specificam secundum se, & vt abstrahit à ratione, tam singularis, quam vniuersalis, quæ est in obiecto ratio agendi, seu producendi ipsam: sed quia (vt modò dicebamus) cum speciem impressam, quæ producitur in sensu, semper comitetur repræsentare (licet per accidens, & reflexè) singularitatem, quæ est conditio requisita ad productionem ipsius ex parte agentis, nunquam sensus potest percipere obiectum sub ratione vniuersalis; sed semper illud respicit (licet per accidens, & reflexè) sub ratione singularis. At speciem impressam, quæ est in intellectu, cum non

semper (imò secundum aliquos nunquam) comitetur repræsentare (adhuc per accidens, & reflexè) singularitatem, optimè potest intellectus cognoscere obiectum sub ratione vniuersalis. Et propter eandem rationem dixerunt Arist. cap. 5. huius libri citato, & 5. Metaph. cap. 11. & Scotus 1. Metaph. q. 10. vniuersale esse notius, seu primum notum ratione, singulare verò sensu.

SECTIO III.

Explicatur, quid sit à nobis pro hoc statu primo cognitum in cognitione, tam habituali, quam virtuali?

74 **V**T huic difficultati respondeat Scotus loco citato primi sententiarum d. 3. quæst. 2. exponit prius, §. *Quantum ad notitiam lit.* Quid intelligatur nomine cognitionis habitualis, & similiter nomine cognitionis virtualis, his verbis: *Habitualem notitiam voco, quando obiectum, sicut præsens intellectui in ratione intelligibilis actu, in intellectu statim potest habere actum elicatum circa illud obiectum. Voco virtuales, quando aliquid intelligitur in aliquo, vt pars intellecti primi, non autem vt primum intellectum, siue vt totaliter terminans intellectionem; sicut, cum intelligitur homo, intelligitur anima in homine, vt pars intellecti, non vt intellectum primum, siue totale terminans intellectionem.*

75 Itaque iuxta hæc verba Scoti nomine *habitualis intellectus* non intelligendus est aliquis habitus ex frequentatione actus intelligendi genitus, qui potentiam ad promptè, faciliter, & delectabiliter intelligendum inclinet; sed intelligendus est intellectus fecundatus, & informatus per speciem intelligibilem ita, ut sit proximè, & (ut dici solet) in actu primo potens elicere actualem intellectiōnem.

76 Nomine verò *intellectus virtualis*, non est intelligendum totale principium productiuū notitiæ alicuius obiecti, in cuius virtute huiusmodi notitia contineatur; sed intelligenda est actualis notitia, per quā aliquid intelligitur in alio, ut pars intellecti primi, non verò ut primum intellectum, seu ut totale terminans intellectiōnem: v. g. cum intelligo cōfusè hominem, hæc cognitio, quæ est cognitio formalis hominis, dicitur cognitio virtualis animæ; quia per ipsam intelligo animam in ipso homine, non ut primum intellectum, seu ut totale terminans intellectiōnem, sed ut partem hominis, qui est primum intellectum, seu totale terminans prædictā intellectiōnem. Idque satis propriè (ut etiam aduertit Scotus) appellatur intellectum virtualiter, cum sit satis proximum ei, quod est actu intellectum. Non enim esse potest actu alio

intellecta anima, nisi sit propria intellectiōne intellecta, & quæ sit ipsius, ut primi intellecti, seu totaliter terminantis intellectiōnem.

77 His prælibatis propositæ difficultati optimè respondet Scotus sub littera R. his verbis: *Quantum ad istam notitiam habituales, vel virtuales dico, quod communiora sunt prius nota via originis, vel generationis. Quæ cōclusionem à simili sic demonstrat. Sicut diuersæ formæ perfectiores idem perfectibile ordine quodā natæ sunt mediatiùs, & immediatiùs illud informare, vel perficere; ita si eadem forma contineat in se virtualiter perfectionem illarum formarum ordinarum, quasi cōsimili ordine naturæ perficiet, & informabit illud perfectibile: exempli gratia, si forma corporis, substantiæ, &c. essent diuersæ, & distinctæ formæ in aliquo, sicut prius perficeret, & informaret illud forma substantiæ, deinde forma corporis, &c. ita in casu, quod vna forma virtualiter contineat omnes istas formas, per prius informabit, & perficiet materiam sub ratione substantiæ, deinde sub forma corporis, &c. adeò, ut semper via generationis imperfectius sit prius, quia procedit de potentia ad actum. Ergo in casu nostro cum conceptus plures cōmuniōres & minùs communes habituales, vel virtuales nati*

sint perficere intellectum via generationis, vel originis ita, ut imperfectior cōceptus (qualis est cōceptus naturæ vniuersalioris) semper prius intellectum perficiat, quàm magis perfectus, dicendum erit, quòd, quando vnicus conceptus habitualis, vel virtualis in virtute continet omnes istos, per prius perficiet intellectum sub ratione conceptus vniuersalioris, & communioris, quàm sub ratione conceptus particularis, & minùs vniuersalis.

78 Sed insurgunt Nominales, Ochamus noster, & eius affectæ, & ex traditis in resolutione huius difficultatis ab Scoto impugnant id, quod ex mente eius tradidimus sectione præcedenti, scilicet, in cognitione actuali confusa primum cognitum esse naturam minùs vniuersalem, primò sic. Quod est primò intellectui habitualiter præsens, est etiam primò actualiter intellectum mouens. Sed per Scotum in resolutione præsentis difficultatis communiora, & vniuersaliora sunt prius intellectui habitualiter præsentia via generationis: ergo etiā eadem via erunt prius intellectum actualiter mouentia, & consequenter primò actualiter cognita.

79 Secundò, obiectum non potest esse prius præsens intelligentiæ obiecto illo, quod fuit prius præsens memoriæ, cum præsentia obiecti in in-

telligentia necessariò præsupponat ipsum præsens in memoria. Sed secundum Scotum minùs vniuersale, non est præsens prius memoriæ, quàm magis vniuersale: ergo neque etiam poterit esse prius præsens intelligentiæ.

80 Tertio, quia si fortius, & efficacius sensibile (ut est in sententia Scoti singulare naturæ inferioris comparatum ad singulare naturæ superioris) non impedit, quòd obiectum sit prius memoriæ præsens sub ratione vniuersaliori, & consequenter, quòd magis vniuersale sit primò habitualiter cognitum, cur impedire poterit, quòd etiam magis vniuersale sit prius præsens intelligentiæ; & consequenter primò actualiter cognitum?

81 Quarto, quia hic videtur evidens contradictio: sectione enim præcedenti numero 31. cum Scoto dicebamus, minùs vniuersalia faciliùs, & prius origine abstrahi à singularibus, quàm magis vniuersalia, hic autem oppositum sustinemus; nam asserimus, magis vniuersalia esse prius habitualiter nota; quod fieri non potest, nisi species eorum, per quarum informationem redditur intellectus habitualiter cognoscens, prius abstrahantur ab obiectis singularibus.

82 Sed redargutiones istæ Nominalium nullius sunt pōderis,

Ad primum negamus maiore, scilicet, illud obiectum, quod est primo intellectui habitualiter praesens, esse etiam primo intellectum aequaliter mouens. Cuius optimam assignauit rationem Doctor subtilis in calce, §. citati; nimirum, quia in cognitione habituali, etsi obiecta vniuersalia, & minus vniuersalia sint praesentia intellectui prius & posterius secundum naturam; sunt tamen simul praesentia secundum durationem: at in mouendo ad actualem ipsorum intellectioem non sunt simul duratione, sed potius successiue mouent, & cum prioritate, & posterioritate temporis; & sic optime contingere potest, vt illud, quod erat prius natura praesens intellectui in cognitione habituali, sit posterius duratione in motione actualis intelligentiae, impeditum a fortitudine, & efficacia in mouendo illius, quod etsi in posteriori naturae fuit praesens intellectui in cognitione habituali, fuit tamen praesens cum illo in eodem temporis instanti.

83. Ad secundum negamus maiorem; licet enim praesentia obiecti in intelligentia, seu in intellectu actuali necessario praesupponat praedictum obiectum fuisse praesens in memoria, id est, quod intellectus per speciem impressam praedicti obiecti fuerit prius informatus, & foecundatus; tamen non est necessarium, vt illud, quod

est prius alio praesens intelligentiae, fuerit etiam prius alio praesens in memoria, ob rationem, quam ex Scoto solutione praecedenti adducebamus, scilicet, quia prioritas, & posterioritas, quam obseruant obiecta vniuersalia, & minus vniuersalia eiusdem rei incomplexae in memoria, est solum naturae: at prioritas, & posterioritas, quae obseruantur in intelligentia, est durationis; & contingere optime potest, vt id, quod est prius natura alio in vna serie, (dummodo sint in illa simul duratione) in alia serie sit posterius duratione eadem, impeditum ab alterius efficacia, & fortitudine operandi in praedicta serie.

84. Ad tertium respondetur, rationem, ob quam singulare naturae minus vniuersalis non impedit sua efficacia, & fortitudine singulare naturae magis vniuersalis, quod prius natura, quam ipsum immittit speciem sensibus, & medijs sensibus intellectui; & consequenter quod obiectum sit praesens memoriae, & habitualiter cognitum prius natura sub ratione vniuersali, quam sub ratione minus vniuersali; bene tamen impedit, quod obiectum sit praesens intelligentiae, seu intellectioem actuali prius sub ratione vniuersali, quam sub ratione minus vniuersali, esse, quia productio specierum, quae fit tam a singulari naturae inferioris, quam a singularibus na-

tu-

turarum superiorum, (quae sunt, per quas obiectum fit praesens memoriae, & habitualiter cognitum) cum sit vna, & indiuisibilis actio, fit in eodem instanti temporis. At motio ad formalem cognitionem naturae inferioris, & motio ad formalem cognitionem naturae superioris, quae sunt, per quas obiectum est praesens intelligentiae, seu cognitioni actuali, cum sint actiones distinctae, non fiunt in eodem instanti temporis, sed in diuersis. Et impedire solum potest competere efficacitati, & fortitudini respectu diuersarum operationum, & quae fiunt successiue in diuersis instantibus temporis.

85. Ad quartum dicimus, quod, cum duplex sit abstractio (vna, per quam intelligimus actualiter vnum non intellecto actualiter alio, quae fit per operatio-

nem intellectus possibilis; & alia, per quam species intelligibilis impressa abstrahitur a phantasmatibus; quae non fit per operationem intellectus possibilis, sed per operationem intellectus agentis) nulla prorsus in dictis contradictio reperitur: siquidem cum sectione praecedenti numero 31. cum Scoto dicebamus, minus vniuersalia facilius, & prius abstrahi a singularibus, quam magis vniuersalia, loquuti sumus de priori genere abstractionis. Cum vero hic asserimus, seu supponimus, magis vniuersale facilius, & prius natura abstrahi a singularibus, quam minus vniuersale, sermo est de posteriori genere abstractionis, non de priori; cum hoc non praesupponatur ad cognitionem habitualement, sed potius ad ipsam consequatur.

DISPUTATIO SECUNDA.

De primis principijs rerum naturalium in communi?

DE primis rerum naturalium principijs in communi a secundo capite vsque ad septimum huius libri disputat Arist. & omisis antiquorum Philosopherum sententijs, quae (si ad sensum, quem verba praeseferunt, respicias, sicut ipsas refutatio attendit Arist.) potius dormientiū somnia, quam philosophantiū placita videntur; solum ea, quae ex propria mente tradidit Arist. discuciam. Primum, *vt vnum definitio primorum principiorum rerum naturalium tradita ab Arist. sit exacta?* Secundum, *vt vnum prima principia rerum naturalium sint tantum tria?* Tertium, *vt vnum primo contraria sint rerum naturalium prima principia?*

Utrum definitio primorum principiorum rerum naturalium tradita ab Aristotele sit exacta?

1 **V**T ostenderet Arist. rationē primorū principiorū rerū naturalium cōpetere primis contrarijs, ac per cōsequēs optima ratione omnes antiquos Philosophos prima contraria rerū naturalium prima principia fecisse, sic prima principia in cap. 5. huius libri textu 42. definiti iuxta versionē Argyropili: *Prima principia nāque neq; ex se se mutuo, neq; ex alijs; & ex ipsis omnia esse oportet.* De qua definitione in præsentī quæstione inquirimus, an sit exacta? & benè ab Arist. assignata?

2. Et rationes dubitandi sunt. Prima, quia particula *ex* terposita in definitione primorum principiorū, aut ex primiti habitudinē termini *a quo*, vel subiecti, vel partis essentialiter cōponētis? Si primū, aut secūdū, forma materialis nō erit principii rei naturalis; siquidē & sit ex priuatione sui, tanquā ex termino *a quo*, & similiter ex materia tanquā ex subiecto ex quo educitur. Si tertium, priuatio nō erit rei naturalis principii; nā nihil sit, aut est, ex priuatione, tanquam ex parte essentialiter componente.

3. Secunda, quia tã materia, quã formæ sūt ex Deo, à quo procedūt, tanquā à primō principio. Sed tã materia, quã formæ

sunt prima principia rerum naturalium: ergo falsò dicitur in definitione, prima principia non esse ex alijs.

4. Tertia, corpora cælestia nō sunt, vel sūt, ex priuatione, cū: ex Arist. 1. de cælo e. 3. textu 25. in corpora cælestia non cadat priuatio, nec cælestis forma cōtrariū habeat. Itē, ex materia, & forma aquæ solum fit aqua; & ex materia, & forma ignis solum fit ignis: ergo malè dicitur in definitione primorum principiorum *omnia fieri ex ipsis.*

5. His nō obstantibus prædicta definitio, vt Aristotelica, & cōsequēter, vt optima, & exacta recipiēda est. Quā vt declarem aliqua prænotāda sunt. Primū est, quod etsi nomē *principium*, tã apud Theologos, quã apud Philosophos variè vsurpari solet, vt videri est apud Damascenū in libro aduersus Manichæos, & Arist. de Generatione animalium c. 7. & lib. Poeticæ c. 7. & 5. Metaph. c. 1. tamē in præsentī solum vsurpatur (vt illud vsurpauit Arist. 5. Metaph. citato) pro eo, vnde primò aliquid est, sit, aut cognoscitur, siue influat in rē, respectu cuius dicitur principii, siue non. In quo sensu in annotationibus n. 4. diximus, principii esse quid superius ad causam; nam de ratione cau:

causæ etiam est, quòd influat in rem, respectu cuius dicitur causa.

6. Secundum prænotandum est, quòd, cū *principium* in prædicta acceptione sumptū duo dicat, vnam pro formali, seu pro perse significato, scilicet, relationem principij ad principiatum; & aliud pro materiali, seu pro denominato, scilicet, ea, quæ denominantur principia, in præsentī ab Arist. nō dicitur principium sumptū formaliter, & pro per se significato, sed sumptum materialiter, & pro denominato.

7. Tertium prænotandum est *principium* materialiter, & pro denominato sumptum dupliciter posse appellari *primum*: simpliciter, vel secūdum quid, Principium simpliciter *primum* dicitur illud, quod in nullo genere habet, vnde sit, vel fiat; sed in omni genere est *primum*. Tale principii est solus Deus. Principium secundum quid *primum* appellatur illud, quod in aliquo determinato genere principij est *primum*, & in prædicto genere non habet, vnde sit, vel fiat, isto in alijs generibus non sit *primum*, sed habeat, vnde fiat, vel sit.

8. Arist. ergo prædicta definitione non definit principium, quod simpliciter, & in omni genere est *primum*: (aliàs prædicta definitio soli Deo competeret) sed definit principia, quæ secundum quid, & in ali-

quo determinato genere principij *prima* sunt. In quo omnes cōueniunt. Sed quia principia, quæ solum secundum quid sunt *prima*, plura sunt, sicut & plura sunt genera principij. Nam quædam sunt extrinseca rebus naturalibus principiatas, vt principii efficiēs, principii finale, & principii exēplare: quædā verò intrinseca, & essentialia esse rerū naturalium; vt materia, & forma: & demū quædā intrinseca, & essentialia earūdem rerū naturalium fieri; vt materia, forma, & priuatio: cōtrouersia est inter aliquos recentiores, quæ nā ex his primis principijs sint, quæ per præfatam definitionem Aristotelis definiuntur?

9. Martinus disp. 1. quæst. 1. *Discutendo* 3. sustinet, solum de finiri ab Arist. prima principia intrinseca, & essentialia esse rei naturalis; ac per consequens definitionem solum cōuenire materiæ, & formæ. Et probat, quia Aristot. prima principia non definit per *fieri*, sed per *esse*, vt patet ex definitione, quam supra iuxta versionē Argyropili adduximus; & etiā ex definitione, quæ iuxta versionem Boetij his verbis referri solet: *oportet enim, principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs; & ex his omnia.* Quod (inquit Martinus) non subitè, sed consultò fecit Arist. quia non conabatur, principia intrinseca, seu essentialia fieri rei

naturalis definire, sed tantum principia intrinseca, seu essentialia esse.

10 Hurtado verò disput. 1. Physicali sect. 2. in aliud extremum declinat: duo enim affirmat. Primum est, definitionem istam omni primo principio (siue sit intrinsecum, & essentialia esse rei naturalis, vt sunt materia, & forma; siue fieri, vt sunt non solum materia, & forma, sed etiam priuatio; siue sit extrinsecum, vt efficiens, finale, & exemplare) conuenire. Secundum, hanc fuisse intentionem Arist. scilicet, per præfatam definitionem rationem communem omni principio declarare.

11 Primum non aliunde probat, quam ipsam definitionem declarando. Sic enim (inquit) definitionem Arist. interpretor: *Principia prima sunt que neque ex se se, neque ex alijs sunt*, id est, quæ in eodem genere, & sub eadem ratione, quæ sunt principia, à nullo alio, neque vnum principium ex alio pendet; sed *omnia* (intellige principia; nam per ly *omnia* ea tantum significat Arist. ad quæ principia referuntur sub ratione principij) *ex ipsis sunt*, id est, ex ipsis procedunt, siue ab ipsis dependent. Constat autem definitionem sic expositam omni principio primo optimè competere; siue sit intrinsecum, & essentialia esse, vel fieri rei, siue extrinsecum.

12 Secundum inde suadet; quia Arist. in hoc capite 5. ea prima principia rei naturalis definiuit, de quibus proposuit, se acturum capite 1. & de quibus egit per reliqua capita, tam primi, quam secundi libri. Sed hæc non solum sunt intrinseca, & essentialia esse, vel fieri rei naturalis, sed etiã extrinseca: (Egit enim in secundo libro de causa efficiēti, & finali, quæ extrinseca principia sunt) ergo intentum Aristotelis in hac definitione fuit rationem communem omni primo principio, tam intrinseco, & essentiali, quam extrinseco, nobis declarare.

13 Nobis autem media via progrediendum est; itaque asserimus, primum principium, quod hic Arist. definiuit, nec ita strictè sumi, vt sola principia intrinseca, & essentialia esse rei naturalis, qualia sunt materia, & forma, sub se contineat: neque ita latè, vt etiam principia extrinseca, qualia sunt efficiens, finale, & exemplare, comprehendat; sed esse principium commune ad omnia, & sola principia intrinseca, & essentialia, tam fieri, quam esse rei naturalis, videlicet, ad materiam, formam, & priuationem. Hic est communis consensus interpretum tam veterum, quam recentiorum. Licet enim pauci in terminis hoc discutiant, omnes tamen, vt certum præsupponunt, prima principia, quæ hic definiuntur ab Aristot. esse mate-

riuntur ab Aristot. esse materiam, formam, & priuationem. Et sic solum conantur his tribus principijs conditiones adaptare, quæ in definitione primorum principiorum ab Aristot. tradita numerantur.

14 Et præter autoritatem omnium interpretum ducor ad hoc asserendum, quia Arist. illa prima principia rei naturalis definit, circa quorum numerum, & qualitates lis erat inter antiquos Philosophos. Sed inter hos non erat lis circa numerum, & qualitatem principiorum extrinsecorum rei naturalis (vt evolventi ea, quæ docet Arist. in hoc libro ex mente antiquorum Philosophorum, satis erit manifestum) nec etiã solum erat lis circa numerum, & qualitatem principiorum intrinsecorum, aut essentialium esse rei naturalis; sed etiam erat circa numerum, & qualitatem principiorum intrinsecorum & essentialium fieri rei naturalis. Aliàs nec rectè Arist. inter hæc principia numeraret priuationem; & perperam laudaret antiquos Philosophos, eò quod omnes prima contraria fecere principia: siquidem nec priuatio est principium intrinsecum, & essentialia esse rei naturalis; nec principia intrinseca, & essentialia esse rei naturalis sunt primò contraria: ergo principia prima, quæ hic definit Arist. nec sunt principia extrinseca, nec sola intrinseca, &

essentialia esse rei naturalis; sed etiam fieri.

15 Et speciatim cõtra Martinum vrget, quod Arist. (vt textum intuenti erit perspicuum) non ob aliam rationem hic definitionem primorum principiorum tradidit, nisi vt ostenderet, conditiones primorum principiorum primis contrarijs conuenire; ac per consequens optima ratione omnes antiquos Philosophos prima contraria fecisse prima principia: ergo cogimur asserere, sub nomine primorum principiorum non solum materiam, & formam, sed etiam priuationem comprehendit: nam, si secludas priuationem (sicut secludit Martinus) nulla contrarietas inter prima principia reperitur: & sic frustraneus esset, & incasum tenderet totus Aristotelicus discursus.

16 Speciatim verò cõtra Hurtado militat particula *ex* ultimo loco in hac definitione posita. Licet enim figurata locutione particula *ex* significare soleat habitudinē ad principium extrinsecum (quale est efficiens) iuxta illud Ioannis 8. *qui ex Deo est*, &c. & infra, *vos ex patre diabolo estis*: tamē in rigore philosophico (qualē hic seruat Arist.) solum significat habitudinē ad principia intrinseca, & essentialia esse, vel fieri rei. Et sic per ipsam (vt optimè notarunt Conimbricenses quæst. 1. artic. 2.) excluduntur ab hac defini-

initione principia extrinseca: (qualia sunt efficiens, finale, & exemplare) nam ex his (si proprie, & in rigore philosophico loquamur) nulla res constat, aut fit; sed efficiens est à quo; finis propter quod; & exemplar ad cuius imitationem res efficiuntur.

17 Neque argumenta Martini, aut Hurtado eorum placita conuincunt. Ad primum Martini dicimus, Argyropilum, & Boetium in definitione primorum principiorum loco esse potuisse optimè verbum fieri collocare: nam (vt inter alios annotauit Cursus Carmelitani disp. 2. q. 1.) verbū Græcū, quod *ly esse* correspondet, habet significationem quandā, quæ & verti potest per *ly fieri*, sicut & per *ly esse*. Vnde idem Argyropilus, qui in definitione primorum principiorum verbum istud vertit per *ly esse*, paulò inferius idem verbum vertit per *ly fiunt*. Sic enim ait; quia verò contraria sunt, ideo non ex se mutuo fiunt. Et hinc est, quod Scotus in expositione huius textus referens hanc definitionem Aristot. non ponit in ea verbum esse, sed verbum fieri. Verba sunt: *illa sunt prima principia, quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, & omnia fiunt ex ipsis*. Imò vix inuenies interpretē, qui eodē modo prædictam definitionem nō referat.

18 Ad primum Hurtado patet ex dictis numero 16. defini-

tionem istam non posse competere principijs extrinsecis; nam, cum dicitur in ea, *omnia ex ipsis sunt*, per *ly ex*, quod in rigore philosophico solum dicitur habitudinem ad principia intrinseca, & essentialia esse, vel fieri rei, excluduntur ab hac definitione omnia principia extrinseca; qualia sunt efficiens, finale, & exemplare.

19 Ad secundum negamus consequentiam, scilicet, Arist. in hoc capite definiisse principia omnia, de quibus promissit cap. 1. se acturum, & de quibus per reliqua capita, tam huius, quam secundi libri egit; aliàs perperā prima principia, quæ hic definit, ad solum ternariū reduxisset: sed prima principia, quæ definit, sunt illa, de quibus lis erat inter antiquos Philosophos; quæ (vt offendimus numero 14.) solum erant intrinseca, & essentialia, tã esse, quam fieri rei naturalis: & satis manifestauit per illa verba, *omnia ex ipsis sunt*; vbi per *ly ex* exclusit principia extrinseca; vt numero 16. expendebamus. Vnde benè dixerunt Conimbrienses, quòd quamuis nomen *principium*, quod hic definitur, latius pateat, quam causa; nam sub se comprehendit priuationē, quæ etsi fieri rei naturalis principium sit, nō tamen est causa: ex alia tamē parte minùs latè manet, cum non omnes causas sub se contineat, sed solum materialem, & formalem.

20 His

20 His prænotatis, non erit iam difficile ostendere, non solum qualiter definitio primorum principiorum tradita ab Arist. sit exacta; sed etiam qualiter optimè adaptetur materiæ, formæ, & priuationi, quæ (vt probatum est) sunt sola prima principia, quæ hic ab Arist. definiuntur: imò qualiter hæc definitio nullatenus alijs rebus possit conuenire.

21 Est ergo exacta; nam per ipsam optimè conditiones ad rationē primorum principiorum in aliquo determinato genere requisitæ declarantur; quia ex eo, quòd prima sunt in aliquo determinato genere, necessarium per se est; quòd in illo genere principiandi, neque sint ex alijs, neque ex alterutris: nam, si in illo genere essent ex alijs, vel ex alterutris, iam illa, ex quibus sunt, & non ipsa, essent in illo genere prima principia. Et ex eo, quòd sint principia, è contrario per se requiritur, vt omnia principiata in eo genere, in quo ipsa sunt principia, ex ipsis fiat, vel fiant: nam, si principiata in eo genere, in quo ipsa sunt principia, non essent, vel fierēt ex ipsis, absque dubio in eis nomen principij, esset titulus, sine re.

22 Adaptatur optimè definitio ista materiæ, formæ, & priuationi. Materiæ, quia in genere principiandi materialiter (quod est, in quo mate-

ria est primum principium) materia, neque est ex alijs, neque ex alterutris, & omne principiatum in hoc genere, ex ipsa est principiatum; (non enim datur materia materiæ) & omne materiatum (licet sic loqui) materia est materiatum. Formæ, quia in genere principiandi formaliter, (quod est, in quo forma est primum principium) forma neque est ex alterutris, neque ex alijs, & omne principiatum in hoc genere ex ipsa est principiatum; (non enim datur forma formæ) & omne formatum. Priuationi, quia in genere principiandi, vt terminus à quo, (quod est, in quo priuatio est primum principium) priuatio, nec fit ex alijs, neque ex alterutris, & omne principiatum in hoc genere ex ipsa priuatione est principiatum.

23 Quòd si contra hoc vltimum obijcias, priuatio habet terminum à quo, nam ex vidēte fit cæcus, sicuti ex cæco fit videns: ergo falsò dicitur, priuationem non fieri ex alijs, tãquã ex termino à quo. Respōd. priuationem non habere propriè terminum à quo; hic enim est, à quo incipit motus, aut actio, & ad priuationem, cum nō sit ens, nec datur motus, neque actio. Si autem instes; ex eo, quòd priuatio non sit ens, solum sequitur, ad ipsam non dari motum, aut actionem

positiuam, non verò, non dari motum, aut actionem negatiuam. Respondetur, ex eo, quòd ad priuationem detur motus, aut actio negatiua, inferri quidem priuationem habere terminum à quo; sed non in eodem, sed in diuerso genere causandi, in quo ipsa est terminus à quo: immò in diuerso ordine; nam forma habet terminum à quo priuatiuum; priuatio verò terminum à quo positiuum; qui constituunt diuersos ordines terminorum.

24 Nullis alijs rebus potest definitio ista conuenire; nam non causæ efficienti, finali, aut exemplari; quia etiam si hæc sint principia, sed non ex quibus principiata fiunt (vt supra num. 16. ostensum est.) Nec etiam quatuor vulgaribus elementis, nam etiam si ex his omnia sublunaria fiant; tamen ipsa & sunt ex alijs (cùm consent materia, & forma) & ex alterutris, cum vicissim vnum in alterum transmutetur. Nec corporibus celestibus, nam etiam si hæc non fiant ex alterutris, fiunt tamen ex alijs; nam constant materia, & forma. Neque entibus naturalibus completis, cùm hæc potius sint principiata, quam principia: nec demum substantijs separatis, accidentibus, aut figuratis, quia ex his nullum compositum naturale fit, aut coalescit.

25 Restat, vt rationibus dubitandi satisfaciamus. Ad primam

respondet Martinius, *ly ex* neque exprimere habitudinẽ subiecti, nec termini à quo, sed partis essentialis componentis. Tamen hæc solutio etsi optimè saluet, definitionem primorum principiorum, hic traditã ab Arist. competere materiæ & formæ; non tamen saluat competere priuationi. Quod etsi libèter admittat Martinius, quia (vt supr. num. 9. vidimus) sustinet, hic non definiiri principia fieri, in quorum numerum intrat priuatio, sed solum principia esse, qualia sunt tantum materia, & forma: tamẽ hoc Martini placitum, non solum omnibus interpretibus, sed ipsimet Aristot. opponi ostendimus supra à num. 14. vsque ad 16.

26 Aliter respondet Simplicius, Philoponus, Burleus in hoc loco, atque Capreolus in 2. dist. 12. art. 3. scilicet, in primo, & secundo loco *ly ex* exprimere habitudinem partis essentialiter componentis; in tertio verò habitudinem, tam partis essentialiter componentis, quam termini à quo. Vndè, per hoc vltimum saluant, definitionẽ primorum principiorum cõpetere, etiam priuationi, & per primum competere formæ materiali; quæ etsi fiat tam ex priuatione sui, quàm ex materia, sed non tanquam ex partibus essentialiter componentibus ipsam formam; sed ex priuatione sui, tanquam ex termino à quo, & ex materia,

tan-

tanquam ex subiecto, ex quo educitur.

27 Sed præterquam quòd isti authores admittunt, Aristot. in ista definitione vnum vocabulum in alia, & alia significatione vsurpasse, quod, nisi cogente necessitate, (quæ hic nulla est) absque vitio numquam fit: sic in ipsos possumus insurgere. Per vos definitione ista primorum principiorum comprehenditur terminus à quo, (nam comprehenditur priuatio) sed per vos etiam vnum principium (scilicet forma) fit ex termino à quo: (scilicet, ex priuatione sui) ergo per vos vnum primum principium fit ex alio primo principio: erit ergo mala definitio.

28. Nobis, ergo respondendum est, *ly ex* ter positam in definitione primorum principiorum in primo, & secundo loco exprimere habitudinẽ principiatam, & in tertio habitudinẽ principiatam in eodem genere, in quo aliquid est primum principium: Vt enim numer. 8. dicebamus hic Arist. non definiuit principium, quod simpliciter, & in omni genere est primum, sed principia, quæ secundum quid, & in aliquo determinato genere sunt prima. Et sic ad rationem primorum principiorum, solum erit necessarium, quòd in illo genere, in quo vnum quodque est primum, nec sint ex alijs, neque ex alterutris, & quòd omnia in isto genere prin-

cipiata sint ex ipso. Vndè, nihil obstat ad hoc, quòd forma materialis sit in suo genere (scilicet, in genere principij formalis) primum principium, quòd fiat ex priuatione sui, & quòd educatur ex potentia materiæ. Nam ex his etsi inferatur esse ex alijs, sed non in eo genere principij formalis, in quo ipsa est primum principium, sed in alijs generibus diuersis.

29 Ad secundum respondet non pauci, verbum esse positum in definitione primorum principiorum sumi strictè, pro effectione propriè sumpta, & quæ solum rebus per se completè subsistentibus competit. In quo sensu, neque materiæ, neque formæ competit esse ex Deo, etiam si ab eo dimanent, tanquam à primo principio, cùm nõ sint res per se completè subsistentes. Quod confirmat, quia in bona grammatica in copulatione duarum propositionum idem verbum accipitur in eodem sensu. Sed *ly esse* applicatum principiatam sumitur in isto rigore: ergo etiam applicatum ipsis principijs debet in eodem rigore accipi.

30 Non placet solutio ista, tum, quia verbum esse positum in definitione primorum principiorum restringitur ad aliquod impossibile; quale est, quòd applicatum principijs debeat sumi strictè, & pro effectione propriè sumpta, & quæ solum rebus per se completè

su-

subsistentibus competit, non secus, ac sumitur quando applicatur principiatis: repugnat enim materiæ, & formæ eo ipso, quod partes sunt, quod in isto rigore, sint, vel fiant. Verbum, ergo esse positum ab Aristot. in hac definitione, sine læsione grammaticæ, immò vt grammatica sit bona, sumi debet accommodatè ad entitatè, quæ esse, vel fieri dicitur. Et sic applicatum principiatis, cum sint quædam tota, sumi debet pro esse, vel fieri rei completæ: & applicatum principiis, cum sint quædam partes incompletæ, debet sumi pro esse, vel fieri rei incompletæ: & qui oppositum confingit, chimeram apprehendit.

31 Tum etiam, quia Authores istius solutionis rationem, ob quam materia, & forma sūt prima principia, non reducunt ad negationem alterius prioris principij, ex quo (modo ipsis proportionato) sint, aut fiant, sicut reduxit Aristot. dum dicit, *Prima principia esse, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris sunt, aut fiunt*; sed reducunt ad hoc, quod ipsarum esse, vel fieri, non est rigorosum, quale est, quod rebus per se completè subsistentibus competit; quod potius rationem entis incompleti, quam primi principij declarat.

32 Et potest amplius confirmari; nam si per impossibile forma, quæ est altera pars compositi, esset coalescens ex alia

priori forma, tali formæ non competeret ratio primi principij; (quis hoc neget?) & tamen non fieret effectio rigorosa, & propria, qualis est, quæ rebus per se completè subsistentibus competit: ergo etiam si effectio non sit rigorosa, & propria, dummodò sit ex alijs, obstabit rationi primorum principiorum.

33 Aliter ergo, respondendum est ad præfatam rationem dubitandi, nimirum, materiam, & formam esse prima principia, non obstante, quod in genere causæ efficientis dependant à Deo, tanquam à primo principio. Tum quia hæc dependentia, cum sit in genere causæ efficientis, in rigore physico non explicatur per particulam ex positam in definitione, primorum principiorum; (vt num. 16. demonstravimus) sed per particulas à vel ab. Tum etiam, & præcipuè, nam admisso, quod explicari posset per ly ex adhuc materia, & forma essent prima principia; nam etiã, si essent ex Deo, sed non in eisdem generibus principiandi, in quibus ipsæ sunt prima principia; nam materia est primum principium in genere principiandi materialiter, & forma in genere principiandi formaliter, ex Deo autem essent in genere principiandi efficienter.

34 Et ex eadem doctrina solui possunt duæ aliæ objectiones, quæ sic efformari solent.

Ma-

Materia, & forma collocantur, saltem reductivè, in prædicamento substantiæ: ergo habent genus, & differentiam, ex quibus consistunt. Item habent partes integrales (vt in Logica cap. de quantitate disp. I. q. 2. numer. 25. diximus) ergo non sunt prima principia, sed potius principia. Respondetur enim negando consequentiam; nã ex eo, quod constat genere, & differentia, & ex eo, quod habeant partes físicas integrantes, solùm sequitur, tam materiam, quam formam esse ex principiis metaphisicis, & componi ex partibus físicis integralibus; non verò fieri, aut esse ex principiis físicis essentialibus; quæ est series, in qua ipsa prima principia constitutumus.

35 Ad primam partem tertiæ rationis dubitandi respondetur, ex eo, quod corpora celestia non sint, vel fiant ex priuatione, non rectè inferri, priuationi non posse competere definitionem primorum principiorum traditam ab Aristot. nam, vt illi competat, fat est, quod omnia corruptibilia fiât ex ipsa; sicut enim supra dicebamus, quod ad hoc, vt verba illa neque ex se se mutuo, neque ex alijs posita in definitione primorum principiorum conveniant materiæ, & formæ, non est necessarium, quod materia, & forma nullo modo sint, vel fiant ex se se mutuo, vel ex

alijs, sed fat est, quod non sint, vel fiant ex se se mutuo, vel ex alijs, in eodem genere principiandi, in quo ipsæ sunt prima principia; quia hic non definiuntur prima principia, quæ sunt prima simpliciter, & in omni genere; sed principia, quæ sunt prima secundum quid, & in aliquo determinato genere. Sic similiter, vt illa vltima verba definitionis, *sed ex ipsis omnia sunt*, conveniant priuationi, non est necessarium, quod omnia principia sint ex priuatione; sed fat est, quod omnia principia in eo genere principiandi, in quo priuatio ponitur primum principium, ex priuatione fiant.

36 Ad secundam partem tertiæ rationis dubitandi respondetur illa, *sed ex ipsis omnia sunt*, esse partiuvè intelligenda, non distributivè. Itaque sensus illorum est, non quod omnia principia fiant ex eisdem numero, vel specie principijs, sed quod omnia fiant ex principijs primis sibi proprijs; v.g. aqua ex materia, & forma aquæ, & priuatione formæ aquæ; ignis ex materia, & forma ignis, & priuatione formæ ignis, & sic de reliquis.

QVÆSTIO II.

Vtrum prima principia rerum naturalium sint tantum tria?

Sermo solum est de primis principiis intrinsicis, & essentialibus, tam esse, quam fieri rerum naturalium: nam hæc solum sunt prima principia, (vt ex dictis in quæstione præcedenti constat) quæ definiuit Aristot. cap. 5. huius libri text. 42. & de quorum num. & qualitate lis fuerit inter Philosophos antiquos, & quam ipse sedauit in cap. 6. & 7. huius libri.

2 Est conclusio responsiua quæstioni, esse, seu constitutionis rei naturalis duo tantum sunt principia, materia, scilicet, & forma; fieri verò, seu generationis, tria, materia, forma, & priuatio; nec plura, nec pauciora. Ita non solum docuit, sed luculenter probauit Arist. in cap. 6. & 7. huius libri, quem secuti sunt Scotus quæst. 19. super I. Phisycor. D. Thom. super cap. 7. Arist. citatum, & in initio operis. 31. & in vniuersum omnes Arist. interpretes. Ex quibus Scotus, atq; plures alij animaduertunt, diuerso modo principia hæc dici intrinsicæ, seu essentialia esse rei naturalis, & fieri, seu generationis ipsius: nam esse dicuntur intrinsicæ, & essentialia, quia componitur ex ipsis, tanquam ex partibus intrinsicis, & essentialibus: fieri

verò, seu generationis, nõ quia componatur ex eis, tanquam ex partibus intrinsicis, & essentialibus; (sic enim potius sunt extrinsecæ) sed quia dicit connexionem, ita intrinsicam, & essentialem cum illis, vt sine ipsis, neque definiri, nec cognosci, aut imaginari possit.

3 Prior pars huius asserti probatur ratione desumpta ex Philosopho, atque ex Scoto, & D. Thom. locis citatis. Illa sunt prima principia intrinsicæ, & essentialia esse, seu constitutionis rei naturalis, quæ transacta generatione ipsius manent in ipsa, nõ vtcumque, sed intrinsicè, & essentialiter ipsam constituendo. Sed hæc tantum sunt duo, materia, scilicet, & forma: ergo tantum hæc duo erunt principia intrinsicæ, & essentialia esse, seu constitutionis rei naturalis. Probatur minor; nam transacta generatione rei naturalis manet in re naturali genita forma, quæ per ipsam generationem acquiritur. Alias ad quid deferretur generatio? Ex his autem, quæ ad ipsam generationem antecedunt, (vide licet, materia, ex cuius potentia educitur forma, quæ per generationem acquiritur; forma, quæ ante generationem informabat illam materiam; atque priuatio formæ generandæ) sola materia manet; nam forma, quæ antea ipsam informabat, in generatione corrumpitur; & priuatio, cum aduersetur for-

mæ generandæ, quòd, ipsa forma accedente, pereat, necessarium est. Quòd autem forma, & materia, quæ manent in re naturali, transacta generatione, ipsam intrinsicè, & essentialiter constituent, seu componant, constabit ex dicendis in disputatione de composito naturali.

4 Dices transacta generatione rei naturalis, etiam manet in re naturali genita substantia, quæ est quidam modus substantialis. (in probabilissima sententia) ipsam substantialiter actans, & determinans. Respondetur, nos in præsentis solum loqui de primis principiis intrinsicis, & essentialibus, quæ rem naturalem in esse naturæ componunt; non verò de his, quæ ipsam in esse suppositi, siue personæ constituunt. Constat autem, substantiam (quid quid illa sit) non constituere rem naturalem intrinsicè, & essentialiter in esse naturæ, sed in esse suppositi, vel personæ. Alias natura humana Christi Domini, cum careat propria substantia, non esset in esse naturæ humanæ intrinsicè, & essentialiter completa; & consequenter nec naturæ humanæ nomen mereretur.

5 Vt autem secundam partem nostri asserti cõprobemus, aduertendum est, cum asserimus, fieri, seu generationis rei naturalis tria esse intrinsicæ, & essentialia principia, materiam, scilicet, formam, & priuatio-

nem, sermonem esse de fieri, seu generatione rei naturalis, quæ præsupponit, subiectum, seu materiam existentem in aliquo priori temporis sub priuatione formæ, quæ per generationem fit, & consequenter est mutatio materiæ à priuatione ad formam. Quod aduerto, quia etsi ex lege ordinaria fieri, seu generatio rei naturalis semper fit mutatio, eò quòd ex lege ordinaria semper præsupponit subiectum, seu materiam in aliquo priori temporis existentem sub priuatione formæ, quæ per generationem fit; tamè ratio mutationis non est ita intrinsicè fieri, seu generationi rei naturalis, quòd per potentiam Dei absolutam ab ea separari non possit; vt contingeret in casu, quo Deus crearet aliquam materiam in medio ignis vltimatè dispositam ad recipiendum formam ignis, in quam ignis circumstans formam ignis induceret in eodem instanti temporis, in quo creata est talis materia. In isto namque casu productio illa noui ignis esset generatio, cum esset productio ignis, non ex nihilo, sed ex potentia materiæ; nõ tamen esset mutatio, cum ad hæc requiratur, quòd illa materia prius extiterit priuata forma genita: ad quòd non est sufficiens prioritas naturæ, sed simpliciter est necessaria aliqua prioritas temporis: nam in eodem instanti temporis nõ possunt

sunt existere simul in eadem materia, forma, & priuatio eiusdem formæ (vt per se notum est) & in isto casu certum debet esse fieri, seu generationis rei naturalis priuationem, non fore primum principium, quia nulla est: sed prima principia essent materia, & forma, & negatio formæ extra subiectum.

6 Hoc prænotato probatur secunda pars nostri asserti hac efficaci ratione. In omni mutatione, vt talis est, tria tantummodò necessaria sunt, vt mutatio definiti, cognosci, aut imaginari possit, scilicet, terminus à quo, terminus ad quem, & subiectum vtrique commune, vt patet in definitione mutationis ab omnibus recepta:

Mutatio est transitus subiecti de nō esse ad esse. Sed fieri, seu generatio rei naturalis (de qua in præsentibus est sermo) est mutatio quædam substantialis; nam est transitus primi, & substantialis subiecti à non esse sub hac forma substantiali, v. g. ignis, ad esse sub illa: ergo, vt prædictum fieri, seu generatio rei naturalis definiti, cognosci, aut imaginari possit, hæc tria prima principia, nec plura, nec pauciora, erunt necessaria; scilicet, subiectum transiens à non esse ad esse, quod est materia prima; non esse formæ, à quo est transitus, in subiecto apto nato ad habendam talem formam, in quo consistit priuatio; & tandem ter-

minus, ad quem est transitus, forma nimirum substantialis, quæ per generationem producitur.

7 Sed quamuis hæc secunda pars nostri asserti, ita perspicua sit, non desunt argumenta aliqua, quibus suadere conetur, quis, prima principia fieri, seu generationis rei naturalis esse pauciora, quam tria; atque alia, quibus probari videtur, esse plura. Proponamus prius, & diluamus, quæ suadere conatur esse pauciora, postea autem, quæ videntur probare esse plura, proponemus, atque simul annotabimus.

8 Ex argumentis igitur, quibus suadetur esse pauciora, primum est. Priuatio est ens rationis: ergo non potest esse primum principium entis realis, quale est fieri, seu generatio rei naturalis. Respondetur, priuationem duobus modis posse accipi. Primo, vt à nobis concipitur ad initar entis positiui. Secundo, vt in se est quædam carentia formæ in subiecto apto nato ad habendam talem formam. Si primo modo accipitur, fateor esse ens rationis, sed non accipitur vt sic, cum inter prima principia fieri, seu generationis rei naturalis numeratur. Si accipitur secundo modo (qua ratione habet quod sit vnum ex tribus primis principijs fieri, seu generationis rei naturalis) falsum est, esse ens rationis, cum ha-

beat

beat esse à parte rei, & seclusa intellectus operatione.

9 Quod si instes: (& est secundum argumentum) priuatio, vt sic, non est ens positium: ergo non poterit esse primum principium fieri, seu generationis rei naturalis, quæ quid positium est. Respondetur, concludere argumentum, priuationem, non posse esse primum principium essentialiter componens, seu constituens fieri seu generationem rei naturalis; & similiter concludere, inter prima principia, quæ dicuntur intrinseca, & essentialia, fieri, seu generationem rei naturalis, non quia ipsam essentialiter componant, sed quia ita est connexa cum ipsis, vt sine illis nec definiti, nec excogitari possit, non posse induere rationem principij, quod est subiectum, nec rationem principij, quod est terminus ad quem; nam hæc necessariò debent esse entia positiua: tamen inter hæc principia non posse induere rationem primi principij, quod est terminus à quo, argumentum non concludere: imò oppositum euidenter conuincere: nam, fieri, seu generatio rei naturalis, de qua loquimur, per se, & necessariò expostulat, vt terminam à quo; non aliquid positium, sed aliquid priuatiuum. Est enim transitus, seu mutatio subiecti a

non esse. (En terminus à quo priuatiuus) ad esse.

10 Tertium argumentum est. Principium, & principiatum debent esse simul. Sed priuatio formæ generandæ, non est simul cum fieri, vel generatione rei naturalis; nequit ergo priuatio esse primum principium ipsius. Respondet Plaça disp. 2. quest. 5. priuationem esse in eodem instanti, in quo est fieri, seu generatio rei naturalis, non in existendo, sed in desinendo.

11 Sed solutio ista in adiecto implicat, nam, cum in mutationibus instantaneis (qualis est generatio substantialis, & desinitio priuationis formæ, quæ generatur) fieri, & factum esse in eodem sunt instanti, esse in desinendo idē erit, ac non esse, atque adeo, si in desinendo priuatio est in instanti generationis, priuatio non est in illo instanti; nam in mutationibus istis instantaneis res, quando non desinit, est, & quando desinit, non est.

12 Veritati ergo conformius est, priuationem non esse in instanti, in quo existit generatio; esse nihilominus vnum ex primis principijs illius: quia de ratione principij, quod est terminus à quo, non est simul cum principiato existere, sed solum postulat præire. Imò in mutationibus instantaneis, cum in eodem instanti, in quo est mutatio, sit terminus

g

eius

eius *ad quem*, ita implicabit, quod principium, quod est terminus *à quo*, simul existat cum generatione, quæ est eius principiatum, ac implicat, quod sit simul cum principio, quod est terminus *ad quem*.

13 Quartum argumentum est. Forma rei naturalis, quæ per generationem fit, subsequitur ipsam generationem, estque illius formalis terminus, & effectus: ergo minimè poterit inter illius prima principia intrinseca, & essentialia numerari; siquidem de ratione primi principij potius est, quod principiatum antecedit; & si sit intrinsecum, & essentialia, potius est, quod sit causa principiatum, quam effectus eius.

14 Respondetur, quod, si nos acciperemus prima principia intrinseca, & essentialia *feri*, seu generationis rei naturalis in eo sensu, in quo illa accipimus, cum affirmamus, duo esse prima principia intrinseca, & essentialia *esse* rei naturalis, materiam, scilicet, & formam, nimirum, quia componitur ex illis, tanquam ex partibus intrinsecis, & essentialibus, concluderet argumentum. Tamen quia illa non accipimus in hoc sensu; (vt ex Scoto & alijs numero 2. advertebamus) sed appellamus prima principia intrinseca, & essentialia *feri*, seu generationis rei naturalis illa, cum quibus *feri*,

seu generatio rei naturalis ita intrinsecè, & essentialiter connectitur, vt sine illis definiri, cognosci, aut imaginari nequeat, ideo argumentum nihil concludit. Quia non obstante, quod forma rei naturalis, quæ per generationem fit, subsequatur ad ipsam generationem, sitque illius formalis terminus, & effectus, est verum dicere, *feri*, seu generationem rei naturalis ita intrinsecè, & essentialiter connecti cum ipsa forma rei naturalis, quæ per generationem fit, vt sine illa nec definiri, nec cognosci, nec imaginari possit.

15 Ex argumentis, quibus probari videtur esse plura, primum est. Ideo priuatio ponitur primum principium intrinsecum, & essentialia *feri*, seu generationis, quia est terminus, à quo progreditur. Sed etiam *feri*, seu generatio progreditur à forma pereunte, v. gratia, generatio animalis à forma embryonis; & generatio ignis à forma ligni: ergo non tantum tria, sed quatuor erunt prima principia intrinseca, & essentialia *feri*, seu generationis rei naturalis.

16 Et confirmatur, quia *feri*, seu generatio accidentalis, vt est dealbatio, calefactio, &c. respicit, vt terminum *à quo*, intrinsecè, & essentialiter, &

consequenter vt principium intrinsecum, & essentialia, formam præexistentem in subiecto, quod accidentaliter mutatur: ergo idem proportionabiliter erit dicendum de *feri*, seu generatione substantiali. Patet consequentia ex paritate rationis. Antecedens verò expresse docuit Aristot. cap. 5. huius libri textu 43. dicens, album non fieri per se ex quouis non albo, sed tantum ex non albo, quod est nigrum, aut alius mediis color.

17 Respondetur, priuationem inter principia prima intrinseca, & essentialia *feri*, seu generationis rei naturalis numerari, non ex eo præcisè, quod est terminus, à quo progreditur, sed etiam, & præcipue, quia *feri*, seu generatio rei naturalis ita intrinsecè, & essentialiter connectitur cum priuatione, à qua progreditur, vt à termino *à quo*, vt sine illa nec definiri, cognosci, aut imaginari possit: quam connexionem non habet cum forma pereunte, à qua progreditur, cum non solum absque ea definiri, cognosci, atque imaginari possit, sed etià à parte rei existere; (saltem per potentiam Dei) vt contineret in casu, quod Deus crearet materiam sine forma, & postea in eam materiam induceret aliquam formam substantialem; quod esse possibile, constabit ex disputatione sequenti.

18 Ad confirmationem dicimus, solum *feri* seu generationi accidentali alteratiuæ competere respicere intrinsecè, & per se formam positiuam, vt terminum *à quo*, in quantum est motus propriè sumptus: & hoc contendere Aristotel. loco citato; & latius nos dicemus 5. Physicorum: nam in quantum est mutatio (vt est etiam *feri* seu generatio substantialis) hoc non postulat; vt patet in illuminatione.

19 Secundum argumentum est. Dispositiones accidentales, quibus redditur apta, & habilis materia ad recipiendam formam, sunt principia *feri*, seu generationis rei naturalis: ergo dantur plura principia, quam tria. Antecedens patet, quia nihil gignitur, nisi ex apta, idoneaque materia.

20 Respondetur, quod etsi ab agente naturali nihil generari possit, nisi ex apta, idoneaque materia, & consequenter disposita per dispositiones accidentales; tamen ex hoc non sequitur, *feri* seu generationis rei naturalis esse plura, quam tria, prima principia. Tum quia huiusmodi dispositiones accidentales, etsi possint appellari principia generationis substantialis, sed non intrinseca, & essentialia: (de quibus in præfati sermo) siquidem non solum potest generatio rei naturalis definiri, cognosci, atque imaginari

sine ipsis, sed etiam per potentiam Dei absolutam illis secluis existere. Tum etiam, quia, cum huiusmodi dispositiones pertineant ad genus causae materialis, reducuntur ad materiam, & sic non essent plura, quam tria prima principia, adhuc admissio, quod essentialia fieri, seu generationis naturalis.

21. Tertium, & ultimum argumentum est, *Fieri*, seu generationis rei naturalis est quaedam actio. Sed omnis actio ita intrinsecè, & essentialiter connectitur agenti, ut absque illo neque definiri, nec cognosci, neque imaginari possit: ergo etiam agens, seu efficiens inter principia intrinseca, & essentialia fieri, seu generationis rei naturalis debet numerari.

22. Respondetur, *fieri*, seu generationem rei naturalis dupliciter considerari posse, scilicet, ut actio, & ut mutatio est: Si, ut actio, consideretur, fateor, efficiens, seu agens esse principium, intrinsecum, & essentialia ipsius (ut argumentum conuincit) secus autem, si solum consideretur, ut mutatio; quia, ut sic, solum intrinsecè, & essentialiter connectitur cum materia, forma, & priuatione. Nam intrinsecè, & essentialiter mutatio solum dicitur transitum subiecti

ex non esse ad esse. In praesenti ergo non est sermo de primis principiis intrinsecis, & essentialibus fieri, seu generationis rei naturalis, ut actio est, sed ut est mutatio. Nam Physicus agit de substantia corporea, ut motui, seu mutationi substat: nam agit de ipsa, ut constat natura; natura autem, ut natura est, non est principium actionis in aliud, sed motus eius, in quo est; ut ex dicendis super secundum librum latius constabit.

QVÆSTIO. III.

Vtrum primò contraria sint prima principia rerum naturalium?

I. Communiter auctores: quæstionem propositam non exagitant, sed potius hanc eius conuertentem, *vtrum prima principia rerum naturalium sint primò contraria?* Existimant enim, Aristotel. cap. 5. huius libri hoc probasse & auctoritate omnium antiquorum Philosophorum, & ratione ab ipso facta textu 43: Sed sanè falluntur, nam, quod prædicto loco probauit Aristotel. tam auctoritate antiquorum Philosophorum, quam ratione ab ipso textu 43. facta, non fuit, quod prima principia esset primò contraria; sed quod primò contraria essent prima prin-

principia rerum naturalium. Ecce Philosophi verba: *Quod igitur contraria quodam modo omnes faciunt principia, manifestum est; & hoc rationabiliter: oportet enim, principia neque ex alterutris esse, neque ex alijs, & ex his omnia. Contrarijs autè primis insunt hæc: ob id quidem, quod prima sunt, non sunt ex alijs: ob id verò, quod sunt contraria, non sunt ex alterutris, &c.*

2. Quod amplius confirmari potest ex capite 7. textu 70. ubi quasi recopilans Aristot. quæ à capite 5. vsque ad illum textum docuerat, ponit hæc verba: *Hæc autem (scilicet, prima principia) quomodo duo, & quomodo plura, dictum est in præcedentibus. Primum igitur dictum est, quod contraria solum principia sunt. Posterius autem, quod necesse est, aliud quidpiam subijci, & esse tria.* En quomodo fatetur Aristot. se probasse supra, (scilicet cap. 5.) non quod prima principia rerum naturalium sint primò contraria; (ut existimant communiter auctores, qui hic exagitant, *vtrum prima principia rerum naturalium sint primò contraria?*) sed quod primò contraria sint prima principia rerum naturalium. Merito ergo nos affatum hoc Aristotel. ut magis pateat, in hac quæstione exagitamus. Subijciam tamen in quæstionis calce, quid dicendum sit ad quæsitum communiter ab auctoribus exagitatum; nam, cum

sit cōuertēs nostræ quæstionis, facile ex dicendis in ipsa, resolui poterit.

3. Pro parte negatiua, scilicet, primò contraria non esse prima principia rerum naturalium, rationes dubitandi sunt. Prima: quatuor primariæ qualitates, quæ sub sensum cadunt (videlicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas) sunt primò contraria, cum non orientur ex aliarum qualitatum permissione, & tamen non sunt prima principia rerum naturalium: (ut ex disputatis in duabus præcedentibus quæstionibus liquido constat) ergo primò contraria neutiquam inter prima principia numeranda veniunt.

4. Secunda: in quolibet genere (sive sit substantiæ, sive accidentium) teste Arist. in hoc libro textu 50. & 56. datur una prima cōtrarietas, & consequenter aliqua primò contraria: & tamè accidentia non possunt esse rerum naturalium principia: non ergo primò cōtraria sunt prima principia rerum naturalium.

5. Tertia: si aliqua primò cōtraria forent rerum naturalium prima principia, maximè forma substantialis, & priuatius. Sed hæc non: ergo nulla. Probò minorem: nam, si hæc essent prima, non darentur alia priora ipsis. Quod autem datur, patet; nam forma in communi, & prout sub se cōprehendit, tã substantialē, quam

accidentalem; & priuatio formæ etiam in cõmuni, & prout sub se comprehendit, tam priuationem formæ substantialis, quàm accidentalis, sunt priora, quàm forma substantialis, & priuatio eius; cum omnia superiora inferioribus, quæ sub se comprehendunt, priora sint, teste Arist. c. de Modis prioris. 6. His nõ obstantibus, vt Arist. sententia, tenendum est, primò contraria esse prima principia rerum naturalium; quam ipso Philosophus cap. 5. citato nõ solum. autoritate omnium antiquorum Philosophorum, sed etiam per rationem (applicando inquam primis contrarijs, & de eis verificãdo definitionem primorũ principiorum) luculenter demonstrauit; vt manifestum est in verbis eius supra relatis, additis, quæ in textu immediatè subsequuntur; vbi vltimam conditionem primorum principiorum (scilicet; *omnia fieri ex ipsis*) applicat etiam primò contrarijs inductione demonstrans, ex ipsis primis contrarijs omnia fieri, tãquam ex termino à quo, vt album ex non albo; musicũ ex non musico, &c.

7. Sed, vt sententiam istam Aristotilicam ampliùs declaremus, & viam diluendi rationes dubitandi aperiamus, (in cuius enodatione nõ pauci oleum, & operam perdidērunt) primò aduertendum est ex Arist. 5. Metaph. c. 12. text.

16. contrarietatem bifariam accipi. Primò strictè, & propriè, scilicet, pro oppositione inter duas qualitates, quæ sub eodem genere maximè distat, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt. Secundò latè, & impropriè, scilicet, pro quacũque oppositione. In quo sensu tam priuatiuè opposita, vt lux, & tenebræ; quam relatiuè, vt magnum, & paruum; oriens, & occidens, contrariari dicuntur. 8. Secundò aduertendũ est, tam inter contraria strictè, & propriè sumpta, quàm inter contraria sumpta latè, & impropriè dari aliqua primò contraria. Inter contraria strictè, & propriè sumpta primo contraria sunt quatuor primæ qualitates, scilicet, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, eò quòd non habent in hoc genere cõtrarietatis alia priora contraria, ex quorum permistione oriuntur, sicuti habent albedo, & nigrido, cæteræque secundæ qualitates. Inter contraria verò latè, & impropriè sumpta in vnoquoque genere, tam substantiæ, quàm accidentium, primò contraria sunt ea, quæ opponuntur priuatiuè, eò quòd omnium istorũ generum cõtrarietas ad priuatiuã oppositionem reuocatur. 9. Quòd vt clariùs percipiatur, suppono, in quolibet genere (teste Arist. cap. 6 huius libri textu 50. & 56.) dari vnam primã contrarietatem &

hanc

hanc esse oppositionem priuatiuam. Cum enim vnumquodque genus per contrarias differentias diuidatur; (sumpta cõtrarietate in ista lata, & impropriè acceptione, in qua illam sumimus) vt constat ex eodem Aristot. libro 10. Metaph. cap. 10. textu 23. & harum differentiarum vna alteri dignitate excellat; (Species enim sunt sicut numeri) & insuper omne id, quòd deterius est, priuationem, vel quasi priuationem nobilioris in se habeat; fit inde, vt omnium generum contrarietas ad priuatiuam oppositionem, tanquam ad aliquid communius, & prius, reducat. Quòd Aristot. 10. Metaph. cap. 7. text. 16. verbis disertis docet.

10. Tertio aduertendum est, quòd sicut inter res, quædam sunt entia simpliciter; (nempè substantiæ) quædam non simpliciter, nimirum accidentia; ita ex primis contrarijs priuatiuè (quæ in vnoquoque genere dictum est reperiri) quædam sunt prima simpliciter; alia verò non item. Prima simpliciter sunt, quæ in genere substantiæ versantur, videlicet, forma substantialis, & eius priuatio. Prima non simpliciter sunt, quæ ad alias categorias pertinent, seu reducuntur, scilicet, quælibet forma accidentalis, eique correspondens priuatio, vt lux, & tenebræ; visus, & cæcitas.

11. His animaduersis dicimus, quòd, cum Aristot. dicit, primò contraria esse prima principia rerum naturalium, non loquitur de contrarijs strictè, & propriè sumptis; (in quo genere dictum est, primas qualitates esse primò contraria) sed de contrarijs latè, & impropriè sumptis (in quo genere dictum est, opposita priuatiuè esse primò contraria.) Item non loquitur de primis contrarijs priuatiuè, quæ non sunt simpliciter talia, vt sunt formæ accidentales, earumque priuationes; sed de primis cõtrarijs priuatiuè, quæ simpliciter sunt talia; vt sunt forma substantialis, eique correspondens priuatio. In quo sensu nulli potest esse dubium eius affatum; quandoquidem primò contraria, ita sumpta, recitantur cum forma substantiali, eiusque priuatione: quas quæstionibus præcedentibus ostensum est, esse duo prima principia fieri rerum naturalium.

12. Nec rationes dubitandi in principio positæ vllam iam habent difficultatem. Nam quamuis primæ qualitates sint primò contraria, sed non sumpta contrarietate latè, & impropriè (vt hic eam sumit Aristotel.) Et quamuis formæ accidentales, & eius priuationes primò contraria sint, sumpta contrarietate latè, & impropriè; sed non simplici-

ter, sicut sit forma substantialis, ei que correspondens priuatio. Et denique, quod forma, & eius priuatio in cōmuni sint priora quoad prædicationem, & reciprocandi consequentiam, quàm forma substantialis, & priuatio ei respondens, nō impedit, quod forma substantialis, & eius priuatio in ratione principiandi fieri rerum naturalium sint prima simpliciter; (quæ est sola prioritas, de qua hic loquimur) cum id nō obftet, quominus talia sint, ut neque ex se se, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia fiant.

13. Ex his patet, quid dicendū sit ad illam quæstionem nostræ conuertentem, quam cōmuniter hic exagitant auctores, *verum*, scilicet, *prima principia rerum naturalium sint primò contraria*? Nam respondetur, non omnia prima principia fieri rerum naturalium primò contraria esse; (sumpta contrarietate, ut hic eam sumpsit Aristotel.) sed tantum duo extrema, formam, inquam, &

eius priuationem. Nam, cum materia, quæ est alterum primum principium ante generationem sit simul cum priuatione formæ, & post generationem sit simul cum forma, neque priuationi, neque formæ poterit contrariari. Nam contraria (de quibus in præsentis est sermo) simul esse non possunt. Ita expressè docuit Aristot. non solum textu 67. (ubi docet, principia fieri rerum naturalium esse duo, & non esse duo; esse contraria, & non esse contraria. Quod explicans dicit, duo esse, si rationem contrarietatis consideremus; non autem esse duo, sed tria, si illa absolutè, & non habita ratione contrarietatis sumamus. Præterea, esse contraria, si extrema principia sumamus; non esse autem cōtraria, si subiectum, seu materia vtrique commune consideretur) sed etiam textu 69. ubi disertis verbis contrarietatem attribuit solis formæ, & priuationi eius.

DISPUTATIO TERTIA.

De materia prima, quæ est primum principium rerum naturalium.

Postquam egimus de primis principijs rerum naturalium in communi, agendum venit de eisdem principijs in particulari, de quibus, ut sic, agit Arist. cap. 8. & 9. huius libri. Incipimus autè à materia prima; quia materia prima est primum, & quasi fundamentum cæterorum. Sunt autè nouem, quæ de materia prima possunt desiderari. Primum, *An sit,*

fit; & quid sit? Secundum, *An ex se aliquem habeat actum?* Tertium, *Qualiter ratio pura & potentiæ subiectiue ad materiam primam comparetur?* Quartum, *An materia prima horum inferiorum sit una in specie, & numero?* Quintum, *An habeat appetitum ad formas substantiales?* Sextum, *An existeret sine forma substantiali?* Septimum, *An sit de quidditate compositi substantialis?* Octauum, *An sit generabilis, & corruptibilis?* Nonum, *An ipsa sit principium corruptibilitatis entis naturalis? An vero forma?*

QUÆSTIO PRIMA.

An sit, & quid sit materia prima?

Nomine materiæ primæ intelligunt interpretes primum subiectū mutationis substantialis, quod per talē mutationem non percat, sed sit cōmune, tam corrupto, quàm genito; & vnū ex primis principijs, ex quibus, tāquā ex partibus physicis, essentialiter omne ens naturalē coalescit, seu componitur.

2. Hæc autè materia varijs nominibus à Philosophis insignitur. Appellatur enim *elementum subiectū, mater, matrix, chaos, turpis, malefica, & prope nihil*. Dicitur *elementum*, quia res naturales ex ea primò constant, & in eadem vltimò resoluitur. *Subiectum*, quatenus formis accidentibus subest; hæc namque in subiecto esse propriè dicuntur, licet interdum etiam respectu formæ substantialis subiectū dicatur. *Mater*, quia est principium passuum generationis. *Matrix*,

quia suo gremio cōplectitur, fouet, & cōseruat formas substantiales. *Chaos*, quia confusè rerum omnium formas respicit. *Turpis*, quia sicut ex se caret omni forma, ita omni decore. *Malefica*, quia, ut possit frui forma, qua caret, eidem formæ, qua fruitor, machinatur. Et demum *prope nihil*, quia in genere substantiæ habet minimum entitatis, quod excogitari potest. De hac ergo materia duo inquirunt præsens quæstio. Primum, *An sit in rebus naturalibus physicis?* Secundum, *Quid sit?* 3. Circa primum quidam neotericus Doctor huius vniuersitatis in manuscriptis conatus est in scholas introducere, in sensu à nobis explicato (qui ipso consentiente, communis, atque receptus est apud Philosophos) materiam primam rebus naturalibus non in esse, sed quodlibet ens naturale, inquantū est in potètia, ut per

generationem substantiale in aliud ens naturale conuertatur, materiam primam esse appellandum.

4 Fundamentum huius singularissimi asserti est aliud nō minus singulare, quod proponit, dum disputat de compositione entis naturalis, nimirum, ens naturale in facto esse non esse entitatem physicam ex duabus entitatibus physicis, tãquam ex partibus essentialibus, compositam, quarum vna sit materia, & altera forma; (vt communis, & recepta Philosophia astruit) sed esse entitatem physicam simplicem, & essentialiter indiuisibilem; quæ secūdum diuerfos respectus materia, & forma dicitur; materia, inquam, vt est in potentia actualitas illa, in quam per generationem conuertitur: forma verò, vt actu est quædam actualitas.

5 Huius sententię absque nomine auctoris meminit Scotus in 2. d. 12. quæst. 1. §. *Hic dicitur, & ipsam, §. Positio ista* irrationabilem appellat; & meritò. Est enim singularis, Arist. contraria, rationi inimica, & ferè omnem destruit Philosophiã.

6 Est singularis; quia nominatum solum hunc habet auctorem: quod nec ipse abnuitt; cum oppositam sententiã passim vulgarem, & communem Philosophiam vocitet: *Omnes enim, qui de natura scripserunt, (Verbis Connimbricensium*

vtor) in agnitionem materia primæ, veritate duce, sequebantur, licet eius nomen minus aperte celebrauerint. Et quamuis à Marginistis Scoti Ricardo hæc assertio tribuatur quolibeto 2. quæst. 1. art. 1. sed immeritò; nam oppositum expressè affirmat.

7 Est Aristoteli cōtraria, quia in nullo Arist. fuit magis sollicitus, quàm in assignando quãdam partem substantiæ intrinsicam, & essentialem in rebus naturalibus physicis; quæ pars in substantialibus mutationibus sit primum subiectum, & quæ per talem mutationem nō intereat, sed sit communis tam genito, quàm corrupto, & in se recipiens formam, ipsam foueat, atque conseruet; quæ sæpè materiam primam appellat. Legatur hoc libro à capite sexto, vsque ad nonum inclusiue; & in Metaphysica lib. 8. cap. 1. & lib. 12. cap. 2.

8 Est inimica rationi, quæ suo lumine plures adinuenit vias, & rationes, quibus ostenderet, materiam primam in sensu explicato sumptã in esse rebus naturalibus physicis, quas locis citatis tradidit Arist. & etiam tradiderunt Plato in Timæo, Plotinus libro 4. Enneadis 2. cap. 6. Auerroes 4. Physicorum commento 38. & 8. Metaph. commento 12. Scotus super 1. Physicorum q. 17. & in 2. sententiarũ dist. 12. q. 1. & plures alij. Ex quibus rationibus tres statũ proponemus.

9 Prima est. Cum ignis, v. g. ex aqua ignem generat, aqua non ex toto interiit, neque in nihilum abiit; nam annihilare, sicuti & creare, solius diuinæ virtutis est: manet ergo aliqua pars substantialis aquæ, in qua forma ignis geniti recipiatur, & conseruetur. Hæc autem esse non potest forma aquæ; siquidem hæc non potest, cum forma ignis in eodem composito coherere, quãtò minus eam in se recipere: erit igitur materia.

10 Secunda. Ex nihilo nihil fit (vt communi sapiētium decreto ratum est) gignitur ergo omne, quod substantialiter producit, & consequenter in suo esse substantiali, & essentiali constituitur, non solum ex eo, quod per gignitionem accrescit; sed etiam ex aliquo, quod gignitionem antecedit. Hoc autem non est forma; quia forma, quæ gignitionem antecedit, in ipsa gignitione periit, & quæ per gignitionem accrescit, gignitionem non antecedit: ergo est materia. Datur ergo in omni ente naturali materia prima sumpta in sensu à nobis explicato.

11 Tertia. Cum animal alitur ex cibo, vel aliquid cibi manet in fine nutritionis, & coniungitur substantiæ viuētis, vel omnino destruitur cibus, & totum, quod in illo est per actionem viuētis? Si nihil cibi manet, superflua est tota

actio viuētis, quæ dicitur nutritio; nam ad quid, quæso potest requiri nutritio, si post ipsam nihil cibi manet, per quod crescere; aut confortari possit animal? Si verò aliquid cibi manet, quo crescat, & confortetur animal, hoc nihil aliud esse potest; quàm illa pars substantialis cibi, quæ est subiectũ commune, tam formæ cibi, quàm animalis; & quam nos materiam primam appellamus.

12 Destruit denique ferè omnem Philosophiam. Primò, quia è medio tollit generationem substantialem; quæ sublata, omnis ferè Philosophia perit: Assumptum probò. In omni transmutatione ab opposito in oppositum assignandum est aliquod subiectum transmutationis, quod ab opposito in oppositum pertranseat. Sed generatio substantialis est transmutatio substantialis ab opposito in oppositum: ergo vel assignanda est in generatione substantiali aliqua pars substantiæ; quæ sit subiectum transmutationis substantialis, & consequenter materia; vel penitus generatio erit deponenda. Maior, in qua esse poterat difficultas, non solum est Aristotelis 8. Metaph. cap. 1. citato textu 4. Sed etiam ab ipso optima inductione comprobatur. Verba subiicito: *In cunctis namque oppositis transmutationibus est. aliquod transmutationis sub-*

subiectum; ut puta secundum locū, quod nunc hic, rursus alibi. Et secundum augmentationem, quod nunc tantum, rursus minus, aut maius. Et secundum alterationem, quod nunc sanum, rursus agrum. Similiter autem, & secundum substantiā, quod nunc in generatione, rursus in corruptione, & nunc quidem subiectum, ut quod quid, rursus autem subiectum, ut secundum priuationem.

13 Quod si respondeat quis, in sententia huius Doctoris esse quidem subiectum in transmutatione substantiali, sed non quod vulgaris Philosophia assignat, scilicet, aliquam partem substantialem entis naturalis, quod per generationem conuertitur in aliud, sed ipsum ens naturale, quod conuertitur, & est vnum ex extremis, seu contrariis istius transitus. Contra hoc optimè insurgit Arist. 12. Metaph. cap. 2. text. 6. docens, vnum contrarium, seu transmutationis extremum non posse esse subiectum transmutationis; quia subiectum debet post transmutationem manere, & contrarium, à quo fit transmutatio, non manet, sed potius in ipsa transmutatione perit: assignandum ergo est aliquid aliud pro subiecto, scilicet, partem illam substantiæ entis naturalis, quod corrumpitur, & quam materiam primam appellamus. Aristot. hæc sunt verba: *Necesse est, aliquid subesse, quod in contrarietatem mute-*

tur; non enim contraria transmutantur. Præterea hoc quidem permanet, contrarium verò non permanet. Estigitur aliquid tertium præter contraria, ipsa materia. Quid clari-

14 Secundò, quia in ista sententia rerum transmutatio non est corruptio, & generatio; sed transsubstantiatio quædam, cum tota substantia vnius rei pereat, & tota alia incipiat. Ponere autem, rerum naturalium mutationem esse transsubstantiationem, quis non videat, esse destructionem Philosophiæ? Imò per actionem agentium naturaliū impossibile? Nam, præter rationes annihilationis substantiæ præexistentis, & creationis substantiæ succedentis, quæ necessariò in ista transsubstantiatione includuntur, & agētibus naturalibus repugnant, non potest excogitari ratio, cur ista duo, scilicet, annihilatio substantiæ præexistentis, & creatio substantiæ succedentis, sint ita connexa in rerum natura, ut ad vnius creationem, necessaria sit annihilatio alterius, aut è contra.

15 Circa secundum, quod quærit quæstio, primò dicendum est, materiam primam esse ens reale. Ita Scotus in 2. d. 12. q. 1. Et patet, nam est vnum ex principiis, ex quibus intrinsecè, & essentialiter componitur ens naturale in suo esse reali. Itē quia ex opposito sequeretur, omnes formas substan-

tia-

tiales creari. Sequelam probò, quia, si materia prima non esset ens reale, esset nihil, ac per consequens idem foret, formas fieri ex supposita materia, ac fieri ex nihilo, quod est creari.

16 Obijcies Aristotelem, qui 5. Physicorum textu 8. materiam appellat non ens. Respondetur, Philosophum appellare illam non ens, per accidens, & ratione priuationis actū formalium; materia enim (ut quæst. 2. dicam) ex se non habet actum formalem, sed illum à forma accipit. Tamen ex hoc non sequitur, esse non ens simpliciter & sumpto non ente pro nihilo; nam est ens in potentia subiectiua ad actum formalem; (ut docet Aristot. 7. Metaph. text. 7. & 8. & libro 12. text. 7. & 2. Physicor. text. 11. & 2. de anima text. 2.) quod entitatem aliquam requirit, ut ipse Arist. falsus est in hoc libro text. 79. & 7. Metaph. text. 8.

17 Dicendum est secundò, materiam primam esse substantiam, saltem partialem. Ita Aristotel. 7. Metaph. text. 7. & libro 10. cap. 1. vbi ait, materiā esse substantiam aliter, ac formā, & 2. de anima text. 2. vbi substantiam diuidit in materiam, formam, & compositū. Et ratio est, quia, si non esset substantia, supposito quod est ens reale, esset accidens. Accidens autem esse non potest; nā-

accidens supponit subiectum, in quo inhæreat, quod non potest supponere materia prima, cum sit primum subiectum.

18 Obijcies Aristotelem, qui in hoc libro text. 79. appellat materiam primam prope substantiam. Respondetur Aristot. appellare materiam primam prope substantiam, non quia substantia non sit, sed quia non est substantia perfecta, hoc est, specificè in aliquo gradu entium substantialium determinata, & constituta.

19 Dicendum est tertio, materiam non esse substantiam compositam ex substantiali potentia, & aliqua forma substantiali. Hanc conclusionem pono contra quamdam opinionem relatum à Scoto in 2. dist. 18. quæst. vnica, §. *Responsio*, quæ à Marginistis tribuitur Alberto Magno, & Hærico; ab alijs autem tribuitur Auicennæ. Hæc enim opinio affirmabat, in materia esse quædam formam substantialem illi perpetuò coætam, quam eius auctores appellabant rationem seminalē, seu inchoationem formatum; quia ex illa educebātur omnes aliæ formæ, tanquam ex seminario.

20 Fundamentum istius opinionis erat, quia ponendo in materia formam, quæ etiam si esset imperfectior annibus formis in ipsam per generationem inducendis, esset tamen nata coagere cum agen-

agen-

agente extrinſeco ad ipſarum productionem, ſeu inductionem, quod videbatur illis neceſſarium, vt ſaluari poſſet, generationem non eſſe creationē, & ſimiliter eſſe mutationem naturalem: quæ duo dicebant, nō poſſe ſaluari, ſi materia poneretur nuda ab omni forma; nam, ſi nihil formæ præſupponitur in materia, generatio formæ eſſet ex nihilo ſui, quod eſt creari. Et ſi nulla forma præcederet in materia, quæ ſimul cum agēte concurreret ad generationem, tota illa mutatio eſſet à principio extrinſeco; & conſequenter nō poſſet appellari naturalis: nam, vt mutatio naturalis ſit, neceſſarium eſt, quod ſit à principio intrinſeco: ſiquidem natura eſt principium motus, & quietis eius in quo eſt.

21 Probari autem ſolet hæc noſtra conſuſio ab aliquibus, quia, ſi materia prima eſſet ſubſtantia compoſita ex potētia ſubſtantiali, & aliqua ſubſtantiali forma, ſequeretur, quod non poſſet recipere alias formas ſubſtantiales; quia duæ formæ ſubſtantiales in eadem numero materia eſſe non poſſunt. Sed hæc ratio non eſt efficaciſſima: licet enim in eadem numero materia non poſſint eſſe duæ formæ ſubſtantiales perfectæ, & quarum vna reſpectu alterius nō ſe habeat, ſicut potentia ad actum: tamen probabiliffimum eſt id, quod docet Scotus in 4. d. 1. quæſt. 3. art.

2. & nos ex profeſſo in libris de ortu, & interitu (Deo dante) demonſtrabimus, ſcilicet, in eadem numero materia eſſe poſſe plures formas ſubſtantiales, quarū vna ſit imperfectior, & in potentia ad aliam; ſicut eſt forma corporeitatis reſpectu animæ.

22 Efficacioribus ergo rationibus illam probat Scotus loco citato, §. *Contra primum motiuū*. Primò, inquirendo ab auctoriſſimis oppoſitæ ſententiæ, vtrum illa pars formæ de nouo adueniens per generationem præſuerit in materia? an non? ſi nō; cum illa pars formæ non ſit à ſe, neque aliquid eius præſuerit, ſequentur eadem inconuenientia, quæ ipſi obijciunt, ſcilicet, creari, & productionem eius non eſſe naturalem. Si præſuit; ergo nihil noui per generationem acquiritur; & conſequenter nihil erit tota liter nouum; ſed cuncta fuerunt ſimul creata, & quodlibet erit in quo libet; quod improbat Philoſophus in hoc libro textu 37.

23 Secundò, forma cœua materiæ, & generationem antecedens ponitur ab his auctoriſſimis imperfectior forma per generationem inducēda. Modo ſic, in his, quæ ſunt eiufdem rationis minus perfectum non agit, niſi in virtute magis perfecti: ergo vel dicendum eſt, illam formam ſeminalis, & cœuam materiæ non agere; (vt cōtendunt hi auctores) vel age-

agere in virtute formæ inducēdæ; quod eſt impoſſibile; cum illa nondum ſit.

24 Tertiò, neceſſarium eſt, quod illa forma ſeminalis ſit eiufdem rationis cum forma perfectiori, quæ generanda eſt (aliàs forma geniti conſtaret ex formis diuerſarum rationū) modo ſic. Agens, quod in virtute ſua actiua habet formam perfectiorem, habet etiam imperfectiorem eiufdem rationis: ergo ſicut perfectior ponitur in eſſe per generationem; ita poſſet imperfectior. Igitur non eſt neceſſarium, quod in materia præſuerit forma ſeminalis perpetuò.

25 Quarto, pars formæ, quæ per generationem inducitur in materiam, aut educitur immediatè de potentia materiæ (& tunc fruſtra ponitur, rationem ſeminalis præcedere in materia) aut non educitur immediatè de materiâ, ſed de illa parte formæ præexiſtente? Et tunc ſequitur inconueniens, ſcilicet, quod aliquid educeretur ad actum de aliquo eiufdem rationis cum ipſo.

26 Præter has rationes Scoti, quæ ad hominem, & ex principijs aduerſariorum adductæ ſunt, poſſumus & nos alia ratione noſtram conſuſionem confirmare. In materia nullum indicium eſt iſtius formæ ſeminalis, & perpetuò cœuæ materiæ: inſuper nullus eſt effectus aſignabilis, ad quem

neceſſaria ſit: ergo ſine fundamento, vel neceſſitate fingitur. Prior pars antecedentis patet; quia iſta forma nullam habet qualitatem, ſibi propriam, per quam indicari poſſit: neque ex tranſmutatione ſubſtantiali poſſet colligi; quia ex tranſmutatione ſubſtantiali ſolum colligitur, dari eius aliquod ſubſtantiale ſubiectum, quod ſit pura potentia, id eſt, ex ſe nullam includens formam.

27 Poſterior pars antecedentis probatur. Si aliqui eſſent aſignabiles effectus, ad quos neceſſaria eſſet in materia iſta forma ſeminalis ei, perpetuò cœua, maximè, qui aſignantur à contrarijs in ſuo fundamento, ſcilicet, vt ſaluetur, generationem non eſſe creationem, & inſuper eſſe mutationem naturalem. At hæc ridicula ſunt; nam ad hoc, vt productio alicuius formæ ſit generatio, & non creatio, non eſt neceſſarium, quod præcedat aliqua pars illius formæ, ſed fat eſt, quod fiat ex præſuppoſito ſubiecto. Et ſimiliter ad hoc, quod generatio ſit mutatio naturalis, non eſt neceſſarium, quod principium intrinſecum ſit actiuum, ſed ſatis eſt, quod ſit paſſiuum: quia (vt dicemus cum Scoto libro ſequenti) natura non eſt principium motus, & quietis actiuum, ſed paſſiuum.

28 Dicendum eſt: quarto, ma-

materiam esse substantiam incompletam, non solum realiter, sed etiam essentialiter distinctam à forma; imò in genere physico esse ab illa primò diuersam. Ita Scotus in 2. d. 1. 2. q. 1. litt. E. Quòd sit substantia incompleta, patet; nam ens naturale est vnum per se. Sed ens naturale ex Arist. libro 3. huius operis cap. 7. text. 66. cõponitur ex materia, & forma: ergo tam materia, quam forma sunt substantiæ incompletæ. Patet consequentia, nam ex duobus entibus completis non potest fieri vnum per se.

29 Quòd sit forma realiter distincta, sic ostendo. Illa sunt realiter distincta, quæ possunt realiter separari. Sed materia potest separari à forma, quam in se habet; imò de facto separatur in omni generatione substantiali: ergo signum euidens est, quòd materia sit realiter distincta à forma.

30 Quòd etiam sit distincta à forma essentialiter (loquor de distinctione essentiali, quæ reperiri potest inter partes essentielles) sic demonstro. Illa essentialiter distinguuntur, quæ habent distinctas essentias, & passiones essentielles. Sic se habent materia, & forma: ergo, &c. Minorem probò: nam materia est potentia, & receptiua formarum substantialium: forma verò est actus incapax recipiendi formas substantiales.

Præterea materia ex se est ingenerabilis, & incorruptibilis; formæ autem materiales generabiles, & corruptibiles sunt. Et denique materia in se nullam habet veram, & propriam actiuitatem, sed solum habet posse pati ab agente; formæ verò substantiales omnes sunt actiue, seu principium motus, seu mutationis actiuum.

31 Quòd denique in genere physico sit à forma primò diuersa, etiam est manifestum. Nam illa sunt primò diuersa, quæ in nullo conueniunt. Cõstat autem, in genere physico materiam, & formam in nullo conuenire, cum materia ita sit potentia subiectiua, vt nihil actus formalis includat; forma verò ita sit actus formalis, vt potentiæ subiectiue includat nihil.

32 Ex his assertis infertur, optimam esse definitionem, quã de materia prima tradidit Aristot. cap. 9. huius libri text. 8. 2. his verbis, *Dico autem materiam primam primum subiectum vniuersiusque, ex quo fit aliquid, cum infit, primò, & per se, & nõ secundum accidens.* In qua definitione ponitur loco generis *subiectum*, in quo conuenit materia cum toto composito, quod etiam est subiectum formarum, & mutationum accidentalium, & differt à forma, quæ cum à materia sit primò diuersa in genere physico, non potest cum illa

illa adhuc in aliquo genere Physico conuenire. Per ly *primum* differt à toto composito, quod non est primum, sed secundum subiectum. Per ly *ex quo aliquid fit* differt a causis extrinsecis, (vt sunt efficiens, finalis, & exemplaris) quæ etsi sint principia compositi naturalis, sed non *ex quibus*, sed *à qua*, vel *cuius gentia*, aut *instar cuius* aliquid fit. Per ly *cum infit* differt à priuatione, (vt annotauit Scotus in 2. distinct. 1. 2. quæst. 1. in fine primi §.) ex qua etiam si fiat compositum substantiale, non tamen tanquam ex eo, quod inest prædicto composito, cum non sit principium ipsum essentialiter componens, sicuti est materia. Et demum per illa verba *primò*, & *per se*, & *non secundum accidens* differt ab accidentibus, quæ erant in re corrupta, & manent, saltem eadem in specie in his, quæ generantur, & ipsis insunt, sed non primò, & per se, sicut materia, sed per accidens.

33 Dices; Per esse *primum subiectum* non solum explicatur essentia materiæ primæ, sed etiam distinguitur ab omnibus alijs: ergo superflue ponuntur reliquæ particulæ in hac definitione. Responderetur negando consequentiam: licet enim particulæ *primum subiectum* ita naturam materiæ

primæ explicent, vt illam ab omnibus alijs distinguant: tamen reliquæ particulæ additæ sunt maioris explicacionis gratia; quod in definitione materiæ non debet superfluum reputari, cum ob infirmitatem sui entitatem adeò sit ignota, ac proinde maiori, quam communi, indiget explicatione.

34 Aliter etiam definit Aristotel. materiam primam 7. Metaph. text. 8. scilicet, per negationes his verbis: *Dico autem materiam, quæ per se ipsam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud est eorum, quibus ens determinatur, neque etiam negationes: etenim hæ quoque secundum accidens erunt.* Quæ descriptio est metaphysica, nec conuenit materiæ, prout habet esse in rebus, sed prout secundum se nuda, & expoliata est omnibus rebus, quæ sunt extra ipsius essentiam, animo, & cognitione cernitur. Quæ descriptio non est reiicienda ex eo, quòd per negationes detur. Nam quamuis 6. Topicorum vituperentur definitiones negatiuæ: tamen hæ tolerantur, & propemodum necessariae sunt in duobus rerum generibus, nimirum, in rebus imperfectissimis, qualis est materia prima, cuius natura aptè declaratur remouendo ab ea omnes actuales perfectiones; & in rebus perfectissimis, cuiusmodi

est Deus, qui propter excellentiam suam perfectionis (vt docet D. Dionysius 1. capite de Diuinis nominibus, & in libro de mystica Theologica cap. 2. & 3.) melius à nobis negatione, & remotione omnium imperfectionum, quam affirmatione noscitur.

35. Dicitur autem in hac descriptione, materiam *non esse quid*, non quia substantia non fit, sed vel quia ex se nullam habet formam; (quæ est *quod quiderat esse*) vel quia non est hoc aliquid, id est, substantia completa per se subsistens. Dicitur *non esse quantum*, neque aliquid aliud eorum, quibus ens determinatur ad denotandum, ad nullum ex nouem prædicamentis accidentium spectare: *Additur, neque etiam negationes; etenim hæc quoque secundum accidens erunt*, ne existime mus materiam esse nihil, sed potius esse aliquid positium, & consequenter omnes negationes prædictas, quibus definita est materia, ei non essentielles, sed accidentales esse.

QVÆSTIO II.

Vtrum materia prima ex se aliquem habeat actum?

1. **D**ecisio huius quæstionis valde necessaria est ad completam intelligentiam na-

turæ, & essentia materiam primam. Potest autem quæstio ista duobus modis intelligi. Primo, ita vt particula *ex se* dicat negationem causæ efficientis; quo pacto dicere solemus Theologi, Deum habere esse ex se, id est, non ab alio. Et in hoc sensu non procedit quæstio; quia de fide est, solum Deum habere esse actuale ex se, id est, non dependens ab alio in genere causæ efficientis; cæterorum verò esse actuale à Deo esse productum vel creatione, vel generatione. Secundò, ita vt particula *ex se* dicat negationem causæ formalis extrinsecæ; ita vt sensus quæstionis sit, vtrum materia prima ex natura sua, & ab intrinseco habeat aliquem actum? an verò solum habeat esse actuale ab aliquo extrinseco, scilicet, à forma substantiali? Et in hoc sensu procedit præsens quæstio.

2. Thomistæ, videlicet, Caietanus de Ente, & essentia cap. 5. quæst. 8. & 1. part. quæst. 76. articul. 1. Ferrara 1. contra gentes cap. 4. & 2. contra gentes cap. 68. & 1. Physicorum quæst. 11. Sencinas 7. Metaph. quæst. 17. & libr. 8. quæst. 1. Iabellus 5. Metaph. quæst. 3. & libr. 8. quæst. 1. Capreolus in 2. dist. 13. quæst. 1. Bañez 1. de generatione cap. 3. quæst. vltima,

ma, Nauarrete 1. part. tom. 1. controuersia 17. Ledesma de Diuina perfectione quæst. 4. & Cursus Carmelitani 5. disp. 3. super 1. Physicorum quæst. 2. 3. & 5. sustinent, materiam primam ex se nullam entitatem actualem habere, neque essentia, neque existentia, sed esse actuale essentia habere ex forma, esse verò actuale existentia ab existentia totius compositi. Quæ etiã est sententia Durandi in 2. distinct. 2. quæst. 2. & in 4. distinct. 44. quæst. 1. & videtur etiam esse D. Thom. 1. part. quæst. 7. articul. 2. ad 3. vbi dicit: *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum. Vnde magis est aliquid concretum, quam creatum.* Idem docet quæst. 44. art. 2. ad 3. & quæst. 45. art. 4. & quæst. 66. art. 1. vbi ex eo principio concludit, materiam primam non posse esse sine forma. Et primo contra gentes cap. 43. & quæst. 4. de potentia artic. 1. vbi in corpore sic ait: *Quidquid in rerum natura inuenitur, actu existit, quod quidem non habet materia, nisi per formam, quæ est actus eius.* Et 1. 2. quæst. 94. art. 15. vbi in solutione ad secundum ponit hæc verba, *idem est esse formæ, & materiae, & hoc quidem est esse compositi.* Quod etiam docuerat in 2. distinct. 1. quæst. 2. art. 4. ad 2.

3. Præcipuum fundamentum huius sententia est, quia materia est pura potentia: ergo non potest ex se habere aliquem actum, seu entitatem actualem. Consequentia patet, quia actus opponitur potentia; & cum dicitur pura potentia, istud additum includit negationem omnis actus. Antecedens verò est veluti commune axioma Philosophorum omnium, desumptum ex Aristotel. 1. Physicorum text. 69. vbi ait, *ita se habere materiam ex se ad res naturales, sicut res naturales se habent ex se ad res artificiales.* Constat autem, res naturales respectu artificialium esse in pura potentia. Et 1. de generatione cap. 3. dicit *essentiam materia consistere in ipso posse.* Et 8. Metaph. text. 3. & libr. 11. cap. 2. & 5. Physicorum text. 8. sentit *materiam esse non ens actu, & 7. Metaph. cap. 3. ait, materiam per se neque quid, neque aliud huiusmodi esse.* Vnde commentator libro de substantia orbis in principio, & 1. Physicorum commento 12. dicit, *materiam substantiam per posse.*

4. Deinde probatur rationibus idem antecedens. Prima, quia, si materia non est pura potentia, ergo vel est composita ex potentia & actu, vel est aliquis actus? Primum dici non potest: (vt

constat ex dictis quæstione præcedenti conclusione 3.) neque etiam secundum; nam si est actus, aut informans, aut subsistens? Non primum, aliàs esset actus alterius subiecti, & consequenter daretur aliud subiectum prius materia prima; quod rationi materiæ primæ repugnat. Neque secundum; quia actus subsistens semper est perfectior actu informante: materia autem imperfectior est forma substantiali, quæ est actus informans. Et confirmatur, quia materia nullam habet operationem: ergo neque esse actuale, seu existentia. Patet consequentia, nam iuxta commune proloquium, *esse est propter operari*. Confirmatur secundò, quia, cum forma sit actus, si materia quoque actus foret, compositum ex utraque resultans non esset unum perse; siquidem ex communi, & recepto axiomate *ex duobus entibus in actu non fit unum per se*.

5. Secunda ratio. Materia physicè est omnino simplex: ergo vel tota est actus, vel tota est potentia: quia simplex entitas non potest constare ex actu, & potentia. Sed non potest dici, quòd tota sit actus, cum sit essentialiter potentia: ergo est omnino potentia, nihil actus includens.

6. Tertia, quidquid habet entitatem actualem est in specie determinata, cum nihil sit actu in rerum natura, quod non sit indiuiduum, & nullum sit indiuiduum, quod non contineatur sub aliqua determinata specie. At materia prima ex se non est in aliqua determinata specie, sed indifferens ad omnes, non secus ac est indifferens ad omnes formas, quæ sunt, à quibus habet determinari in specie: ergo materia prima ex se non habet entitatem actualem, sed illam recipit à forma.

7. Quarta. Sicut se habet purus actus ad potentiam, ita se habet pura potentia ad actum. Sed purus actus (scilicet, Deus) nullam potentialitatem includit: ergo pura potentia (scilicet, materia) nullam includet actualitatem.

8. Sed vera, & iam recepta sententia distinguit actum in entitatum, & formalem; & similiter potentiam in obiectiuam, & subiectiuam. Et hac supposita distinctione docet, materiam primam ex se nullum habere actum formalem, & consequenter ex se esse puram potentiam subiectiuam: habere tamè ex se actum entitatum, & consequenter non esse in pura potentia obiectiuam. Ita subtilis Doctor in 2. d. 12. q. 1. quem omnes discipuli secuntur, Licherus ibidè,

An-

Antonius Andreas 7. Metaph. quæst. 6. Tartaretus super 1. Physicorum cap. 8. q. 7. Rada 2. p. controuersia 12. articul. 2. Philippus Faber theoremate 22. Mauritius 1. Metaph. q. 20. Aretinus in annotationibus ad 20. quæstionem Scoti super 1. Physicorum. Et ex alijs Gregorius, & Gabriel, cæterique Nominales in 2. dist. 12. quæst. 1. Ricardus ibidem art. 1. q. 4 ad 2. Henricus quolib. 1. q. 10. & quolib. 4. quæst. 26. Suarez in Metaphysica disp. 13. sect. 4. num. 13. Hurtado disp. 2. physica sect. 2. §. 30. Pererius lib. 5. cap. 13. Toletus hic q. 11. & quam plures alij.

9. Pro cuius sententiæ maiori explicatione annotandum est, quòd, cum omnis potentia dicat ordinem ad actum, tot modis potest aliquid dici in potentia, quot modis dicitur actus. Primo enim modo sumitur actus pro operatione aliqua; & potentia, quæ correspondet huic actui, appellatur potentia actiua, de qua modo non loquimur, sicut nec loquimur de actu prout est idem, quod operatio: nam utrum materia ex se sit operatiua vel non, diuersam difficultatè attingit ab ea, quam nunc examinamus. Et quidquid sit de hac difficultate, manifestum est apud omnes, non solum materiã, sed neque formã, nec compositum ex eis, esse actum, sumpto actu pro operatione aliqua.

10. Secundò sumitur actus pro forma, siue substantiali, siue accidentali, quæ præsupponit subiectum, quod aduet, & informet; & potentia correspondens huic actui dicitur potentia subiectiua, eò quòd sit subiectum, in quo recipitur, siue subiectatur actus.

11. Tertio sumitur actus pro actualitate existentia, quæ, quia omni enti reali tribuit, quòd sit actu, & extra statum puræ possibilitatis, ideo optimè à Scoto, & alijs actus entitatus appellatur; & potentia correspondens huic actui dicitur potentia obiectiua, quæ nihil aliud est, quàm esse possibile, quod habent res, antequam producantur, & realiter existant, in quantum est obiectum potentia ipsius productiua. Itaque ens possibile dupliciter considerari potest. Primò ut dicit non repugnantiam ad essendum, & ut sic dicitur esse in potentia logica. Secundò ut est obiectum virtutis potentis ipsum producere; & ut sic dicitur esse in potentia obiectiua. Et quia prius est non esse repugnantiam in re, quàm obijci virtuti causæ, ut fiat, ideo egregiè dixit Scotus in 1. dist. 36. quæst. vnic. in fine, possibilitatem obiectiuam consequi ad possibilitatè logicã, seu ad non repugnantiam.

12. Differunt autem potentia obiectiua, & subiectiua in

duobus. Primò, quia potentia obiectiua non est subiectum alicuius transmutationis, sed potius est terminus, à quo; & actus sibi correspondens est veluti terminus *ad quem*. Potentia verò subiectiua est reale transmutationis subiectum. Secundò differunt, quòd potentia obiectiua multiplicatur ad multiplicationē suorum actuum; alia est enim potentia obiectiua rosæ, alia leonis, alia equi, &c. non secus, ac aliud est esse possibile rosæ, & aliud esse possibile leonis, & aliud esse possibile equi, &c. vt obijciuntur eorum potentijs productiuis. At potentia subiectiua potest esse vna respectu diuersorum actuum: idem enim corpus est in potentia subiectiua ad albedinem, ad nigredinem, & ad cæteros colores; & eadem materia prima est in potentia subiectiua ad omnes formas substantiales.

13 His præsuppositis, sententia Scoti consistit in duobus assertis. Primum est; materia prima ex se nullum actum formalem habet, sed est pura potentia subiectiua. In hoc asserto omnes conueniunt, & ipsum euidenter probant auctoritates, & rationes adductæ pro sententia Thomistarum; vt ipsas infra expendendo latius constabit.

14 Secundum assertum est; materia prima ex se non est

pura potentia obiectiua, sed est actus entitatus partialis, & incompletus, seu, quod idē est, est ens parziale, & incompletum existens, & habens esse extra causas suas. Hoc assertum (quod est, in quo Scotus dissentit à Thomistis citatis pro prima sententia) efficacissimis rationibus cōprobat subtilis Doctor loco citato literis B. & C. Primò probat; quia, si materia ex se non esset entitas actualis, & existens, sed potius esset in pura potentia obiectiua, sequeretur, materiam non esse vnum ex principijs entis naturalis; contra Aristotel. 1. Physicorum textu 52. item non esse causam per se, neque formæ, quæ ex ipsa educitur, neque cōpositi, quod ex ipsa, & forma substantiali coalescit; contra Aristotel. 2. Physicorum text. 28. & 5. Metaph. text. 2. Itē non esse partem cōpositi substantialis contra Aristotel. 7. Metaph. text. 24. & 34. Item non esse subiectum mutationum substantialium; contra Aristotel. 5. Physicorum text. 7. & 8. Item non esse terminum creationis, contra Theologos omnes. Sequela omnium horum patet; nam ad hæc omnia, aut quodlibet ipsorum præstandū requiritur in materia entitas actualis, seu quòd actu existat extra causas, nec sufficere potest, quòd sit in po-

ten-

tentia obiectiua. Nam, cum id, quod solum habet esse in potentia obiectiua, solum sit possibile, actu verò nihil sit, si materia ex se solum esset in potentia obiectiua, materia actu nihil esset; ac per consequens vel admittendę sunt cōtra Aristotel. omnes sequelæ supra allatæ, vel necessariò fatendum, principiatum reale, causatum reale, cōpositum reale pendere realiter ex nihilo tanquam à principio, tanquam a parte, tanquam à componente; & quòd subiectum generationis, & terminus creationis nihil sint; quæ omnia absurda, & impossibilia sunt.

15 Secundò probat, quia, si materia ex se non haberet actum entitariū, siue entitatem actu existentem, nulla esset generatio substantialis in rerum natura, sed omnes productiones substantiales essent appellandæ creationes. Sequela patet; quia (vt nuper dicebamus) si materia ex se non haberet actum entitariū, siue entitatem actu existentem, materia ex se actu esset nihil, & consequenter idem esset aliquid produci ex præsupposita materia, ac aliquid produci ex nihilo præsupposito; quod non est generari, sed creari.

16 Nec refert, si dicas, materiam præsupponi ad produ-

ctionem substantialem in potentia obiectiua; nam sicut esse in potentia obiectiua, nihil obstat ad hoc, vt de habente esse in potentia obiectiua verificetur, actu nihil esse; ita non obstat, aliquid produci ex aliquo habente esse in potentia obiectiua præsupposito ad hoc, vt de tali productione verificetur, esse productionem ex nihilo præsupposito. Aliàs productio Angeli non esset productio ex nihilo ipsius Angeli præsupposito, & consequenter nec creatio appellanda: siquidem ad productionem Angeli præsupponitur ipsemet Angelus habens esse in potentia obiectiua.

17 Vrgent fanè aduersarios Scotica argumenta, quorum nimirum robur nimix Thomistarum solutiones indignant. Respondent enim ad hoc, vt materia prima exerceat omnia prædicta munera; (scilicet, principij causæ perse, partis essentialiter componentis, subiecti mutationis substantialis, & termini creationis) & similiter vt productio substantialis dicatur esse non ex nihilo, sed ex aliquo præsupposito, requiri quidem, quòd materia actualiter existat; nec sufficere esse in potentia obiectiua; quia, quandiu in potentia obiectiua manet, nihil est; (vt ar-

gumentis obijcitur.) Tamen non esse necessarium, quod hoc esse actualis existentiæ (quod nos actum entitatum appellamus) habeat ex se, seu in illo priori naturæ, in quo tam formam, quam compositum substantiale antecedit, sed sufficere, quod illud habeat communicatum ab existentia totius, licet in posteriori instanti naturæ, in eodem tamen instanti temporis.

18 Tamen solutio ista & supponit falsa, & adhuc falsis præsuppositis, argumentis Scoti non occurrit. Supponit falsa; nam supponit, existentiam distinguere realiter ab essentia actuali; cuius falsitatem disputatione vltima demonstrabo. Item supponit, materiæ primæ existentiam non esse realiter distinctam ab existentia totius compositi; sed eadem numero, & indiuisibili existentia, qua existit totum compositum, existere etiam materiæ: quod esse omnino falsum ad oculum ostendi potest.

19 Primò; vnaquæque res sicut per productionem suam accipit esse extra causas, ita & suam existentiam; nam existere, & extra causas esse, idem omnino sunt: ergo quæ habent diuersas productiones, necessariò habent diuersas existentias. At materia prima, quæ est, v. gratia,

in igne genito ab alio igne, diuersa productione fuit producta, vel comproducta (vt nunc ab opinionibus abstrahamus) ab ea, qua productus fuit ignis ab alio igni; nam hæc est generatio proueniens hodiè, aut heri ab agenti naturali; illa verò est creatio, aut cõcreatio proueniens in principio creationis mundi à solo Deo: ergo materia prima, quæ est in igne, diuersa existentia existit ab ea, qua existit totus ignis.

20 Secundò; quia, si materia prima non haberet existentiam distinctam ab existentia totius, sed eadem indiuisibili existentia, qua existit totum, ipsa existeret, sequeretur, eam toties corrumpi, & generari, quoties corrumpitur, & generatur totum: quod est absurdum. Sequela patet; nam cum res tunc dicatur corrumpi, quando amittit existentiam, & tunc dicatur generari, quando existentiam accipit, si existentia materiæ non esset alia ab existentia totius, materia amitteret existentiam, & consequenter corrumpetur, quoties illam amittit totum; & toties existentiam acciperet, & consequenter generaretur, quoties illam recipit totum.

21 Imò sequeretur, nihil in rerum natura corrumpi, aut generari, sed omnia per sui desitionem annihilari, & per sui

sui productionem creari. Sequela patet. Nam, si materia existeret non propria existentia, sed existentia totius, sicut per desitionem existentia totius desinit esse totum, ita desineret esse materia: quod est annihilari: & sicut per productionem existentia totius accipit esse totum, ita acciperet esse materiam, quod est creari.

22 Quod si quis ad hæc respondeat, in desitione existentia totius, idè non desinere esse materiam, quia in eodem instanti, in quo per desitionem existentia desinit hoc compositum, generatur aliud compositum, à quo materia accipit existentiam: & sic nullum datur instans, in quo materia sine existentia reperiatur. Ego ab eo inquiram, sit ne eadem numero materia, quæ est in composito de nouo genito, cum illa, quæ erat in composito corrupto? Si dicat, non esse eandem numero, sed diuersam: ergo prior, quæ erat in corrupto, desinit esse, & posterior, quæ est in genito, incipit esse, licet in eodem instanti temporis, non secus ac in eodem instanti temporis desinit esse vnum compositum, & aliud generatur. Si autem dicat, esse eandem numero, sic insurgit: ergo semper habuit eandem numero existentiam:

nam sicut implicationem inuoluit, quod res, quæ est eadem numero, nunc habeat vnum esse actuale, & postea aliud, ita & quod nunc habeat vnam existentiam, & postea aliam: quia esse actuale, quod opponitur potentia obiectiuæ, (quod est, de quo nunc loquimur) nihil aliud est quàm existentia. Modò sic. Aut hæc existentia est existentia totius, quod corrumpitur, aut totius, quod generatur: non totius, quod corrumpitur, nam hæc recessit cum ipso composito; nec totius, quod generatur, quia hæc non erat, quando materia erat in composito, quod corrumpitur: ergo assignanda est in materia propria existentia distincta ab existentia totius, quod corrumpitur, & totius, quod generatur, aut necessariò fatendum, distinctam numero esse materiam, quæ erat in corrupto ab illa, quæ remanet in genito; & consequenter materiam, quæ erat in corrupto, corruptam fuisse ad corruptionem ipsius; & denuò productam, quæ manet in genito ad productionem ipsius, quod erat intentum in secunda probatione, atque adè nihil verè corrumpi, aut generari, sed omnia annihilari, aut creari; quod fuit intentum in confirmatione secundæ probationis.

23 Rursus adhuc his falsis præsuppositis, Thomistarum solutionem argumentis Scoti, supra adductis non occurrere, perspicuum est; nam argumenta Doctoris subtilis probant, materiam primam debere esse actum entitatum, seu entitatem actualiter existentem pro illo instanti naturæ, in quo & formam, & totam compositum antecedit, siquidem pro illo instanti intelligitur habere omnes condiciones requisitas ad rationem principij, causæ per se, partis componentis, subiecti generationis, & termini creationis; quarum una est, non esse in pura potentia obiectiva, & actu nihil; sed potius habere actum entitatum, seu actualitatem existentiam. Solutio autem Thomistarum etsi admittat, materiam habere actum entitatum, seu actualitatem existentiam, sed non pro illo instanti naturæ, sed pro alio posteriori eiusdem temporis: non ergo occurrit inconuenientibus, quæ in argumentis Scoti obijciebantur, sed potius in sua vi illa relinquit.

24 Non me latet, Thomistas (cum distinguant realiter existentiam ab essentia actuali) agnoscere quamdam realem actualitatem, quam appellant realem actualitatem essentiae natura priorem, quasi in genere causæ materialis, ipsa reali actualitate existentiae; quæ (vt numer. 65. Cursus Carmelita-

nus explicat) consistit in statu, quem habet vniuscuiusque rei essentia, quando egreditur à sua causa efficiēti, quasi medio inter statum puræ possibilitatis, seu puræ potentiae obiectivæ, in quo essentia actualiter est nihil, & statum existentiae, quæ est vltimus terminus talis egressus: quem statum egressus appellat, eo quod in illo quasi medio statu essentia cuiuscumque rei est in egressu à priori statu possibilitatis, seu potentiae obiectivæ, & in progressu ad posteriorem statum existentiae.

25 Tamen hæc realis actualitas essentiae media inter statum puræ possibilitatis, seu potentiae obiectivæ, & statum realitatis actualitatis existentiae (quam quidem sine fundamento fictam fuisse disputatione vltima, dum sermo sit de modo, quo existentia ab essentia actuali distinguitur, demonstrabo) quoad præsens attingit, nihil facere potest his Authoribus; nam hanc realem actualitatem essentiae ex se solum essentiae formæ, seu totius compositi attribuunt, essentiae verò materiæ solum illam attribuunt communicatam à formæ; & sic consequenter dicunt, materiæ ex se, & in illo priori naturæ, quo formam antecedit, prædictam realem actualitatem essentiae non competere. Nec video, quomodo aliter philosophari possint (vt aduertant Patres Carmelitani, qui,

qui, vt soluant argumentum Doctoris subtilis, num. 62. videntur oppositum supponere) absque manifesta implicatione, qui materiam primam ex se, & antecedenter ad formam ita puram potentiam prædicant, vt nullum actum includat, non solum existentiae, sed neque essentiae.

26 Est autem aduertum, aliquos Authores, inter quos possunt numerari Fonseca libr. 1. Metaph. cap. 7. quæst. 3. sect. 7. & 8. Conimbricenses sup. cap. 9. primi libri Physicorum, q. 3. art. 1. & Rubius tractat. 1. de Materia, q. 2. etsi in re à sententia Scoti non discedant, modum tamen loquendi Scoticum, non aptobare. Fatetur enim cum illo, materiam habere suam partialem existentiam distinctam, tam ab existentia formæ, quam ab essentia totius compositi. Negant tamen, dicendum fore, materiam primam ex se actum entitatum; sed hunc modum loquendi Authores isti non ex eodem reprobant fundamentum.

27 Rubius duplici fundamento nititur. Sed omittamus prius: laborat enim praua intelligentia Scoti; nam existimat, nomine actus entitatum intelligere Scotum, & eius discipulos conceptum entis in communi, & transcendentaliter sumptum. Et sic probat, materiam primam neque esse, nec appellari posse actum entitatum, quia

materia prima est à parte rei; & in peripatetica schola, non est dabile à parte rei aliquid, quod sit multis commune positiuè, quantum minus transcendentale.

28 Concludit sanè hæc Rubij ratio delirium fore, atque manifestam amentiam, materiam primam actum entitatum in isto sensu vocitare. Sed, vt verum fatear, impugnat validè deliriosum figmentum à se ipso somnium, ab Scoto autem, atque discipulis eius alienissimum. Scotus enim, & eius sectatores nomine *actus entitatum* (vt iam dictum est) intelligimus actualitatem existentiae, quam cum rigorosa proprietate actum entitatum appellamus; cum omni enti reali tribuat, quod i. sit actu, & extra statum puræ possibilitatis.

29 Posterius fundamentum Rubij est, quod existentia omnium calculo, non est prædicatum quidditatum materiæ: ergo, quamuis habeat propriam, & partialem existentiam, non rectè loquuntur illi, qui dicunt, materiam primam ex se esse actum entitatum, seu actualiter existere. Tamen ex hoc fundamento etiam probaret Rubius, non rectè loqui, qui dicunt, formam, aut totum compositum ex se esse actum entitatum, seu actualiter existere: siquidem existentia formæ, aut totius compositi, non est prædicatum quidditatum

ipforum. Laborat ergo Rubius etiam praua intelligentia illius particulæ *ex se*, quæ in præsententi controuersia non indicat, actum entitatum, seu actualitatem existentiam esse de quidditate materiæ primæ, sed illi per se sumptæ, & pro illo priori naturæ, in quo tam formam, quam totum antecedit, competere, contra Thomistas, qui dicunt, illam recipere à toto composito.

30 Conimbricenses verò ad reprobandum hunc modum loquendi Scoti; *materia prima est actus entitatus*, fundantur primò; quia hic modus loquendi, modo loquendi Arist. qui materiam primam puram potentiam appellat, videtur repugnare. Immo videtur repugnare communi modo loquendi, qui nullum alium actum entitatum agnoscit præter informantem, & subsistentem. Secundò, quia in Conimbricensium opinione essentia actualis non est idem realiter cum existentia: ergo etiam si materia propriam existentiam, seu actum entitatum habeat, erit dicendum, *materia est existentia, seu actus entitatus, sed materia habet existentiam, seu actum entitatum*.

31 Tamen locutioni Aristot. *materia est pura potentia*, non repugnare modum loquendi Scoti, *materia est actus entitatus*, ex professo ostendam soluendo præcipuum Thomistarum fun-

damentum. Quòd vero, non repugnet communi modo loquendi, sed potius illi sit valde consentaneus; sic demonstro. In communi modo loquendi actus entitatus appellatur ipsa actualis existentia. Insuper in communi, & veriori sententia essentia actualis est idem realiter cum existentia: ergo sententia, quæ admittit, materiam primam habere propriam, & partialem existentiam cum communi modo loquendi, & cum communi, & veriori sententia conformatur, materiam primam actum entitatum appellando; immò communi modo loquendi, & veriori sententiæ se opponet, si ipsam actum entitatum nō appellet.

32 Sed demus Conimbricensibus (quod non admittimus) essentiam actualem distinguere realiter ab existentia, adhuc coguntur, materiam primam (supposito, quòd ei tribuant, tã propriam, & partialem actualitatem essentiæ, quam existentiam) actum entitatum vocitare. Quòd sic demonstro. In sententia, quæ ponit distinctionem realem inter actualem essentiam, & existentiam, negari nō potest, quòd essentia actualis, vt distinguitur ab existentia, habeat aliquam actualitatem; quam non habet essentia concepta in sola potentia obiectiua, seu statu puræ possibilitatis. (Aliter enim inintellegibilis fo-

foret prædicta sententia) ergo essentia ipsa actualis materiæ primæ (esto non sit sua existentia) est aliquis actus entitatus, id est, aliquid aliud præter puram potentiam obiectiuam, & extra statum puræ possibilitatis. Quis hoc neget? Aut ergo Conimbricenses negent materiæ primæ cū Thomistis, non solum actum existentiam, sed etiã actum essentiæ; aut si conuicti veritate volunt nobiscum materiæ primæ ex se, & seclusa forma propriam, & partialem actualitatem tam essentiæ, quam existentiam attribuire, noscunt, nō posse fugere (quidquid sit de distinctione reali essentiæ actualis ab existentia) ipsam actum entitatum appellare.

33 Vnde non solum in Scotum, sed & in se ipsos locuntur, dum dicunt, communem modum loquendi nullum actum entitatum agnoscere præter actum informantem, & subsistentem; siquidem communis modus loquendi actum entitatum appellat omne ens reale, quod habet esse actu, & est extra statum puræ possibilitatis, seu puræ potentie obiectiue: & tamen, tã secundum Scotum, quam secundum ipsos non solum actus informans, nec solum actus subsistens, sed etiã pura potentia subiectiua (qualis est materia prima) sunt quid reale habes esse actu, & extra statum puræ possibilitatis, seu puræ potentie obiectiue. Item actualis existentia

actus entitatus est in omnium sententia; & tamen non est actus subsistens, cum in ipsorum sententia in essentia actuali recipiatur: neque actus informans esse potest, cum propriè forma non sit, sed potius terminus essentiæ. Sed his omisis argumentis Thomistarum in principio adductis occurramus.

34 Ad præcipuum fundamentum ipsorum respondetur, procedere ex æquiocatione nominis *potentia*, & *actus*. Cū enim dicitur, materiam esse puram potentiam, id quidè verissimè est de potentia subiectiua in ordine ad actum informantem. Et in hoc etiam sensu verificatur illud Arist. 1. de Generat. *essentiam materiam consistere in ipso posse*; & illud, quod adducitur ex Commentatore, *materiam substantiari per posse*. Est enim hæc ratio puræ potentie subiectiue in ordine ad actum formalem intinseca, & essentialis materiæ primæ. At verò, si intelligatur de potentia obiectiua in ordine ad actum entitatum, falsissimum est, materiam esse ex se, & seclusa forma puram potentiam obiectiuam; cum potius sit actus entitatus, & actualiter existens, vt argumenta Scoti supra adducta efficaciter conuincunt.

35 Neque esse actum entitatum impedit in materia prima rationem puræ potentie subiectiue, quæ (vt diximus ex Aristotel.) competit materiæ pri-

primæ. Imò est conditio necessariò requisita, vt ei actu ista ratio puræ potentia subiectiuæ conuenire possit; quando quidem aliquid esse in pura potentia subiectiuæ est aliquid esse primum receptiuum alicuius actualiter existentis. Nihil autem potest esse actu primum receptiuum alicuius actualiter existentis, nisi etiam ipsum actualiter existat.

36 Comparatio autem, quã fecit Arist. loco primi Physicorum citato materiae artefactorum ad materiam primam rerum naturalium, potius confirmat sententiam nostram: nã pura potentia, quæ est in rebus naturalibus (quæ sunt materia artefactorum) non est pura potentia obiectiuæ in ordine ad actum entitatum, sed pura potentia subiectiuæ in ordine ad actum formalem artefactorum. Quo autem pacto Arist. appellauerit materiam primã non ens, tam 5. Physicorum, quã alijs locis in argumento citatis, explicuimus quæstione præcedenti num. 13.

37 Ad illud ex 7. Metaph. *materia per se, neque est quid, neque quantum, neque aliquid aliud eorũ, quibus ens determinatur*, duobus modis respondet Scotus. Primo dicit, locum istum non facere ad propositum; quia Aristot. hæc non dicit ex propria sententia, sed argumentando ad partem falsam pro opinione antiquorum. Quod probat

ex contextu; nam verbis citatis subiunxit Arist. *Sic quidem intendentibus accidit, materiam subiectum esse. At impossibile est, &c.* vbi ponderat Scotus particulam, *At impossibile est*, quam nõ adiungeret Arist. si supradicta essent ex propria mente determinata.

38 Secundò respondet, ipsam auctoritatem (dato quòd hæc dixerit Philosophus ex propria mente) soluere argumentum: nam solum numerat Arist. (vt vltima verba manifestant) ea, quibus ens determinatur, & nullum horum affirmat esse materiam: quod verissimum est, sed non contra nos: licet enim nos substineamus materiam ex se esse actũ; sed non dicimus esse actum aliquem ex his, quibus ens determinatur, & distinguitur; nã actus, quibus ens determinatur, & distinguitur, solum sunt actus formales, quorum nullum includit ex se materia prima, sed potius est pura potentia respectu ipsorum. Et ex his manent solutæ omnes auctoritates, quibus antecedens rationis fundamentalis Thomistarum fulciebatur.

39 Ad primam rationem, quæ idem antecedens suadebant; responderetur, verum esse materiam primam non esse compositam ex potentia, & actu physicis: (vt quæstione præcedenti monstratum est) & similiter verum esse, materiam primam

nam non esse actum informantem: (Aliàs, vt argumentum probat, non esset primum subiectum) nec similiter esse actum subsistentem. (Quia, vt probabimus disp. vltima subsistere non est entis incompleti, vt est materia prima, sed entis substantialis completi, vt est compositum substantiale) Negotamen, inde sequi, nullo modo esse actum; nam præter actum informantem, & actum subsistentem datur actus entitatus: & hunc dicimus, ex se, & seclusa forma esse materiã, cum ex se, & seclusa forma habeat actualitatem existentia sibi proportionatam, per quam est actu, & extra statum puræ possibilitatis, siue puræ potentia obiectiuæ.

40 Ad primam confirmationem (Quæ, si aliquid probaret, probaret vtique, materiam nullam essentiam habere: nam illud commune proloquium, *esse est propter operari*, de esse essentia intelligitur potius, quã de esse existentia; quia existentia non est tam principium operandi, quã conditio ad operandum ex parte principij operandi requisita) dato antecedenti negamus consequentiam: nam commune proloquium, *esse est propter operari*, solum intelligitur de esse forme, non de esse materiae; nam esse materiae non propter operari est, sed propter recipere; quia vnum quodque est propter id,

quod habet in potentia: materia autem non habet in potentia operari, sed recipere.

41 Ad secundam confirmationem responderetur, illud receptum axioma, *ex duobus entibus in actu non fit vnum per se*, esse intelligendum de actibus completis, & constitutis in suo esse per actus formales; nam ex actu entitatio, & ex actu formali benè potest fieri vnum per se: quia (vt dictum est) benè compatitur cum actu entitatio pura potentia subiectiuæ in ordine ad actum formalem, ex qua, & actu formali resultat vnum per se.

42 Sed insurgunt Patres Carmelitani num. 51. Nulla existentia potest se habere, vt potentia respectu alterius existentia: ergo ex nullis existentijs, seu existentibus potest fieri vnum per se compositione physica. Sed hæc obiectio maxima æquiuocatione laborat; quam hac facillè distinctione euertes. Nulla existentia potest se habere, vt potentia respectu alterius existentia, distinguo, vt potentia obiectiuæ, quæ est potentia ad existendum, fateor: (Nam, cum existentia sit actus oppositus huic potentia, implicationem inuoluit, quòd aliquid sit actu existens, & quòd simul maneat in potentia obiectiuæ, seu, quod idem est; in potentia ad existendum; esset enim simul existens, & non existens) vt potentia subiectiuæ (si-

(sicut nos dicimus manere, postquam existens est, materiā primam ad formas substantiales existentes) falsissimum est: nam, ut saepe dictum est, actus entitativus, seu existentiae non opponitur potentiae subiectivae: imò est conditio necessaria, ut aliquid actu in potentia subiectiva esse possit respectu formae actualiter informantis.

43 Ad secundam rationem dicimus, materiam primam, quae est omnino simplex, & totam esse actum, & totam esse potentiam in diversis generibus actus, & potentiae. Nam, si sermo sit de potentia obiectiva, cui opponitur actus entitativus, seu existentiae, tota est actus; nam eo ipso, quod existens est, sua propria, & partiali existentia, totaliter & omnino est extra statum purae possibilitatis, seu potentiae obiectivae. At si sermo sit de potentia subiectiva, cui opponitur, non actus entitativus, seu existentiae, sed actus formalis, ex se tota est potentia, cum nullum actum formalem ex se includat.

44 Ad tertiam rationem fatemur, nihil posse in rerum natura habere existentiam, seu entitatem actualem, quin sit individuum, & in aliqua specie. Sed negamus, materiam primam ex se, & antecederet ad formam non esse individuum, & in aliqua specie; nam

est individuum purae potentiae subiectivae; quae est proprietas, per quam speciem physicè incompletam, materiae primae intrinsicam, & inseparabilem declaramus. Et dico notanter *intrinsicam, & inseparabilem*, nam alia species completae, ad quas per formas ei advenientes determinatur materia, & respectu quarum materia ex se est indifferens, & indeterminata, non sunt ei intrinsicae, & inseparabiles, sed extrinsecae, & separabiles, non secus ac sunt extrinsecae, & separabiles formae, per quas ad ipsas determinatur.

45 Ex quibus resolutè potest dubium, quod hic ab Auctoribus exagitur, nempe vtrum materia prima ex se compositionem ex actu, & potentia metaphysicis includat? Respondetur enim, rationi purae potentiae subiectivae, quae physica potentia est, compositionem ex actu, & potentia metaphysicis, nihil obesse posse, ac per consequens nullo modo esse denegandum, materiam primam ex actu, & potentia metaphysicis, quae in genere physico incompletae sunt, contraire, seu componi.

46 Nec video, qua probabilitate oppositum sustineant aliqui Thomistae defendendo ex alia parte, materiam horum inferiorum secundum se consideratam specie differre à materia caelorum: nam impos-

possibile est, quod huiusmodi materiae differant specie, nisi sint aliqua differentiae, quibus differant, & aliquod genus, in quo conveniant, & consequenter quod qualibet harum materiarum sit ex praedicto genere, & sua propria differentia, tanquam ex potentia, & actu metaphysicis composita.

47 Unde valde displicet sententia Thomistarum, qui, ut defendere possint id, quod sibi semel proposuerunt, scilicet, materiam primam ex se nullam actualitatem essentiae habere, sed illam recipere à forma, sustinent (ut referunt, & approbant Patres Carmelitani disp. 3. quæst. 3.) materiam primam ex se non esse unam in specie positivè, sed negativè. Licet enim negare non possimus, respectu specierum completarum (quae, ut dixi, non sunt materiae ipsi intrinsicae, & inseparabiles, sed extrinsecae, & separabiles, non secus ac sunt ipsae formae substantiales, per quas materia ad has species determinatur) materiam ex se non esse unam in specie positivè; (quia ex se nullam formam includit, quae est principium, per quod determinatur ad aliquam ex his speciebus) sed potius appellandam esse unam in specie negativè: (Verbis ipsorum utor) quia ex se non est plura specie, cum non includat in se principia, per quae specificè multiplicatur, sed potius

ex se sit indifferens ad omnes istas species. Tamen loquendo de specie physica incompleta, quae est, quae intrinseca, & inseparabilis est à materia, quis dicat, ex se non esse unam in specie positivè? Cum ex se habeat essentiam (licet physicè incompletam) realem, & positivam, quam propriae passionis consequuntur, ut sunt ingenerabilitas, incorruptibilitas, potentia subiectiva, &c. Quae essentia genere, & differentia physicè incompletis constat; ut sunt ratio substantiae physicè incompletae, quae est genus supremum, in quo cum formis substantialibus convenit; ratio materialis, in qua etsi cum formis materialibus conveniat, differt tamen per ipsam à formis spiritualibus, ut est anima: & demum ratio purae potentiae subiectivae, quae est passio (ut quaestione sequenti ostendam) per quam differentiam essentialè, qua differt à formis materialibus, nobis ignota declaramus.

48 Ad quartam, & ultimam rationem respondetur, quod sicut purus actus nullam includit potentiam receptivam, ita pura potentia receptiva nullam includit actum informantem: & quoad hoc tenet proportio, non verò quo ad actum entitativum. Unde, si de hoc sit sermo, negatur consequentia, quia involuit repugnantiam, quod sit realis potentia receptiva, quantumvis

pura, qui in se includat actualitatem entitativam. E contra verò non repugnat, aliquid ita includere actualitatem entis, vt nullam potentialitatem inuoluat. Potentialitas enim dicit imperfectionem, actus verò perfectionem; & non repugnat, dari perfectionem ita puram, vt omnem imperfectionem excludat: repugnat verò, dari imperfectionem (si sit realis, & positiva) puram, & sine vlla perfectione saltem entitativa: nam iam esset nihil. Vnde sicut dicunt Theologi, dari summum bonum, quod nihil mali includat, non tamen dari summum malum (si reale sit) quòd nullam bonitatem habeat, saltem pro fundamento; ita licet detur actus purus, qui omnem excludat potentiam, non tamen datur pura potentia (si positiva, & actu in rerum natura sit) quæ omnem excludat actualitatem, etiam entitativam, nam iam non esset actu in rerum natura.

QVÆSTIO III.

Qualiter ratio puræ potentie subiectiuæ ad materiam primam comparetur?

STatuimus quæstione præcedenti, materiam primam ex se, & antecedenter ad formas substantiales ita esse actum entitativum, & extra statum puræ possibilitatis, seu potentie

obiectiuæ, vt simul sit in pura potentia subiectiuæ, seu receptiuæ in ordine ad formas substantiales. Inquirimus modò, (vt natura, & essentia materie primæ notescat amplius) qualiter hæc ratio puræ potentie subiectiuæ, seu receptiuæ ad ipsam materiam primam comparetur? An scilicet sit de eius essentia, & quidditate? An propria illius passio? An accidens prædicamentale ab ea realiter distinctum?

2. Sed quia nomen potentie subiectiuæ, seu receptiuæ tripliciter solet accipi (vt notaui Scotus super primo Physicorum q. 20.) Primò pro vi, & facultate ad recipiendas formas substantiales. Secundo pro dispositionibus, quibus mediantibus materia vltimo determinatur ad recipiendam istam formam substantialem potius, quam aliam; vt sunt v. g. respectu forme ignis caliditas, & siccitas. Tertio pro relatione mensurabilis, quam habet annexam omnis potentia respectu sui actus. Præsuppono in præsentem solum esse sermonem de potentia subiectiuæ in prima acceptione: nam hæc est, quæ inseparabilis est à materia prima, & in qua ratio formalis potentie subiectiuæ (à qua materia prima potens suscipere formas substantiales denominatur) consistit. Nā potentia in secunda acceptione sumpta separabilis est à materia, ne-

que

que propriè nomen potentie meretur; cum non tribuat materie vim, & facultatem recipiendi formas, sed solum vim, & facultatē recipiendi formas, quæ est in materia quasi communis, & indifferens ad omnes formas, applicat, & determinat ad hoc, vt materia recipiat potius istam formam, quam alias. Et admissio, quòd plures contendunt, scilicet, potentiam in tertia acceptione esse inseparabilem à materia, non secus, ac est inseparabilis vis, & facultas recipiendi formas, cui talis ratio mensurabilis est annexa. Tamè non est, in qua ratio formalis potentie subiectiuæ consistit, sed quid ei annexum. Aliàs potentia non diceretur relatiuum secundum dici (vt dicitur communiter) sed potius secundum esse; vt ex dictis in Logica in annotationibus circa caput de *Ad aliquid* n. 2. & 3. manifestè constat.

3. Loquendo ergo de potentia subiectiuæ sumpta pro vi, & facultate ad recipiendas formas substantiales, prima sententia affirmat, potentiam subiectiuam esse de essentia, & quidditate materie primæ. Ita communiter Thomistæ, Scotus 1. Physicorum q. 6. Souzainas 8. Metaph. q. 6. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 27. qui tribuunt illam D. Th. 1. Physic. tex. 79. & 1. p. q. 5. art. 3. ad 3. & q. 77. art. 1. ad 2. & 1. Contra gentes cap. 43. & in 1. d. 3. q. 4. art. 4. Et ex alijs eam tenent Durand.

in 1. d. 12. q. 2. Suarez 1. to m. Metaph. disput. 13. sect. 8. Cominbricenses super cap. 9. primi Physicorum q. 3. art. 1. & recipitur ferè ab omnibus recentioribus.

4. Et probant primò ex Arist. in hoc libro, qui text. 82. definiens materiam primam asserit (vt q. 1. num. 32. vidimus) esse primum subiectum. &c. vbi primum subiectum idem sonat, ac prima potentia subiectiuæ. Et 1. de Generatione cap. 3. dicit, *rationem materie in potentia positam esse*. Imò passim affirmat, estque modus loquendi ab omnibus receptus, ex materia prima, tanquam ex potentia, & ex forma, tanquam ex actu, resultare per se vnum, scilicet, totum substantiale.

5. Secundo probant rationibus. Prima, quia illa est ratio constitutiuæ, & essentialis cuiuscumque rei, quæ prius est considerabilis in aliqua re. Sed id, quod prius est considerabile in materia prima, est ratio potentie subiectiuæ ad formas substantiales: ergo ratio potentie subiectiuæ ad formas substantiales est ratio constitutiuæ essentialis materie primæ. Minorem probat. Quia si aliquid esset prius considerabile in materia prima, quam ratio potentie subiectiuæ, materia prima posset cognosci, non cognita potentia subiectiuæ (sicuti quia in homine aliquid est prius considerabile, quam ratio risibilis,

homo potest cognosci, etiam si non cognoscamus, ipsum esse risibilem) quod est contra Aristot. qui hic text. 69. affirmat, materiam cognosci per habitudinē ad formā, & per analogiam ad materiam rerum artificialiū: nam cognoscere materiā per habitudinem ad formam, & per analogiā ad materiā rerum artificialium, idem est, ac ipsam cognoscere, ut potētiam subiectiuā, & receptiuam formarum.

6 Secunda; materia essentialiter ordinatur ad formā. Sed non ordinatur, nisi ut potentia subiectiua, seu receptiua: ergo materia essentialiter est huiusmodi potentia. Maior est Aristot. (inquit hac sententia) 2. Physic. text. 26. ubi dicit, materiam esse eorū, quæ sunt ad aliquid: quod intelligendum est (aiunt hi Auctores) nō de habitudine prædicamentali, sed de transcendentali, vel (ut alijs placet) de habitudine secundum dici: quæ expositio est rationabilior. Nam in conceptu quidditatio entis absoluti (ut est potentia subiectiua) nō potest intrare relationem secundum esse, etiā si sit transcendentalis. (Aliās idem essentialiter esset ad se, & ad aliud, & consequenter ad se, & nō ad se; quod est implicatio) sed dicitur potētia subiectiua materiæ: relatiua secundum dici, quia etiā si in se, quid absolutum sit. Spectans ad prædicamentum substantiæ, habet tamen relatio-

nem mensurabilis ad actum, cuius est potentia, ita annexā, ut absque illa à nobis, nec dici, nec explicari possit.

7 Tertia desumitur à paritate formæ substantialis. Nam forma essentialiter est actus materiæ, & ideo anima essentialiter definitur, quod sit actus corporis physici, &c. ergo è conuerso materia erit essentialiter potentia ad formam. Patet consequentia ex proportionali correspondētia, & correlatione potentiae, & actus, quæ est inter materiam, & formam.

8 Secunda sententia ex alio extremo docet, potentiam subiectiuam, quæ est in materia prima, esse accidens prædicamentale distinctum realiter ab illa. Huius sententiæ, suppressio Auctoris nomine, meminit Scotus super 1. Physicorum quæst. 20. & ipsam tuetur Pererius libro 5. cap. 22. in responsione ad primum, qui eam tribuit Themistio, in quantum 1. Physicorum super textu 65. dicit, materiam esse quidpiam absolutum actu existens, eique accidere potentiam. Et ferè eodem modo loquitur Simplicius 2. de Anima commento 2. Attribui etiā solet Commentatori, in quantum 1. Physicorum commēto 70. dicit, potentiam non esse substantiā materiæ, quoniam illa est corruptibilis, & de prædicamento relationis: & 12. Metaph. commento 11. dicit,

materiam secundum naturam suam esse unam; at potentias eius multas esse, & numerum potentiarum esse secundum numerum formarum.

9 Quid autem sit hoc accidens, in quo consistit potentia subiectiua materiæ primæ, & ad quod spectet prædicamentum, non eodem modo explicant Authores huius sententiæ. Pererius enim dicit, esse accidens de prædicamento qualitatis spectans ad secundam speciem ex quatuor, quas enumerauit Aristot. Immo hinc sumit fundamentum ad probandum, hanc potentiam subiectiuam esse accidens prædicamentale realiter distinctum à materia prima; nimirum quia ex Aristot. cap. de qualitate naturalis potentia est qualitas constituens secundam speciem ex quatuor ibi numeratis: ergo potentia subiectiua materiæ, cum sit quædam potentia naturalis, debet inter qualitates illius speciei computari; & consequenter erit accidens prædicamentale ab ipsa materia, quæ substantia est realiter distinctum.

10 Ex sententia verò Commentatoris, quod inferitur, non solum est, potentiam subiectiuam esse relationem, sed tot esse potentias subiectiuas, & consequenter relationes in materia prima ante generationem formarū existētes, quod

sunt formæ possibiles generari, seu recipi in materia prima. Et in hoc sensu refert, & impugnat hanc sententiam Scotus loco citato. Et suaderi potest. Primò, quia potentia subiectiua, quam dicit materia ad formam, desinit esse in materia per aduentum formæ; & tamen non desinit esse materia: ergo signum evidens est, quod prædicta potentia est accidens distinctum à materia. Secundò, quia potentia subiectiua multiplicatur in materia ad multiplicationem formarum, ad quas materia est potens: ergo, cum ut sic non multiplicetur materia, etiam est signum evidens distinctionis realis, & accidentalis potentiae subiectiuae ab ipsa materia.

11 Tertia sententia vera, & à nobis sequenda defendit, potētiam subiectiuā, quæ est in materia prima ad formas substantiales, esse illius propriā passionem, ac per consequens neque esse de conceptu quidditatio illius; (ut sustinebant Auctores primæ sententiæ) neque esse accidens prædicamentale realiter ab ipsa distinctū; (ut placebat secundæ sententiæ) sed potius esse idē realiter cum illa, & ad idem prædicamentum spectans: immò illi per se, & essentialiter conuenire, licet nō in primo, sed in secundō modo dicendi per se, ut in vniuersum de omni propria passione

respectu essentiae, à qua profuit, sustinet Doctor subtilis vbiq; de distinctione propriae passionis ab essentia disputat.

12. Hæc est meo videri sententia Scoti; nam in loco physicae supra citato assertiuè defendit, potentiam istam non esse aliquod accidens distinctum ab ipsa materia. Et idem latè docet loquens tam de potentia passiva, quàm actiua respectu essentiarum, quarum sunt potentiae, in 2. d. 16. q. vnica ex his, quæ docet in 2. d. 12. q. 1. ad tertium, colligitur, rationem potentiae subiectiuæ, quæ est in materia non esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo illius; nam de materia in suo esse essentiali, & quidditatiuo considerata, asserit esse entitatem omninò absolutam, & consequenter, quantum est ex se, esse cognoscibilem absque ordine, & habitudine ad formam. De potentia verò subiectiua sustinet esse relativam secundum dici, & sic non posse concipi sine ordine, & habitudine ad formam. Vnde vt Scoti ipsam defendunt Philippus Faber theoremate 23. Aretinus in annotationibus ad quaestionem 20. Scoti super 1. Physicorum, & cæteri discipuli. Imò existimo esse Themistij, & Simplicij, qui non rectè pro secunda sententia citantur: siquidem hanc potentiam subiectiuam, ita asserunt non

esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo materiae, vt simul affirmant, esse proprietatem necessariò essentiam, & quidditatem materiae consequentem. Quod proprium est propriae passionis. Neque obstat, quòd Themistius dicat accidere materiae; nam hoc non dicit, quia existimet, esse accidens prædicamentale, sed quia non est de conceptu essentiali, & quidditatiuo ipsius: in quo sensu non solum passionis dicuntur accidere rerum essentialis, à quibus profluunt, sed etià differentiae essentialis de prædicamento substantiae dicuntur accidere naturis genericis, quas contrahunt.

13. Et in primis hanc potètiã subiectiuam non esse accidens prædicamentale à substantia materiae primæ realiter distinctum, conuinci potest. Primò, quia nõ potest excogitari, quale accidens hoc sit. Nam in primis non est quantitas; nam (præterquàm quòd quantitas non inhæret immediatè in materia prima, sed in toto substantiali, vt suo loco probabimus) manifestum est, quantitatem non ordinari per se ad recipiendam formam substantialem, sed potius est proprietas consequens illam; & ad summum vna est dispositionibus præparantibus compositum, vt in eius materia noua forma substantialis recipiatur, & antiqua corrumpatur. Et confir-

ma-

matur, nam aliàs sicut albedo, v.g. recipitur in quantitate, ita etiam forma substantialis reciperetur in illa, & communicaret illi suum esse substantiale; & consequenter sicut ablata substantia, & conseruata per se quantitate (vt fit in Eucharia) sine nouo miraculo permanet illa quantitas alba; ita ablata materia, & conseruata quantitate, sine nouo miraculo maneret informata forma substantiali; quæ omnia sunt absurda.

14. Neque etiam dici potest, quòd sit qualitas: nam, si esset qualitas, maxime quæ à Pererio assignatur, scilicet, qualitas spectans ad secundam speciem ex illis quatuor, quas enumerauit Arist. cap. de qualitate, & dicitur naturalis potentia. Sed hæc non; tum, quia, si quantitas non inhæret immediatè in materia prima, sed in toto composito substantiali, multò minus inhæret poterit hæc qualitas; cum qualitates materiales non afficiant subiectum immediatè, sed median- tē quantitate. Tum etiam (& est eneruatio fundamenti Pererij) quia potentia naturalis, quæ ponitur ab Arist. secunda species qualitatis, non sumitur pro vi, & facultate innata ad aliqd agendum, vel recipiendum (quæ est naturalis potentia, de qua in præsentia est sermo) sed pro agilitate à natura existente in his virtutibus ad

agendum, vel recipiendum: vt ex professio docuimus in Logica capite de qualitate disp. vnica q. 4. sect. 2. & satis clarè indicant exempla de pugilatoribus, & cursoribus, quibus vsus est Arist. ad probandum, dari huiusmodi speciẽ qualitatis; quos non ideo dixit denominari tales, quia habent virtutem, seu facultatem ad pugnam, seu currendum, sed quia habent virtutem ad hoc facilem, & expeditam. Vnde paralogizatus est Pererius, cū ex eo, quòd Aristot. naturalem potentiam sumptam pro agilitate à natura existente in his virtutibus ad agendum, vel recipiendum enumerauerit secundam speciem qualitatis, infert, naturalem potentiam (sumptam, non pro hac agilitate, sed pro vi, & facultate ad recipiendum formas substantiales) quæ est in materia prima, & à qua denominatur, non facilis, & expedita, sed potius potens recipere, esse qualitatem spectantem ad secundam speciem, quæ dicitur naturalis potentia.

15. Nec demum dici potest, quòd sit relatio prædicamentalis; nam (præterquàm quòd nulla relatio prædicamentalis potest esse in aliquo virtus, neque ad agendum, neque ad recipiendum, præsertim formas substantiales) relatio mensurabilis, quæ est relatio prædicamentalis, quæ in materia, vt est

in potentia ad recipiendum formas, reperitur, supponit materiam iam potentem recipere prædictas formas, cum fundetur in potentia subiectiua, seu receptiua ipsius materiæ. Nec video, quam aliam relationem prædicamentale, præter istam, potuerit Commentator in materia, prout est in potentia ad formas substantiales, excogitare. Vnde non incongruè dixit Pererius loco citato, Commentatorem, dum locis citatis dicit, potentiam subiectiuam materiæ esse relationem, non sumpsisse potentiam, ut à nobis in præsentia sumitur, scilicet pro vi, & facultate ad recipiendum; nam de hac potius dixerat in libro de Substantia orbis capite 1. esse differentiam substantialem materiæ, seu per ipsam, materiam substantiari: sed sumpsisse illam pro relatione mensurabilis, quæ huic potentiæ est annexa; aut pro termino istius relationis, qui est forma.

16 Secundò idem conueniendi potest, quia, quodcumque sit istud accidens, quod per modum potentiæ subiectiuæ interponitur ab Auctoribus secundæ sententiæ inter substantiam materiæ primæ, & formam substantialem, necesse est, illud recipi in substantia ipsius materiæ: (Quia recipi debet in aliquo subiecto, & ibi non est aliud præter substantiam materiæ, cum talis

potentia supponatur formæ, & consequenter etiam composito, quod ex materia, & forma resultat) ergo est in materia potentia subiectiua ad recipiendum in se tale accidens. Nunc inquit, an illa potentia materiæ sit ipsamet substantia materiæ, vel aliud accidens prædicamentale ab ipsa realiter distinctum? Hoc posterius dici non potest; aliter procederetur in infinitum. Si verò dicatur illud prius: ergo aliqua potentia subiectiua, seu receptiua materiæ est realiter ipsa substantia materiæ: ergo hæc potius erit ad formam substantialem, quam accidentalem, vel saltem ad formam substantialem primario ordinatur: est ergo per suam substantiam, & non per aliud quod accidens potentia subiectiua illius.

17 Deinde potentiam subiectiuam istam non esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo materiæ primæ (ut sustinebant Auctores primæ sententiæ) sed potius quamdam passionem consequentem hunc conceptum essentialem, & quidditatiuum (Quæ passio eo ipso erit distincta ab essentia materiæ primæ; in sententia Scoti ex natura rei formaliter; & in sententia D. Th. ratione ratiocinata) probari potest. Primò, quia quoad hoc eodè pacto philosophandum est de potentia passiuâ, ac philosophari solet de potentia acti-

actiua: Sed de potentia actiua (qualis est v.g. potentia ratiocinandi in homine, scilicet, intellectus) nullus dixit esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo hominis, sed eius propriam passionem: ergo similiter de potentia passiuâ, seu subiectiua, quæ est in materia prima, nullus debet dicere esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo materiæ, sed eius propriam passionem. 18. Secundò, quia omnis potentia supponit in re, cuius dicitur potentia, aliquid, quod se habet ut subiectum eius, à quo pullulet, & quod per ipsam sit, & denominetur formaliter potens: (Nā potentia non est id, quod est potens, sed id, quo aliquid est potens) ergo potentia subiectiua, quæ est in materia, necessariò præsupponit in ipsa materia aliquid (licet non distinctum realiter, saltè formaliter) quod se habeat, ut subiectum, à quo ipsa pullulet, & quod per ipsam sit, & denominetur formaliter potens formas suscipere. Id autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa essentia, & quidditas materiæ primæ: supponit ergo ratiopotentiæ subiectiuæ, quæ est in materia prima, ratiā subiectum, ipsam essentiam, & quidditatem materiæ; ac per consequens non poterit esse de conceptu essentiali, & quidditatiuo materiæ, sed potius propria passio consequens essentiam, & quidditatem materiæ primæ.

19 Tertiò denique idem pro-

batur, quia essentia, & quidditas materiæ primæ secundum se, & præcisè considerata est entitas omnino absoluta, non solum secundum esse, sed etiā secundum dici, cum ut sic non solum non includat relationem, sed neque illam habeat annexam. At potentia subiectiua est entitas, licet secundum esse absoluta, tamen secundum dici relatiua, cum habeat necessariò annexam relationem mensurabilis ad actum, cuius est potentia, sine qua nec dici, nec explicari potest: ergo conceptus obiectiuus potentiæ subiectiuæ non est conceptus obiectiuus essentiæ, & quidditatis materiæ, sed quidditas consequens ad illum, ut propria ipsius passio; quod amplius ex solutione argumentorum declarabitur.

20 Ad auctoritates Aristoteli quibus prima fulciebatur sententia, responderetur Arist. definiisse materiam primam per rationem primi subiecti; (quæ idem sonat, ac prima potentia subiectiua) quia ratio primi subiecti, seu primæ potentiæ subiectiuæ est passio magis intrinseca, & essentialis materiæ primæ, quàm quæcumque alia, quæ pro hoc statu subintellectum nostrum cadere potest; & consequenter per quam nos possumus essentiam, & quidditatem materiæ primæ pro hoc statu nos latentem declarare. Vnde prædicta definitio,

et si sit essentialis, non debet quidditatiua, sed descriptiua materiæ primæ reputari. Et propter eandem rationem dixit Arist. 1. de Generatione capit. 3. rationem materiæ primæ in potentia positam esse. Et passim, tam ab ipso, quàm in communi modo loquendi asseritur, ex materia prima, tanquam ex potentia, & ex forma, tanquam ex actu, resultare per se vnum, scilicet, totum substantiale.

21 Ad primam rationem concessa maiori negamus minorem, scilicet, primum considerabile in materia prima esse rationem potentiæ subiectiuæ, cum potius sit id, quod habet rationem subiectiualis potentiæ. Vnde ad eius probationem fatemur libenter cum Scoto in 2. dist. 12. q. 1. in solutione ad 3. principale, materiam primam, quærum est ex se, posse cognosci non cognita potentia subiectiua, & consequenter absque ordine, & habitudine ad formam. Nec mirum; nam (vt docet Scotus) materia prima, si præcisè secundum suum esse essentialis, & quidditatiuū spectetur, entitas omnino absoluta est; & manifestum est, posse omnem sensum reale omnino absolutum cognosci absque ordine, & habitudine ad aliud. Neque hoc est contra Arist. nam (vt optimè vidit Scotus) Arist. cum hic text. 69. cirato docet, materiam cognosci per habi-

itudinem ad formam, & per analogiam rerum artificialium, loquitur de materia, prout est subiectum transmutationis; quæ ratione (vt Scotus ait) nec materia, nec quodcumque aliud subiectum est per se scibile, sed necessariò cognosci debet per ordinem ad aliud. Tamen hoc non tollit, quòd materia secundum esse essentialis, & quidditatiuū sit per se scibilis, & absque ordine, & habitudine ad formam; sicuti etiam si ignis, vt transmutatur localiter, non possit cognosci, nisi per ordinem ad locum non tollit, quòd possit secundum se cognosci per se, & absque ordine, & habitudine ad locum.

22 Aduertit autem Scotus, quòd etiam si materia secundum suum esse essentialis, & quidditatiuū sit per se cognoscibilis, & consequenter absque ordine, & habitudine ad formam; tamè pro hoc statu, in quo cognitio nostra pendet à sensibus, non potest à nobis, vt sic cognosci; quia vt sic non cadit sub sensus: sed solum cognoscitur per transmutationem, quæ sensibilis est: videmus enim vnā formam novam post aliam, quia videmus novam operationem, quæ arguit novam formam; & hinc inferimus, dari subiectam transmutationis commune formæ corruptæ, & genitæ, & hoc subiectum esse materiam. Nec mirum, quòd pro hoc statu materia non possit cog-

cognosci à nobis, nisi per transmutationem; quandoquidem forma substantialis nobis magis nota est, quàm materia, & nihilominus pro hoc statu forma substantialis à nobis non cognoscitur, nisi per suas operationes.

23 Ad rationem secundam dicimus, materiam dici essentialiter ordinari ad formam, non quia talis ordinatio sit prædicatum essentialis, & quidditatiuū eius, sed quia potentia subiectiua, seu ratio primi subiecti (quæ est relatiua secundum dici in ordine ad formam) est passio inseparabilis, & quæ necessariò cõsequitur ad essentialitatem materiæ primæ. Neque aliud intendit Aristot. nam, cum 2. Physic. text. 26. docet, materiam esse eorum, quæ sunt ad aliquid, loquitur de materia non secundum esse essentialis, & quidditatiuū considerata, sed considerata in quantum est primum subiectum transmutationis substantialis.

24 Ad tertiam negamus, rationem actus esse de essentialitate formæ substantialis; nam, si nomine actus intelligatur ipsa actualis informatio, seu actiatio, quam forma tribuit materiæ, est accidens illius, cum dari possit forma absque actuali informatione, seu actiatio; vt patet in anima rationali in statu separationis. Si vero nomine actus intelligatur, non ipsa actualis informatio,

seu actiatio, sed vis, & facultas informandi, seu actiandi materiam, quæ est in forma substantiali, est propria passio illius; quæ communiter dici solet essentialis formæ, non quia sit prædicatum essentialis, & quidditatiuū ipsius, sed quia necessariò, & inseparabiliter consequitur ad essentialitatem formæ substantialis. Vnde de definitio animæ, est actus corporis Physici, &c. Et si sit essentialis, non debet quidditatiua, sed descriptiua reputari.

25 Ad primam rationem ex adductis pro secunda sententia (quæ erat fundamentum Pererij) patet ex dictis num. 14. Paralozatum fuisse Pererij nomine potentiæ naturalis, existimando Aristotelem nomine potentiæ naturalis, quam enumerat secundam qualitatis speciem, intelligere vim, & facultatem ad aliquid agendum, vel recipiendum; cum re vera non intelligat vim, seu facultatem, sed agilitatem quamdam, quæ in aliquibus ex his virtutibus ad agendum, vel recipiendum inest à natura.

26 Ad secundam negamus, per aduentum formæ desinere esse in materia potentiam subiectiuam, sumpta potentia subiectiua prout hic sumitur, scilicet, pro vi, & facultate recipiendi formas substantiales. Et ratio est, quia forma non est actus corruptius prædictæ vis, seu facultatis, sed potius est perfecti-

ctiuus. Verum est, quantum at-
tinet ad modum loquendi, ma-
teriam habentem formam nō
propriè dici esse in potētia sub-
iectiua ad formam illam, sicut
propriè dicitur habere poten-
tiam subiectiuam respectu il-
lius formæ: quia ille modus lo-
quendi, est in potentia ad formam,
denotat vim, seu facultatē re-
cipiendi formam cum priva-
tione illius; quam privationē
nō habet materia respectu for-
mæ præsentis.

27 Ad tertiam negamus, po-
tentiam subiectiuam sumptam
provt hic sumitur a nobis, scilicet,
pro vi, & facultate reci-
piendi formas, multiplicari ad
multiplicationem formarum;
cum per eandem numero, &
specie vim, seu facultatem, per
quam materia est potens reci-
pere istam formam, sit etiā po-
tens recipere quamcumque
aliam.

28 Dixi notanter sumptam po-
tentiam subiectiuam pro vi, & fa-
cultate recipiendi formas nam, si su-
meretur pro dispositionibus,
quibus mediantibus determi-
natur materiæ vis, seu facultas
ad recipiendum istam formam
potius, quam aliam, dicendum
esset, multiplicari potētias sub-
iectiuas in materia, numero,
vel specie iuxta multiplicatio-
nem numericam, vel specificā
formarum, quas recipit. Et si
sumeretur pro relatione men-
surabilis, quam habet annexā
omnis potentia respectu sui

actus, etsi in omnium sententia
dicendum sit, potentiam subie-
ctiuam materiæ non multipli-
cari in specie ex multiplicatio-
ne specifica formarum: (Quia
relationes non sumunt specifi-
cationem à terminis materiali-
bus, quales sunt formæ secun-
dum suum esse specificum con-
sideratæ, sed à terminis forma-
libus, qui in præsentī vnus est
in specie, scilicet, ratio actus,
in qua omnes formæ conue-
niunt.) Tamen de multiplica-
tione numerica in sententiā Sco-
ti (quæ sustinet, relationes eius-
dē speciei multiplicari nume-
ro, non solum ex multiplicatio-
ne numerica fundamenti, sed
etiam ex multiplicatione nu-
merica termini materialisto-
talis, & adæquati) dicendum
esset, potētias subiectiuas mul-
tiplicari numero in materia ex
multiplicatione numerica for-
marum. Tamen (vt in princi-
pio animaduerti) in hac quæ-
stione non sumitur potētia sub-
iectiua in his duabus acceptio-
nibus, sed in prima.

QVÆSTIO IV.

*Vtrum materia prima horum corpo-
rum inferiorum sit vna in specie,
& numero?*

1 **N**Otanter dixi materia pri-
ma horum corporum inferiorum,
nā ex aminare, vtrum ma-
teria prima horum corporum
inferiorum, & materia cælorū
sit

fit eiusdem speciei? pertinet ad
libros de cælo.

2 Et præsuppono ex dictis q.
2. huius disputationis à num.
44. vsque ad 48. in materia
prima duplicem vnitatem, tā
specificam, quam numericam:
nos posse considerare: quamdā
intrinsicam; & quæ conuenit
ei ex se, & in quantum quæ dā
entitas physice partialis est; &
quamdā extrinsicam, & cō-
uenientem ei, quatenus a for-
ma determinatur ad esse huius,
vel illius compositi substantia-
lis: quæ vnitatis, tam specifica,
quam numerica, non est distin-
cta ab vnitate specifica, & nu-
merica ipsius compositi sub-
stantialis, quod ex materia, &
forma coalescit.

3 His suppositis dico primò.
Si sermo sit de vnitate specifi-
cæ materiæ primæ intrinsicæ,
materia horum omnium infe-
riorum corporum vna est in
specie. Sententia est Arist. hic
text. 69. verba legito. *Vnūquid-
igitur principium ipsa est* (scilicet
materia) *nec ita vnum est, aut ens,
vt hoc quidam, vnum vero est ratio.*
Vbi per rationem, essentiam in-
telligit, vt solet alibi, & ex po-
nunt interpretes: & per hoc quid-
dam, seu per hoc aliquid (vt alij
vertunt) intelligit indiuiduū.
Et sic verba Philosophi faciūt
hunc sensum; materia horum
inferiorum est vna, non vnita-
te indiuiduali, sed essentiali, &
specifica.

4 Et ratio huius asserti est,

quia nullum ex cogitari potest
vestigium distinctionis specificæ
in materijs horum inferiorū,
quæ sit intrinsicæ materiæ. Im-
mò cum ratio potētiae respec-
tu omnium formarum sub-
stantialium horum inferiorū,
(quæ est proprietatis intrinsicæ
materiæ, per quam eius essen-
tiam nobis ignotam declara-
mus) æqualiter sit in omnibus
materijs, signum est euidens,
omnes materias horum infe-
riorum esse eiusdem essentiae,
& speciei. Et confirmari po-
test ex mutua transmutatione
horum corporum inferiorū;
materia enim, quæ prius sub
forma paniserat, trāsit in ani-
mali ad formam sanguinis, &
ex hac ad formam animalis,
deinde ad formam cadaveris,
postea ad formam terræ, vlti-
rius ad formam plantæ, hinc
ad formam fructus, & iterum
ad formam animalis; quod fie-
ri nō posset, si materia istorum
omnium non esset eiusdem ra-
tionis specificæ.

5 Dico secundò. Si sermo sit
de vnitate specifica extrinse-
cæ, & quæ conuenit materiæ
primæ, non ex se, sed vt deter-
minatur per formam substan-
tialem ad esse huius, vel illius
compositi, materia horum in-
feriorum nō est vnus speciei,
sed tot erunt materiæ speciei
diuersæ, quot fuerint composita
ex materia, & forma specie
diuersa. Est etiam expressa Ari-
stot. sententia; nam textu 60.

huius libri expressè docet, quòd etiam si ingenito, & incorrupto maneat materia eadem numero sed non specie. Verba sunt: *Ex omnibus, quæ fiunt, si quis animaduertat, hoc licet accipere, aliquid semper, quod fiat, subiiciendum esse, quod etsi numero vnum est, specie tamen non est vnum.* Ex quo patet, hunc textum non contrariari præcedenti, ubi affirmabat, materiam horum inferiorum esse eiusdem speciei, quia ibi loquitur de vnitatis specifica; quæ est intrinseca materiæ, & quæ illi conuenit ex se; hic vero de vnitatis specifica materiæ extrinseca, & quæ conuenit, non ex se, sed in quantum per formam determinatur ad esse huius, vel illius compositi substantialis.

6. Ratio huius asserti est, quia (vt dictum est) hæc vnitatis specifica conuenit materiæ, non ratione sui, sed ratione totius substantialis, ad quod determinatur per formas substantiales. Sed hæc tota sunt diuersa in specie: (vt de se patet) ergo & materiæ illorum erunt diuersæ in specie.

7. Dico tertio. Materia diuersorum corporum sibi succedentiũ per generationẽ vni us. & corruptionem alterius est vna numero. (Loquor de vnitatis numerica intrinseca materiæ; nã de extrinseca, & quæ ei conuenit ratione totius, cuius est pars, manifestũ est, multiplicari ad multiplicationem

ipsorum compositorum sibi inuicem succedentiũ per generationem, & corruptionem ipsorum.) Est etiam hoc assertum Arist. textu 60. citato, dũ dicit, quòd ingenito, & incorrupto est eadem numero materia. Et ratio à priori est, quia (vt dicemus disputatione vltima) vnitatis numerica intrinseca materiæ primæ non sumitur à forma, qua informatur; neque à toto, quod ex ipsa, & forma coalescit; sed sumitur à sua intrinseca, actuali, & substantiali entitate. Sed entitas intrinseca, actualis, & substantialis materiæ corporum, quæ per generationem vnius, & corruptionem alterius se mutuo succedunt, est eadem: ergo & vnitatis numerica illi intrinseca.

8. Dico quarto. Materiæ diuersorum corporum simul existentium, vt materia hominis, & equi, vel materia Petri, & Pauli, non sunt eadem numero, sed potius diuersæ. Docuit Arist. text. 69. citato. Et ratio est, quia (vt dictum est) vnitatis numerica intrinseca materiæ primæ desumitur ex eius intrinseca, actuali, & substantiali entitate. Sed prædictæ materiæ habent diuersas, seu distinctas intrinsecas, actuales, & substantiales entitates: (nam sunt discontinuæ, & separatae) ergo diuersas numero vnitatis. Confirmatur; quia aliàs eadem numero materia esset.

na.

naturaliter sub diuersis formis substantialibus non subordinatis inter se in ratione actus, & potentia. Quod est absurdum.

9. Est autem aduertendum, quòd materia (cum, ex dictis in Logica cap. de quantitate disp. I. quæst. 2. habeat ex se partes entitatis integrales) proad vnitatem, vel multipliciter numerica sequitur naturam continuorum. Vnde sicut partes lineæ dicuntur vna numero lineæ, cum termino communi copulantur, & plures lineæ; cum termino communi non copulantur, sed potius sunt discretæ; ita partes materiæ primæ dicuntur vna numero materia, cum copulantur termino communi, & plures numero materiæ, cum termino communi non copulantur, sed potius sunt discretæ.

QVÆSTIO V.

Vtrum materia prima habeat appetitum ad formas substantiales?

1. PRO intelligentia tituli: quæstionis aduertendum est, duplicem esse appetitum elicitem, & innatum, siue (vt alij dicunt) intentionalem, & naturalem Appetitus elicitem, seu intentionalem (qui proprie rationem appetitus habet) est actus appetendi tendens in bonum apprehensum. Vnde, quia duplex est apprehensio boni,

vna, quæ fit per intellectum, & altera, quæ fit per sensum, hinc est, vt duplex etiam sit appetitus elicitem; vnius, qui tendit in bonum apprehensum per intellectum (qui id eo dicitur rationalis, & nihil aliud est, quam actus prosecutionis boni procedens à voluntate, quæ est potentia appetitiua consequens intellectum) & alius, qui tendit in bonum apprehensum per sensum; qui id eo dicitur sensibilis, & nihil aliud est, quam actus prosecutionis boni procedens à potentijs appetitiuis, quæ resident, non in anima, sicut voluntas, sed in certis, & determinatis partibus corporis, & consequuntur sensus.

2. Appetitus innatus, seu naturalis (qui solum dicitur appetitus metaphoricè, & per analogiam ad appetitum elicitem) est inclinatio seu propensio ab authore naturæ insita, qua vnaquæque res absque vlla apprehensione, seu cognitione præuia in suum bonum, seu in suam perfectionem est inclinata, seu propensa; qualis est inclinatio grauis ad motum deorsum, leuis ad motum sursum, &c.

3. Cum igitur in titulo quæstionis dicitur, vtrum materia prima habeat appetitum ad formas substantiales? non est sermo de appetitu elicito, seu intentionali; (nam, cum hic versetur circa bonum apprehensum, & in materia prima nul-

nulla sit apprehensio, neque intellectiua, neque sensitua, manifestum est, in ipsa non posse huiusmodi appetitum reperiri) sed sermo est de appetitu innato, seu naturali; & ita sensus quæstionis est; vtrum in materia prima sit inclinatio, seu propensio insita ab auctore naturæ ad recipiendas formas substantiales?

4 Partem negatiuam tenent Auicena 1. lib. suæ sufficiētiae, cap. 2. & Iustinus Martyr in cōfutatione dogmatum Arist. & citari etiam solent Albertus Magnus 1. Physic. tract. 3. capit. 7. Fundamentum est, quia, si in materia esset huiusmodi appetitus, hic esset ad omnes formas, nam, cum omnes sint perfectiones illius, non est maior ratio, cur habeat naturalem appetitum respectu istius, & non respectu alterius. At respectu omnium formarum substantialium non potest esse in materia prima naturalis, seu innatus appetitus: ergo nullo modo est hic appetitus in materia prima collocandus; minor, in qua est difficultas, suaderi potest multipliciter.

5 Primò, quia, si in materia prima esset appetitus innatus, seu naturalis ad omnes formas, appetitus iste nunquam satietur, & consequenter esset frustraneus. Sequela parèt; quia, cum formæ generabiles, & corruptibiles sint sine categorematicè infinitæ, non se-

cus, ac ita aptè natura sunt sine categorematicè infinitæ generationes, & corruptiones, non poterit materia omnibus illis vnquam informari.

6 Secundò, quia neque habet appetitum respectu formæ, quam habet, neque respectu formæ, quam non habet. Non respectu formæ, quam habet; quia nullus appetit, quod possidet. Nec respectu formæ, quā non habet. Tum, quia, cum formam, quam non habet, nō possit possidere sine corruptione formæ, quā habet, quæ perfectio illius est, si appeteret formam, quam non habet, appeteret corruptionem formæ, quam habet, & consequenter corruptionem, seu priuationē propriæ perfectionis. Tum etiam; quia aliās quiesceret violenter sub forma, quam habet; nam quiesceret cōtra naturalem impetum, seu appetitum, quem diceret, ad formam, quam non habet.

7 Tertiò, quia saltem materia, dum est informata forma perfecta (puta, anima rationali) non potest habere appetitum ad formas imperfectiores. Assumptum probari potest ex cōparatione ad appetitum elicatum, cui si proponatur duo bona inæqualis perfectionis, necessariò versatur circa bonum perfectius, relicto minus perfecto.

8 In oppositum autem est Arist. nam in hoc lib. text. 81.

cx-

expressè affirmat, materiam primam appetere formas substantiales, sicut turpè appetit pulchrum, & sicut foemina appetit virum. Quæ sententia verissima est, & ab omnibus interpretibus recepta. Et ratio propria est, quia appetitus innatus, seu naturalis nihil aliud est, (vt ex dictis nu. 2. patet) quàm inclinatio, seu propensio ab auctore naturæ insita, qua vnacumque res absque vlla apprehensione, seu cognitione præuia in suum bonum, seu in suam perfectionem est inclinata, seu propensa. Sed in materia prima est inclinatio, seu propensio ab auctore naturæ insita, qua absque vlla apprehensione, vel cognitione præuia est inclinata, seu propensa ad recipiendum formas substantiales, vt proprium eius bonum, seu perfectionem: (Nā, vt ex dictis constat, ex se est pura potentia subiectiua respectu formarum substantialium; quæ formæ sunt actus ipsam, maxime perficientes) ergo negari non potest, esse in materia prima appetitum innatum, seu naturalem ad omnes formas substantiales suscipiendas.

9 Est autem aduertendum, quòd sicut appetitus elicitus respicit, tam bonum absens, quàm præsens, sed cum hoc discrimine, quòd appetitus elicitus circa bonum absens dicitur desiderium; appetitus

verò elicitus circa bonum præsens dicitur complacentia, seu fruitio; ita appetitus innatus, seu naturalis, quem ponimus in materia prima ad recipiendas formas substantiales, quantum est in se, & in ratione appetitus, tam respicit formas substantiales absentes, quàm præsentis; sed cum hoc discrimine, quòd respectu absentium, seu quibus materia prima caret, dicitur appetitus innatus per modum desiderij: at respectu formæ præsentis, seu qua actu informatur, dicitur appetitus innatus per modum complacentiæ, seu fruitiois.

10 Ad fundamentum oppositæ sententiæ concessa maiori negamus minorem. Et ad primam probationem respondetur, quòd cū appetitus innatus, qui est in materia prima respectu omnium formarum substantialium, non sit ad omnes actu recipiendas, sed ad recipiendum vnā actu; cæteras verò in potentia, hinc fit, vt ad hoc, vt hic appetitus dicatur satiatus, non sit necessarium, vt actu omnes recipiat, sed sat est, quòd vnā actu recipiat, cæteras verò sint in potentia, vt ab ipso recipiantur.

11 Ad secundam probationem negamus, quòd in ea asseritur. Est enim in materia prima appetitus innatus per modum cōplacentiæ ad formam, quā habet; & per modum desiderij ad formas, quas non habet, vt ex

notabili supra posito manifestum est: Et cum obijcitur contra priorem partem, nulum appetere id, quod possidet, respondetur, esse verum de appetitu per modum desiderij. secus verò de appetitu per modum complacentiæ. Et ad primum ex duobus, quæ contra posteriorem partem obijciuntur, dicimus, ex eo, quod materia appetat formam, quã non habet, & quam possidere non potest absque corruptione illius, quam habet, solum sequi appetere corruptionem formæ, quam habet, & consequenter corruptionem, seu priuationem propriæ perfectionis per accidens. Quod nulum est inconueniens. Nam hoc non tollit, quod appetitus innatus materiæ per se semper tendat in propriam, & connaturalem perfectionem. Imò hoc intendebat Arist. cum hic cap. 9. materiam *maleficam, seu insidiatricem* appellauit. Ad secundum optimè respondet Scotus in 1. d. 1. q. 1. in fine negando sequelam. Nam (vt ipse ait) quies solum dicitur violenta, quando subiectum, quod quiescit, determinatè inclinatur ad oppositum, vt contingit in lapide, qui, quia determinatè inclinatur ad deorsum, violèter quiescit sursum. Materia autem prima ad nullo formam determinatè inclinatur, & sic sub nulla forma quiescit violentè, sed potius

sub quacumque quiescit naturaliter propter indeterminatã inclinationem, seu appetitum, quem dicit ad quamcumque. 12. Ad tertiam probationem principalem negamus assumptum, scilicet, materiam, dum est informata forma perfectã (scilicet, anima rationali) non posse habere appetitum innatum ad formas imperfectiores. Et ad comparisonem appetitus elicitii respondetur, in sententiã Scoti hanc comparisonem potius ducere in oppositum. Nam ipse in 3. d. 36. q. vnic. §. *Quantum ad istum articulum* lit. G. tenet, quod, si voluntati proponatur duo bona, vnum perfectius alio, non necessitatur voluntas ad appetendum perfectius bonum, sed quod potest pro sua libertate appetere bonum minus perfectum, relicto bono perfectiori. Quam sententiã sequuntur Hæricus quolib. 7. q. 16. Ricardus in 2. d. 38. art. 2. q. 4. Maior ibidem q. 1. Marsilius in 2. q. 16. artic. 4. Et ex Thomistis Caietanus, & Medina 1. 2. super artic. 6. quæstionis 13. & ibidem Valentia quæst. 8. puncto 3. Salas sect. 5. quæst. 8. & Montesinos disput. 17. quæstion. 6.

13. Sed contra istam solutionem potest aliquis instare. Etsi propositis voluntati duobus bonis, vno perfectiori alio, voluntas non necessitetur (adhuc ex intentione alicuius finis, ad

cu-

cuius consecutionem aliquod ex his bonis debet appeti, seu eligi) ad appetendum, seu eligendum bonum perfectius (vt Scotus, & alij Auctores contendent) saltem negari non potest, quod appetitus, seu electio minoris boni esset inordinata, & imprudens: (vt expressè fatentur Scotus, ceterique Auctores pro sua sententiã citati) ergo nullatenus est asserendum, dari in materia prima appetitum ad formam minus perfectam cum amissione, & derelictione perfectioris, quã actu possidet. Patet consequentia, quia etsi appetitus innatus non consequatur cognitionem rei naturalis, cui inest, ac per consequens inordinatio, seu imprudentia ista non possit rei naturali, cui talis appetitus inest, attribui; tamen absque dubio esset tribuenda Auctori naturæ, cuius cognitionem sequitur appetitus iste, & à quo liberè, & voluntariè insitus est rebus naturalibus, vt per ipsum in bonum ipsis conueniens, non minus bonè, & aptè inclinentur, ac si intellectum haberent, & semel cognito bono ipsis conuenienti, elicitio, & ordinato appetitu ipsum appetent.

14. Propter hanc obiectionem, aliter mihi videtur occurrendum fore comparationi appetitus elicitii adductæ in fauorè primæ sententiæ in tertia illius probatione; nimirum,

admittendo libenter, quod in casu, quod voluntas è duobus medijs inæqualis vtilitatis ad consecutionem alicuius finis intenti eligeret minus vtile, magis vtili derelicto, talis appetitus, seu inclinatio esset imprudens, & inordinata. Sed negamus, inde sequi, quod Auctor naturæ inordinate, & imprudenter processerit tribuendo materiæ primæ appetitum innatũ, quo in præsentia formæ perfectioris, scilicet, animæ rationalis, appetat etiam formas imperfectiores, scilicet, formã cadaueris, cineris, &c. Et ratio est, quia etiam si anima forma perfectior sit, quàm forma cadaueris, cineris, &c. & consequenter absolutè melius sit materiæ illam formam appetere, & possidere, quàm simul appetere alias imperfectiores cū istius amissione, & derelictione; tamen cum hoc stat, quod respectu finis intenti melius, & vtilius sit, quod materia non solum dicat appetitum innatum ad formam perfectiorem, quam possidet, sed etiam ad imperfectiores, & quas habere non potest sine perfectioris amissione: siquidem finis intentus ab Auctore naturæ est bonum vniuersi, quod in mutis generationibus, & corruptionibus rerum naturalium consistit, iuxta illud Ecclesiastici 1. *generatio præterit, generatio aduenit*: ad quem finem maximè conducit, quod mate-

K 2 ria

ria prima appetat, non solum formam perfectissimam, quam possidet, dum informatur anima rationali; sed etiam imperfectiores, quæ ex prædicta materia educi, & generari possunt cum amissione, & derelictione præexistentis, quantumvis perfectioris. Et est contra maximè obstaret, quod materia solum appeteret formam perfectiorem, quam possidet, dum informatur anima rationali. Undè, quod auctor naturæ contulerit materiæ primæ, non solum appetitum innatum ad formam perfectissimam, quam possidet, quando informatur anima rationali, sed etiam ad imperfectiores, quæ ex illa possunt educi, & generari cum amissione, & derelictione perfectioris, tantum abest, ut fuerit ætus inordinatus, & imprudens, ut plenum sit diuinæ sapientiæ, & prouidentia. Inordinatio autem, & imprudentia esset, si materiæ primæ solum tribueret appetitum innatum ad formam perfectissimam, quam possidet, quando informatur anima rationali; siquidem hoc medio nullo modo posset auctor naturæ assequi finem ab ipso intentum, videlicet, bonum vniuersi, quod in mutuis generationibus, & corruptionibus rerum naturalium consistit.

15 Sed quæres pro complemento quæstionis, quo pacto

se habeat hic appetitus innatus respectu materiæ primæ? Cui dubio cum distinctione respondeo. Aut enim sermo est de appetitu innato secundum se, & prout abstrahit ab appetitu per modum desiderij, & complacentiæ; aut de appetitu innato per modum desiderij, qui præter inclinationem, & propensionem ad recipiendas formas substantiales, quæ est, quam dicit pro formali, connotat intrinsecè priuationem formæ, siue absentiam illius. Si sermo est de appetitu innato priori modo sumpto, dicendum est, esse propriam passionem materiæ primæ. Et ratio est, quia appetitus innatus, ut sic, nihil aliud est, quam potentia ad recipiendum formas substantiales, quæ à natura insita est materiæ primæ; quam potentiam probatum est q. 3. esse propriam passionem materiæ primæ.

16 Si verò sermo sit de appetitu innato in posteriori sensu sumpto, (quæ est acceptio magis vsitata huius nominis) dicendum est, esse accidens illius, licet non ratione propensionis, & inclinationis ad recipiendas formas substantiales, quam pro formali dicit, (Hæc enim semper est propria passio inseparabilis à materia) saltem ratione priuationis formæ, quæ est connotatū intrinsecū appetitus per modum desiderij, & sine quo consistere non

non potest in ratione talis appetitus. Et ratio est, quia huiusmodi appetitus ratione connotati ei intrinseci potest adesse, & abesse à materia absque corruptione illius. Eadè enim materia, quæ nunc dicit appetitum per modum desiderij ad formam absentem, præsentem iam forma, non dicitur habere appetitum desiderij, sed appetitum complacentiæ, non per variationem inclinationis, & propensionis ad formam (hæc enim semper eadem manet) sed per variationem absentia formæ in eius præsentiam, quæ sunt connotata, à quibus intrinsecè pendet appetitus in ratione desiderij, vel complacentiæ.

QVÆSTIO VI.

Utrum materia prima existere possit sine forma substantiali?

ID vobis modis potest exagitari præsens quæstio; primò loquendo de potentia Dei absoluta. Secundò de potentia ordinata. In quo autem differant potentia ordinata, & absoluta, optimè declarauit Scotus in 1. d. 44. q. vnica, §. Respondeo, litt. A. dicens: *Potentia ordinata est principium exequendi aliqua conformiter legi rectæ, & secundum ordinem præfixum ab illa lege. Potentia vero absoluta principium exequendi aliqua præter legem rectam, aut contra le-*

gem rectam, & ordinem præfixum ab ea.

2 Neque existimandum est, Deum inordinate agere, quando operatur potentia absoluta ex eo, quod operetur præter legem, aut contra legem rectam, & ordinem ab ipsa præfixum. Quia (ut rectè docuit Scotus) quando in potestate agentis est lex, & rectitudo eius ita, quod non est recta, nisi, quia est ab illo statuta; tunc potest rectè agere agendo aliter, quam lex illa dicitur, quia potest statuere aliam legem rectam, secundum quam agat ordinate. Nec tunc potentia sua absoluta excedit simpliciter potentiam ordinatam, quia esset ordinata secundum illam aliam legem, sicut secundum priorem. Tamen excedit potentiam ordinatam præcisè secundum priorem, contra quam, vel præter quam facit. Secus verò contingeret, quando illa lex recta, secundum quam ordinate agendum est, non est in potestate agentis: nam tunc potentia eius absoluta, non potest excedere potentiam eius ordinatam circa obiecta aliqua, nisi circa illa agat inordinate: necessarium enim est, illam legem stare comparando ad tale agens, & actionem non conformem illi legi rectæ, non esse rectam, neque ordinatam; quia tale agens tenetur agere secundum illam legem rectam, cui subest. Unde omnes, qui subsunt legi diuinæ, si non agant secundum illam, inordinate agunt. Hæc Scotus. Præsens ergo

quæstio prius examinabitur de potentia Dei absoluta; deinde de potentia Dei ordinata.

SECTIO I.

Examinatur quæstio de potentia Dei absoluta.

3. **D**iuis Thomas 3. contra gentes cap. 4. & 1. p. q. 66. art. 1. & quolib. 3. art. 1. & ferè omnes Auctores pro sententia Thomistarum q. 2. nu. 2. citati constanter affirmant, implicationem inuoluere, materiam primam existere absq; vlla forma substantiali; ac per consequens, neque de potentia Dei absoluta hoc posse contingere. Ex Auctoribus citatis pro sententia Thomistarum q. 2. excipe Bañez, qui, etsi non dubitet, hanc esse sententiam D. Th. nihilominus ab eo recedens 1. p. q. 66. art. 1. dub. 2. concl. 3. oppositam sequitur sententiam his verbis. *A nostro sancto Doctore deficientes materiam posse conservari sine omni forma asserimus.*
4. Fundamentum D. Th. & omnium discipulorum eius est id, quod q. 2. citata num. 2. eorum mente retulimus, scilicet, materiam primam ex se, & seclusa forma nullam actualitatem habere, neque essentia, neque existentia, sed actualitatem essentia recipere à forma, esseque illius effectum primarium; actualitatem verò existentia ab existentia totius, quod

ex ipsa, & forma resultat, esseque effectum formalem formæ secundarium. Ex qua doctrina, si vera esset, facile deducitur, (quidquid reclamet Hurtado disp. 2. physica sect. 9.) implicare contradictionem, materiam existere sine forma; & consequenter neque de potentia Dei absoluta hoc posse contingere. Licet enim in sententia istorum auctorum existentia sit realiter distincta ab essentia actuali, & insuper non sit effectus formalis primarius formæ, sed secundarius (& ita in eorum sententia non implicet, quod essentia actualis existat existentia aliena: imò dicat, de facto id contingere in sacrosancto Incarnationis mysterio, vbi essentia actualis naturæ humanæ Christi Domini nō existit (in istorum sententia) existentia propria, sed existentia ipsius Diuini Verbi, tamen cum hoc affirmant, & consequenter ad sua principia, ad hoc, vt essentia aliqua in se possit recipere actum existentia per se requiri, quod talis essentia actu sit, & in statu quodam medio inter statum puræ possibilitatis, seu potentia obiectiua, & statum existentia, quem ipsi egressionis appellant; nam quandiu remanet essentia in statu puræ possibilitatis, seu potentia obiectiua, cum actu nihil sit, implicationem inuoluit, quod recipiat actum existentia: ergo, si semel supponatur id, quod iu-

cto.

ctores isti supponunt, scilicet, materiam primam ex se, & seclusa forma non habere actualitatem essentia, sed omnino manere in statu puræ possibilitatis, seu potentia obiectiua; actualitatem verò ipsam accipere à forma, & hunc esse effectum primarium ipsius formæ, optimè concluditur, implicare contradictionem, quod materia sine forma existat; & consequenter neque de potentia Dei absoluta id posse contingere.

5. Et hinc intelligetis, quam efficacitatem habeant rationes, quibus Angelicus Doctor, & eius asseclæ ad hoc probandum vtuntur: habent enim non parua, si semel admittamus, quod supponunt. Prima est, quia, si materia prima existeret sine forma, sequeretur hæc implicatio, nempe, quod esset actu, & non esset actu; nā esset actu quatenus supponitur habere existentia, quæ actus quidam est: & non esset actu, quatenus supponitur nō habere formam, quæ est (in istorum sententia) à qua solum ei provenire potest actualitas essentia, sine qua actualitate est incapax omnino recipiendi actum existentia: & sic non solum esset sine actualitate essentia, sed etiam sine actualitate existentia.

6. Secunda, quia, quādo actus sunt essentialiter subordinati, implicationem inuoluit, quod id, quod est in potentia ad ipsos, actuetur per vltimū, & om-

niū perfectissimum, nisi prius sit actuatum per priorē, & minus perfectū; vt patet in compositione metaphysica hominis, in qua, quia actus corporei, viuentis, sensibilis, & rationalis sunt essentialiter subordinati, impossibile est, quod ratio substantia, quæ est in potentia ad omnes istos actus, actuetur, seu contrahatur per vltimū, & omnium perfectissimum, qualis est actus rationalis, quin prius supponatur actuata, & contracta per priores, & minus perfectos, scilicet, per actus corporei, viuentis, & sensibilis: ergo, cum in istorum sententia actus essentia, & actus existentia sint actus realiter distincti, & essentialiter subordinati, impossibile erit, quod materia prima, quæ ex se est in potentia ad istos actus, actuetur per vltimum, & perfectiorē, qualis est existentia, quin prius supponatur actuata per priorē, & minus perfectū, qualis est actus essentia. Sed in sententia istorum actus essentia cōuenit materia indispensabiliter à forma; nam est effectus eius formalis, & primarius: ergo semel admisso hoc fundamento euidēter deducitur, implicare contradictionem, quod materia prima existat sine forma; non secus, ac implicationem inuoluit, quod habeat actum existentia absque actualitate essentia.

7. Omitto tertiam rationem, quæ ab his Auctoribus in hunc modum solet efformari. Im-

possibile est, quod aliquid existat in rerum natura sub aliquo certo genere, & quod non sit sub aliqua determinata specie. Sed si materia prima existeret in rerum natura sine forma, esset sub aliquo determinato genere, scilicet, sub corpore de predicamento substantiæ, & non esset sub aliqua determinata specie (cum hæc sumatur à forma, vel saltim à tota entitate compositi resultantis ex materia, & forma) ergo est impossibile, quod materia existat in rerum natura sine forma.

8. Omitto, inquam, hæc rationem; nam istado in principio, quod præsupponunt Auctores isti, scilicet, materiã primã ex se, & seclusa forma, nullã actualitatem essentia habere, nõ recte inferunt, sequi ex eo, quod detur materia prima existens in rerum natura sine forma, quod daretur aliquid existens in rerum natura sub aliquo certo genere, & non sub aliqua certa specie: nam, cum prædicatum genericum prædicatum essentiale sit, admittunt sanè in materia aliquam essentiam, saltem genericam actualem sine forma; quod est contra principium, quod supponunt. Sed quod debet inferri est, quod daretur aliquid existens in rerum natura, quod nullam haberet essentiam actualem, neque specificam, neque genericam; & consequenter quod neque

esset non solum sub aliqua certa specie, sed neque sub aliquo certo, & determinato genere; quod impossibile est; imò maius, quam ab ipsis illatum.

9 Sed quamuis ex fundamento Thomistarum relato, optimè inferatur, implicare contradictionem, quod materia prima existat sine forma; ac per consequens, neque de potentia Dei absoluta hoc posse contingere; idque non leuiter ipsorum rationibus confirmatur: tamen fundamentum istud, quod supponunt, falsum omnino est; (vt ex dictis q. 2. constat) ideoque per oppositum asserimus, nullam implicationem involvere, materiam existere sine vlla forma substantiali, ac per consequens, intercedente potentia Dei absoluta, hoc optimè euenire posse.

10 Hæc est sententia, quam defendit Scotus in 2. d. 12. q. 2. §. *Responden.* Nec obstat, quod super primo Physicorum q. 20 §. *Quarta conditio* expressè affirmet, esse impossibile, quod materia separetur à forma; nam (vt benè vidit Aretinus in annotationibus super prædicto loco lit. F.) hoc solum affirmat Scotus ex mente Philosophi, & sequendo eius principia. Cui enim secundum Aristot. inter primas, & secundas causas sit connexio ita; vt prima causa sine secunda nihil possit operari; & insuper virtute causa-

le-

secundæ non possit materia prima separari ab omni forma substantiali: (vt sectione sequenti ostendam) hinc optimè concludit Scotus, iuxta principia Philosophi esse impossibile, quod materia prima existat ab omni forma substantiali separata.

11 Sed quia principium Philosophi est falsum, & contra nostram fidem, ideo Scotus loco secundi citato agens vicees, non Philosophi, sed Theologi oppositum affirmavit. Doctorem subtilem secuntur Aretinus loco citato, Rada 2. tom. controu. 12. art. 3. Philippus Faber theoremate 24. Franciscus Maironis in 2. d. 12. q. 2. Et ex alijs Ricardus ibidem q. 4. Gabriel q. 1. art. 3. Gregorius q. 2. Henricus quolib. 1. q. 10. Molina 1. p. q. 3. art. 4. disput. 2. Vazq. ibidem disp. 74. num. 9. & disp. 174. numer. 19. Suarez 1. tomo super tertia parte disput. 14. sect. 3. Conimbricenses hic cap. 9. q. 6. artic. 3. Hurrado disp. 2. physica sect. 9. & recentiores omnes. Imò ex discipulis D. Th. Vazquez loco supra numer. 3. citato & Scotus 1. Physicorum q. 6. art. 2. concl. 2.

12 Fundamentum nostræ sententiæ est id, quod quæst. 2. contra Thomistas statuimus, scilicet, materiam ex se, & seclusa forma non solum habere suam partialem essentiam, sed etiam suam partialem exi-

stentiam, per quam prædicta essentia habet, quod sit actu in rerum natura extra statum puræ possibilitatis, siue puræ potentia obiectiua. Supposito enim isto fundamento efficaciter hæc nostra sententia rationibus Scoti demonstratur.

13 Prima: omne absolutum habens suam propriam essentiam, & suam propriam existentiam distinctum, & prius alio absoluto potest esse absque vlla contradictione sine illo. Sed materia est ens absolutum, habens suam propriam essentiam, & suam propriam existentiam, distinctum, & prius quacumque forma substantiali: (vt ex q. 2. supponimus) ergo potest sine contradictione esse sine quacumque forma substantiali.

14. Secunda: omne absolutum, quod Deus facit in rerum natura mediante causa secunda, potest facere sine illa causa secunda, dummodo prædicta causa secunda non sit de essentia causati. Sed forma substantialis est causa secunda, mediante qua Deus dat esse materiae, quæ forma non est de essentia materiae, in quantum materia est: (Aliàs adueniente materiae alia, & alia forma substantiali, esset alia, & alia essentia materiae) ergo Deus se solo, & absque interuentione formæ substantialis potest facere, & conseruare materiam.

15 Tertia: non est necesse Deum velle.

velle aliquid aliud à se absolute, & de necessitate: ergo, si ex eo quod vult materiam esse, necessario etiã vult, quod forma sit, hoc non est necessarium simpliciter, sed propter necessariam connexionem materiæ ad formam. Sed non est talis necessitas absoluta connexionis materiæ ad formam: ergo liberum est Deo velle materiam esse sine forma. Minorem, in qua est difficultas, sic probat Scotus. Quidquid contingenter se habet ad quodlibet cuiuslibet generis absoluti, contingenter se habet ad totum illud genus absolutum. Sed materia prima contingenter se habet ad quamlibet formam: (cum ex se sit indifferens ad omnes) ergo contingenter se habet ad totum genus formæ, ergo non habet connexionem essentialem, siue absolute necessariam cum forma.

16 Confirmatur, & declaratur amplius ab Scoto probatio huius minoris. Si esset necessitas absoluta connexionis materiæ ad formam, (vt aduersarij contendunt) materia ex necessitate determinaret sibi aliquam formam. Sed materia ex necessitate non determinat sibi aliquam formam: (cum potius ad omnes sit indifferens) ergo non est necessitas absoluta connexionis materiæ ad formam. Maior, in qua esse poterat difficultas, est manifesta. Tum quia quod deter-

minat sibi aliquod genus, de necessitate determinat etiam sibi aliquam speciem illius generis, in qua sit; & quod determinat sibi aliquam speciem, de necessitate determinat sibi aliquod indiuiduum illius speciei, in quo sit; v. gratia, omne, quod determinat sibi esse animal, necessario determinat sibi aliquam speciem animalis, in qua sit; & omne, quod determinat sibi esse homo, determinat sibi esse homo, vel ille homo. Tum etiam, (& est ratio à priori) quia vnum essentialiter vnum, & singulare est impossibile, quod dependeat essentialiter à pluribus rationibus specificis non subordinatis, & à pluribus rationibus individualibus ex his, quæ continentur sub vnico genere: ergo, si aliquid determinat sibi essentialiter aliquod genus, quod etiam essentialiter determinet sibi aliquam speciem, & aliquam rationem indiuidualem ex contentis sub illo genere, erit necessarium. Alias dependeret essentialiter à pluribus rationibus specificis non subordinatis, & à pluribus rationibus individualibus.

17 Quarta, & vltima ratio est, quia supposito, quod materia ex se, & seclusa forma habeat suam partialem essentiam, & existentiam, (vt ex quæst. 2. supponimus) à nullo negari potest, quod plus dependeat

ac-

accidens à subiecto, quàm materia à forma substantiali. Tum, quia stante predicta suppositione materia in nullo genere causæ dependet à forma, neque quoad suam essentiam, neque quoad suam existentiam; accidens verò, saltem quoad suam existentiam, dependet à subiecto in genere causæ materialis. Tum etiam, quia magis dependet posterius à suo priori, quàm prius a suo posteriori; & accidens est posterius subiecto; materia verò est prior forma substantiali. Sed Deus potest facere sua potentia absoluta, quod accidens sit sine subiecto; imò de facto præstat in Sacramento Eucharistiæ: ergo etiam sua potentia absoluta facere poterit, quod materia existat sine forma.

18 Neque adducta pro sententia Thomistarum quidquã præstant; nam fundamentum, quo eorum rationes nitebantur, quàm falsum sit, ex discussis in quæst. 2. haud difficile potest intueri. Sublato autem predicto fundamento, ipsorum rationes tãtò inefficaces sunt, quantò ipso posito efficaces apparebant. Nam prima non probat, quod simul esset materia in actu, & nõ in actu respectu eiusdem, sed respectu diuersorum? esset enim in actu existentia, & non esse in actu formali. Secunda duo supponit falsa: primum est, actualitatem essentia distingui realiter

ab actualitate existentia. Secundum est, materiam primam non habere ex se actualitatem essentia, sed illam à forma recipere. Tertia supponit, rationem specificam solum competere materiæ per formam. Quod etsi de ratione specifica completa, quæ respectu materiæ primæ non est intrinseca, & inseparabilis, sed potius extrinseca, & separabilis, verum sit; imò idem affirmandum veniat de alijs prædicatis essentialibus completis superioribus, & genericis, vt sunt, v. g. in homine prædicatum *sensibilis, viuens, corporis, &c.* tam è loquendo de ratione specifica incompleta, quæ est intrinseca materiæ primæ, & ab ea inseparabilis, falsum omnino est; vt ex dictis in q. 2. & in q. 4. manifestum est.

19 Sed rogabis, vtrum sicut materia prima per potentiam Dei absolutam potest existere sine omni forma substantiali; ita per eandem potentiam possit existere sine omni prorsus forma accidentali? Sunt qui dicant, esse impossibile; quia etiam si possit conseruari materia sine quantitate, & sine omnibus accidentibus, quæ subiectantur in ea, non verò sine existentia, & sine relationibus, tam dependentia, quàm distinctionis, quas dicit omnis creatura ad suum creatorem.

20 Sed affirmandum est cum Scotolocoso supra citato nume

ro 10. posse materiam primam potētia Dei absoluta sine omni forma accidentali conseruari propter easdem rationes, quibus idem probatum est de forma substantiali: Neque obstat, quod materia prima non possit conseruari à Deo sine existentia; nam existentia non est accidens materiæ, sed modus intrinsecus illius, idē realiter cum illa, & spectans reductiue ad illius prædicamentum. Item non obstat, quod materia non possit conseruari sine relationibus tam dependentiæ, quàm distinctionis ad suum creatorem; nam (vt bene respondet Scotus in sine illius §.) relationes istæ nō sunt accidentia materiæ superaddita; nam sunt relationes transcendentes idem realiter cū materia, ad idem spectantes prædicamentum, vt latius docuimus in Logica cap. de relatione tum in annotationibus num. 8. tum in disp. 2. quæst. 3. num. 23.

SECTIO II.

Exagitur quæstio de potentia Dei ordinata.

21 **A**liqui auctores, quos refert Argentinus in 2. d. 12. quæst. vnica art. 2. opinati sunt, non solum de potētia ordinata posse materiam primam existere sine forma, sed etiam de facto aliquando ita conti-

gisse, scilicet, in ipsa prima rerum creatione; idque significari dicunt verbis illis Genesios 1. *terra autem erat inanis, & vacua*: vbi (vt Aug. cap. 4. libri imperfecti de Genesi ad litteram ait) *per terram materia prima; per inanitatem autem eius informitas designatur*. Neq; ab hac opinione videntur dissentire Marfilinus 3. d. 13. art. 1. Gab. d. 21. q. vnica art. 3. nam contendunt, in morte Christi Domini, abscedente anima, mansisse diuinum illud corpus sine vlla forma substantiali.

22 Fundamentum horum auctorum ad affirmandū, naturaliter, seu de potentia ordinata posse materiam esse sine forma, esse potuit; quia si materia prima (vt statutum est tã sectione præcedenti, quàm q. 2. huius disputationis) in sua intrinseca entitate, & existentia non pendet à forma, nec dicit habitudinem ad illam, ex qua conuinci possit necessaria, & essentialis connexio inter materiam & formam; non apparet, cur naturaliter, & de potentia Dei ordinata, non possit existere sine illa.

23 Tenendum tamen est cū cum communi omnium sententia, naturaliter, & de potētia ordinata nō posse esse materiam denudatam omni forma substantiali. Ratio est, quia etiam si materia in sua intrinseca entitate, & existentia non de-

dependeat in aliquo genere causæ ab ipsa forma; habet tamen innatum appetitum ad ipsam recipiendam, (vt ex q. præcedenti constat) & sic semel recepta forma in materia, ita materia connaturaliter sub illa quiescit, ipsamque fouet, & conseruat, vt nisi ab agentibus naturalibus (quorum actio nibus subiectatur materia) prædicta forma corrūperetur, perpetuò sub illa quiesceret, ipsamque foueret, atque conseruaret. Et cum ex alia parte agentia naturalia nunquam vniam formam corumpant, nisi generando aliam; (Imò ex accidenti fit corruptio, nempe, vt locus detur alij formæ: omnia enim agentia non ideò agunt, vt corumpant alia, sed vt corumpant alijs, quæ ipsorum obstant generationibus, generent sibi similia; hocque principaliter, & per se intendunt) hinc est, vt naturaliter loquendo, & de potentia ordinata nunquā possit materia prima omni forma substantiali penitus spoliari. Et ex his patet ad fundamentum oppositæ sententiæ.

24 Ad locum Genesios, quo nitebantur auctores illi probare in ipsa rerum prima creatione materiam de facto extitisse sine forma (præterquam, quod nomine *inanis terræ*, non nisi terræ elementum, quod inane, id est, sine ornatu, & pulchritudine iacebat, propriè intelligitur) bene respondet D.

Th. 1. p. q. 66. art. 1. et si D. Augustinus per *terram* materiã primam, & per inanitatem carētiã omnis formæ intellexerit; eam tamen, non tempore, sed solum origine, seu natura formas antegressam fuisse credidit; vt ipsemet 1. super Genesim ad litter. cap. 15. & lib. 5. c. 8. explicat. Neque verum est, in morte Christi Domini absente illius anima mansisse illud diuinum corpus sine vlla forma substantiali: (vt Marfilius, & Gabriel contendebant) nam mansit in ipso forma corporeitatis, quæ viuente Christo simul cum anima rationali in materia illius corporis residebat. Sed de his latius in libris de Generatione, & Corruptione (Deo dante) tractabimus.

25 Ex his facile solui potest dubium, quod hic à recentioribus excutatur, nimirum, An in casu, quo Deus sua potentia absoluta conseruaret materiam primam, sine omni forma substantiali, indigeret materia illa peculiari concursu Dei, quo tunc suppleretur concomitantia formæ? An sufficeret concursus, quo modò ipsam cum forma substantiali conseruat?

26 Quod in dicto casu indigeret materia ad existendum peculiari Dei cōcursu videtur insinuare Suarez tomo 1. in 3. part. disp. 14. sect. 3. §. *Disco primò*, & Conimbricenses 1. Physicorum cap. 9. quæst. 6. art.

art. 3. sed negant Hurtado disput. 2. physica sect. 9. §. 104. & Caberustractu 1. disp. 1. dub. 8. num. 14. & longè sanè probabilius. Estque ratio efficax, quia actio, qua de facto conseruat Deus materiam cū forma, nullo pacto dependet à forma: (Aliàs non esset creatio continuata, sedeductio materiæ ex potentialitate formæ) ergo sicut modò sufficit hæc actio ad conseruandam materiam cum forma, sufficeret etiã ad conseruandam materiam sine forma. Patet consequentia, quia recedente omni forma, nil recedit, à quo simpliciter pendeat actio, qua nunc conseruat materiam.

27 Aduertit benè Hurtado, quòd etsi non requiratur ad conseruandam materiam primam, sine omni forma substantiali concursus Dei diuersus à substantia concursus, quo de facto illam conseruat cum aliqua forma substantiali; nihilominus ille concursus esset dicendus miraculosus, & supernaturalis quoad modum; nam esset præter legem, seu contra legem à Deo præfixam, & ordinatam, conseruandi scilicet, materiam cum forma substantiali: qui est status sibi connaturalis, & secundum legem ordinatam ipsi debitus. Et fortassis hoc tantum sibi uolunt Suarez, & Conimbricenses, dum dicunt, indigere materiam primam speciali concursu ad sui

conseruationem sine forma: explicari enim possunt de concursu speciali, non quoad substantiam, sed quoad modum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum materia sit de quidditate compositi substantialis?

I **N**on inquirimus, An materia sit pars compositi substantialis: nam apud Peripateticos hoc indubitatum est; (vt ex dicendis in disputatione de composito substantiali constabit) sed an sit pars quidditatis illius?

2 Prima sententia est, quam Scotus in 3. d. 22. q. vnica art. 1. (vbi hanc quæstionem præclare exagitat) tribuit Hugoni libro 1. de Sacramentis part. 2. cap. ultimo, & à marginistis Scoti tribuitur Auerroï 7. Metaph. commento textus 35. & Alberto Magno, sed non citant locum. Hæc ergo sententia asserit materiam primam, etsi sit pars compositi substantialis, non tamen esse partem quidditatis illius, sed totam quidditatem esse formã; materiam autem solum se habere, vt vehiculum quidditatis, & propterea in definitiones physicas compositi substantialis intrare. Quam sententiam postea secuti sunt Iandunus 7. Metaph. q. 12. & alij; quibus fauet Alexander Afrodiensis 2. Metaph. text. 12. & The-
mi-

mittius 3. de Anima text. 9. & 38.

3: Probari potest hæc sententia, primò argumentis, quæ in fauorem ipsius adducit Scotus. Primum est, quia ex Arist. 7. Metaph. text. 22. materia est causa, ob quam res potest esse, & non esse, id est, generari, & corrumpi: ergo, si materia esset pars quidditatis compositi substantialis, posset esse, & non esse, id est, generari, & corrumpi quidditas compositi substantialis: quod est contra eundem Arist. eodem loco capite de partibus definitionis text. 34. vbi vult, quòd quæcunque concipiuntur sine materia, vt rationes speciei, hæc solum nõ corrumpuntur.

4. Secundum. Quod quid est, est ratio cognoscendi illud, cuius est: ergo quod secundum se est ignotum, non includitur in ratione ipsius quòd quid est. Sed materia est per se ignota ex Philosopho 7. Metaph. text. 35. ergo materia nõ includitur in ratione ipsius quòd quid est, id est, in ratione quidditatiua compositi substantialis.

5. Tertium. In per se habentibus quidditatem quidditas est idem cū eo, cuius est quidditas (vt expresse dicit Philosophus 7. Metaph. text. 20.) ergo, quod prohibet quidditatem esse idem cum eo, cuius est quidditas, non poterit esse de ratione quidditatis.

Sed materia est huiusmodi (vt affirmat Philosophus in eodẽ loco, his verbis, *In conceptis cum materia non est idem quod, quid est cum eo, cuius est*); ergo materia non poterit esse de ratione quidditatiua compositi substantialis.

6. Quartum desumptum est ex aliquibus auctoritatibus Arist. in quibus videtur excludere materiam à quidditate compositi substantialis, & solum formæ substantialis illam attribuere. Nam 7. Metaph. text. 35. dicit, quòd anima est substantia animati, & species, & quod quid erat esse: & 2. libro huius operis text. 28. & sæpe alibi formam definiens dicit, quòd est ratio, & quod quid est rei. & 7. Metaph. text. 9. ponit hæc verba, *Compositum ex materia, & forma dimittendum est, quia huius substantia posterior est quidditate rei*, vbi expresse excludit materiam à quidditate rei. Et in epilogo illius capituli dicit, quòd partes, & materia non insunt definitioni, vel quidditati substantiæ.

7. Secundo probari potest eadem sententia argumentis, quæ ab alijs Auctoribus adducuntur. Primum est, Homo, & equus quidditatiuè distinguuntur. Sed non distinguuntur per materiam (hæc enim est eiusdem quidditatis in homine, & equo) ergo, per solam formã: ergo in sola forma consistit quidditas compositi substantialis.

8 Secundum. Sicut se habet materia secunda (hoc est, cōpositum substantiale) ad artefacta, sic se habet materia prima ad res naturales. Sed materia secunda (lignum scilicet, aut æs) non est pars quidditatis artefactorum: ergo neque materia prima erit pars quidditatis rerum naturalium, siue compositi substantialis.

9 Tertium. Si materia in communi esset de essentia cōpositi substantialis in communi sumpti, hæc materia singularis (scilicet, qua constat Socrates) esset de essentia huius compositi substantialis (scilicet Socratis) hoc autem videtur falsum. Primò, quia materia Socratis actione caloris naturalis humidum radicalis depascentis perpetuò dilabitur, neque stabilis perseverat: essentia autem Socratis perpetuò stabilis, & fixa perseverat. Secundò, quia, cum pereunte Socrate, forma cadaueris in eius materiam succedat, sequeretur, eandem materiam singularem ad diuersorum essentias (videlicet Socratis, & cadaueris) pertinere. Quod absurdum videtur. Et demum tertio, quia, si hæc singularis materia esset de huius hominis quidditate, seu essentia, nõ posset idem homo in vniuersali corporum resurrectione ad vitam reuocari, nisi idem corpus, seu eandem materiam assumeret. Quod impossibile

videtur, cum eadem materia (saltem partiatim) ad multos attingere possit, vt patet in his, qui humanis vescuntur carnibus, quarum materiã sibi copulant.

10 Secunda tamen sententia vera, & à nobis amplectenda est, quam defendit Scotus loco citato, estque communis, atque recepta apud Doctores; nam eam tenent Boetius libro de duabus naturis, & vna persona Christi, noster Alexander Alensis 3. par. q. 6. D. Tho. 1. par. q. 75. art. 4. & in 1. contra gentes cap. 21. Durandus in 4. d. 44. q. 1. Auicena 5. Metaph. cap. 4. Afferit: ergo hæc sententia, materiam non solum esse partem compositi substantialis, sed etiam spectare ad essentiam, & quidditatem illius.

11 Probatur ab Scoto: primò auctoritate sanctorum. Nam D. Augustinus 3. de ciuitate Dei cap. vltimo sic fatetur: *Verum est, quòd non totus homo, sed pars melior anima est: nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis, sed cum est vtrumque coniunctum simul habet hominis nomen.* Et lib. 19. cap. 3. Varronem commendat eò quòd hominem, nec animam solum, nec solum corpus, sed vtrumque esse statuerit. Et D. Damascenus lib. 3. Fidei orthodoxæ cap. 3. dicit: *Plures hypostasies hominum sunt, omnes autem eandem recipiunt rationem naturæ: omnes enim*

*enim ex anima compositi sunt, & corpore. Vbi ponderat Scotus, collegisse Damascenum, omnes hominum hypostasies recipere rationem, seu quidditatẽ naturæ hominis, ex eo, quòd quælibet hypostasis componitur ex corpore, & anima; supponendo vt certum, non solum animam, sed compositum ex anima, & corpore ad rationem, seu quidditatẽ hominis spectare. Prætercã idẽ Damascenus loco citato c. 12. contra hereticos asserentes Christum Dominum habuisse corpus cæleste, probat, Redemptorẽ habuisse verã carnẽ de Virgine substantialiter sumptã, ex eo, quòd aliàs nõ esset homo vniucò nobiscum. Quòd argumentum nihil valeret (inquit Scotus) si caro nõ esset de essentia, & quidditate hominis, sed solum anima hominis essentiã, & quidditatẽ integraret. Ad idẽ est D. Athanasius, dum in symbolo dicit: *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c.**

12 Secundò probatur à Scoto multis rationibus, ex quibus hæc sufficiãt. Prima, quia, si sola forma esset tota essentia, & quidditas cōpositi substantialis, sequeretur, quòd sola forma ignis esset sufficiens ad hoc, vt aliquid esset substantia ignis. Quòd est omninò falsum; quia ex hac positione destruitur omnis materia: si enim sola forma ignis circumscripita materia est ignis, materia superflua est; & sic ig-

nis erit ignis, & substantia, absq; materia. Sequela est manifesta, quia essentia, & quidditas rei est principium sufficiens essendi ipsi rei.

13 Secunda: cuius essentia secundum se est incausata, ipsum est etiã secundum se incausatum (Quia, quòd aliquid causetur per se, & nõ eius essentia, quæ est idẽ realiter cum illo, est impossibile) ergo illud, cuius essentia est incausata à causis intrinsecis, erit etiã incausatum à causis intrinsecis. Sed si quidditas, & essentia rerum materialium non includeret materiam, esset incausata à causa intrinseca materiali, siquidẽ non haberet materiam, vt causam sui intrinsecam: ergo etiã essentia incausata materialiter ipsa res materiales, quarum est quidditas, & essentia; quòd est contra Aristot. ponentem materiam primam causam intrinsecam substantiæ rerum materialium.

14 Tertia, quia ens completum in genere nulli alteri vnitur, vt faciat vnum per se cum eo, sed tantum faciet cum altero vnum per accidens, aut per aggregationem. Sed, si sola forma esset tota quidditas, & essentia rei materialis, esset ens completum in genere: ergo non posset vniri materiæ ad faciendum per se vnum cum ea, sed potius faceret vnum per aggregationem, sicut acervus. Quòd est contra Aristot. 7. Metaph. cap. 5. tex. 15. & 8.

Metaph. vbi dicit, quod compositum per se generatum, est per se vnum, alias esset minus vnum, quam terminus argumentationis, vel alterationis.

15. Quarta: quod non includit aliquam quidditatem, ex his, quæ sunt in genere, vel non includitur ab aliqua quidditate existente in genere, id non est in genere, neque per se, neque per reductionem. Sed materia compositi substantialis non includit in se quidditatem ipsius compositi substantialis, quæ est, quæ ponitur in genere: (vt de se est manifestum) ergo, si (vt aduersarij contendent) etiã non includitur in quidditate ipsius compositi substantialis materia, nullo modo erit in genere (quia neque per se, neque per reductionem) sed quod nullo modo est in genere, aut est nihil, aut est Deus. Sed materia non est Deus: igitur est nihil: quo nihil absurdius; & contra Arist. Maior huius discursus patet; quia solum illa sunt in genere per se, quæ includunt quidditatem, vt indiuidua; vel sunt ipsamet quidditas, vt genera, & species; & illa solum sunt in genere per reductionem, quæ includuntur in aliquo, quod est per se in genere.

16. Tertio probari potest auctoribus Arist. quibus affirmat, entitatem intrinsecam compositi physici substantialis coalescere ex forma, & materia, tanquam ex partibus intrinse-

cis: nam, cum quidditas, & essentia rei desumatur à tota entitate physica, quæ est intrinseca rei, euidenter sequitur, quod, si non sola forma, sed etiam materia spectant ad entitatem intrinsecam compositi substantialis, etiam ad quidditatem, & essentiam compositi substantialis spectabunt, non solum forma, sed etiam materia. Entitatem autem intrinsecam compositi physici substantialis coalescere ex forma, & materia, tanquam ex partibus, & principijs intrinsecis, docuit Arist. in hoc libro text. 82. & 2. de Anima text. 2. & 3. & 7. Metaph. text. 7. & passim aliibi.

17. Expressiores adhuc sunt auctoritates, quas ad hoc propositum adduxit Scotus in fine, §. *Rationes, quas.* primam ex 8. Metaph. cap. 3. & 1. de Anima, vbi recitat opinionem quorundam definientium res materiales, aliquorum per materiam tantum, aliquorum per formam tantum, & isti vltimi secundum ipsum Philosophum perfectè definiunt. Vnde commendat Architam, quia tam materiam, quam formam complexus est in definitione. Secundam ex 8. Metaph. text. 9. vbi vult Philosophus, quod oportet, definitionem esse orationem longam, & hoc quidem vt materiam, illud verò vt formam esse in definitione.

Ter-

Tertiam ex 7. Metaph. text. 35. vbi concludit sententiam nostram, scilicet, materiam esse partem formæ, seu definitionis; & explicans, quid nomine formæ, seu definitionis intelligat, dicit, se intelligere quiddid erat esse, id est, ipsam quidditatem, & essentiam.

18. Ad primum argumentum ex adductis à Scoto in fauorem oppositæ sententiæ respondetur ex eodem Scoto, dupliciter posse intelligi, quod aliquid sit corruptibile: vno modo potentia remota, & altero potentia proxima. Dicitur corruptibile potentia remota, quod habet in se, vnde possit corrumpi, non tamen potest reduci ad actum corruptionis, nisi fiat prius in potentia propinqua per existentiam in singularibus; sicut calefactium in potentia remota dicitur, quod in se habet calorem; non tamen potest actu calefacere, nisi prius fiat in potentia propinqua per approximationem ad calefactibile. Nunc in forma dico, quidditatem substantiæ materialis esse quidem corruptibilem, sed non potentia proxima, sed remota; licet enim in se sit corruptibilis, non tamen actu corrumpitur in se, sed in suis singularibus, in quibus existit. Et hæc corruptio actualis, & non potentialis remota est, quam negat Arist. loco citato 7. Metaph. text. 34. rationibus

quidditatiuis, & specificis, quæ do concipiuntur abstractæ à materia, id est, à rationibus indiuidualibus, in quibus existunt. Hæ enim sunt, quas ibi nomine materiæ intelligit Philosophus. Vt enim pulchrè aduertit Scotus, §. *Ad primum.* Aristoteles in 7. Metaph. capite de partibus definitionis æquiuocè vtitur nomine materiæ (sicuti & nomine speciei, & nomine simul totius) quorum minimum æquiuocatio multoties decipit. Aliquando enim accipit materiam pro altera parte compositi substantialis; vt cum text. 22. dicit, materiam esse causam, ob quam res potest esse, & non esse, id est, generari, & corrumpi. Aliquando verò pro principio indiuiduationis; in quo sensu materia non est pars quidditatis compositi substantialis, sed quid contrahens ipsam quidditatem ad esse indiuiduale: & forma, quæ correspondet huic materiæ, est natura vniuersalis abstracta ab indiuiduis. Et in hoc sensu sumit materiam, quando text. 34. dicit, quæcumque concipiuntur sine materia, vt rationes specificæ, hæ solum non corrumpuntur.

19. Porro ponere quidditatem substantiæ materialis corruptibilem potentia remota, tantum abest, vt sit inconueniens, quod est simpliciter, necessarium, cum per hoc essen-

tialiter distinguatur à substantijs separatis, seu immaterialibus. Et insuper, quia, cum hæc corruptibilitas sit propria passio substantiæ materialis, necessariò debet demonstrari inesse alicui vniuersali; nam scientia non est de particularibus, sed de vniuersalibus naturis; & ideò verum est dicere de substantia materiali in communi sumpra, quòd sit corruptibilis; & verificatur talis propositio, non de potentia proxima, sed de remota. Vnde benè obseruauit Scotus, §. *Rationes, quas*; argumentum istud potius esse pro nobis, & contra aduersarios. Quia, cum quidditas rei materialis, seu compositi substantialis sit corruptibilis potentia remota, & omnis corruptibilitas sit propter materiam, necessariò inferitur, quòd quidditas substantiæ materialis includat materiam.

20 Ad secundum damus aduersarijs, *quod quid est* esse rationem cognoscendi illud, cuius est. Tamen (vt acutè aduertit subtilis Doctor, §. *Rationes, quas*, versiculo, *Præterea secundum*) potius inde inferatur contra aduersarios, materiã includi in ratione quidditatiua compositi substantialis. Cum enim compositum, substantiale cognosci nõ possit sine causã materiali, (Quippè ex Aristot. 7. Metaph. text. 13. & 1. Physicorum tex.

1. *tunc scire putamus, cum causas cognoscimus*) si, vt aduersarij cõtendunt, nihil est necessarium ad cognitionem rei, nisi *quod quid est*, cum materia, quæ est causã materialis compositi substantialis, necessaria sit ex doctrina Philosophi ad eius cognitionem, necessariò inferitur, materiam includi in *quod quid est*, siue in quidditate compositi substantialis.

21 Et cum obijcitur, quòd ex Aristot. materia est ignota. Respondetur cum Scoto, quòd pro tanto dicitur materia ignota, quia non est potissima ratio, & perfectissima cognoscendi illud, cuius est, sicut est forma. Tamen ipsa quoque est necessaria; aliàs cognitio substantiæ materialis numquã haberetur à nobis; & insuper omnis cognitio scientifica esset rerum immaterialium, & simplicium, non autem compositarum; nam ad harum cognitionem requiritur cognitio partium, ex quibus componuntur. Possumus etiam dicere ex eodem Scoto, quòd materia dicitur ignota, quia forma aliquo modò est ratio cognoscendi materiam; tamen semel cognita materia per formam, vtraque est ratio cognoscendi compositum substantiale, quod ex ipsis coalescit; & cõsequenter vtraq; ad eius quidditatem spectabit; licet magis perfectè forma, quã materia: eò quòd eius esse sit perfectius, quàm

quàm esse materiæ.

22 Ad tertium respondet Scotus, §. *Rationes, quas*, versiculo, *Ad tertium*, negando minorem, scilicet, materiam sumptam pro altera parte compositi materialis prohibere, vt *quod quid est*, sit idem cum eo, cuius est; nam eodem pacto, ac in spiritualibus *quod quid est*, est idem cum eo, cuius est, ita & in materialibus. Et ad illa verba, *In conceptis cum materia non est idem, quòd quid est cum eo, cuius est*, respondetur, non esse ad rem: ibi enim nomine materiæ non intelligitur altera pars compositi substantialis, sed intelliguntur differentiæ indiuiduales (vt explicat Scotus in 2. d. 3. q. 6. ad quartum.) Itaque apud Philosophum idem est conceptũ cũ materia, ac conceptum cũ differentia indiuiduali. Docet autem Aristot. in conceptis cum materia (id est, cum differentijs indiuidualibus) non esse idem quòd quid est cum eo, cuius est nõ quia existit rerum quidditates, seu essentias non identificari cum suis indiuiduis; nã esse idem realiter cum indiuiduis, nec ab illis separatas existere probauit contra Platonem 7. Metaph. à text. 17. vsq. ad 32. sed (vt exponit Scotus pluribus in locis, præsertim loco citato, & in 3. d. 22. q. vnic. §. *Ad primum* in solutione tertij argumenti) quia non est idem per se primò, sicut est cum natura specifica abstracta à singu-

laritatibus, sed per se secundò. 23 Quod vt clariùs percipiatur, aduertit Scotus, *quod quid est*, seu quidditatem posse comparari ad duo, scilicet, & ad naturã specificã, & ad eius indiuiduũ; nam & natura specifica dicitur habere quidditatẽ, & similiter indiuiduũ eius dicitur habere quidditatem. Si quidditas cõparetur ad naturã specificã, *quod quid est*, seu quidditas est idẽ cũ illa natura per se primò, & hoc tam in natura specifica rei materialis, quã rei spiritualis. Cuius ratio est, quia huic naturæ competit primò, & per se quidditas, seu essentia, quæ per definitionẽ explicatur. Si verò cõparatur ad indiuiduũ talis naturæ, *quod quid est*, seu quidditas non est idẽ illi per se primò, sed per se secundò. Cuius ratio est, quia indiuiduo etsi cõpetat per se quidditas, seu essentia, quæ per definitionẽ explicatur, sed nõ primò; sed primò cõpetit illius naturæ specificæ, deinde sibi; imò sibi, quia in se includit naturã specificã. Ad rẽ ergo: dicit Scotus, quòd *in abstractis à materia*, id est, à cõditionibus indiuidualibus, secundũ Arist. *idẽ est, quod quid est cũ eo, cuius est*; quia quidditas, seu essentia, quæ per definitionẽ explicatur, conuenit naturæ specificæ, sic abstractæ, & consequenter cum ea identificatur per se primò. *In conceptis verò cum materia*, id est, cum conditionib; indiuidualib; nõ est idẽ,

quod quid est cum eo, cuius est, non quia non sint idem realiter, (aliàs sibi contradiceret Aristot.) sed quia quidditas, seu essentia, quæ per definitionem explicatur, etsi per se illis conueniat, & consequenter cum illis identificetur, sed non primò, sed secundò, & ratione naturæ specificæ, quam in se includunt.

24 Ad auctoritates Arist. adductas in quarto argumento, tam ex 7. Metaph. quam ex 2. Physicorum, tex. 23. respondetur cum Scoto, Aristotelem appellare formam substantiã, speciem, & quod quid erat esse compositi substantialis, non quia existimet esse totam substantiam, aut totam speciem, & quidditatem compositi substantialis, sed quia est præcipua pars, & veluti vltimum completum, & distinctiuum substantiæ, speciei, & quidditatis compositi substantialis. Ad auctoritatem verò ex 7. Metaph. text. 9. respondet idem Scotus, ibi sumere materiã cõcretè, id est, non pro altera parte compositi substantialis, sed pro principio indiuiduationis. Itaque cum ibi dicit, compositum ex materia, & forma dimittendū esse, quia huius substantiæ posterior est quidditate rei, nomine compositi ex materia, & forma intelligit indiuiduum, quod compositum est ex principio indiuiduationis, tanquam ex materia, & ex na-

tura specifica, tanquam ex forma: & hoc compositum affirmat esse posterius rei quidditate; neque de ipso disputandum esse; quia scientiæ non sunt de singularibus, & indiuiduis, sed de naturis vniuersalibus: & in eodẽ sensu sumpta materia, optime concludit in prædicto loco non esse de quidditate rei: nã principii indiuiduationis, etsi sit de intrinseca ratione naturæ singularis, non tamen est prædicatũ eius quidditatum, vt dictum est in Logica cap. de specie disp. 1. q. 3. n. 7.

25 Ad fundamenta, quæ ab alijs in fauorem oppositæ sententiæ adducebantur, respondetur. Ad primum dicimus, hominẽ, & equum quidditatiuè distingui, quia habent differentias essentialiter, & quidditatiuè distinctas, quæ etsi principalius desumuntur à forma corũ, quia formæ sunt præcipuæ partes, ex quibus entitates physice corũ coalescunt: tamen etiam desumuntur à materijs ipsorũ; siquidem physice entitates eorum etiam coalescunt ex ipsorum materijs, & tam genera, quam differentie sumuntur à tota entitate physica rei (vt ex dictis in Logica cap. de differentia disp. 1. q. 4. constat.) Quod modò confirmari potest; nã data hypothesi, quòd forma duorum compositorum substantiãlium esset eiusdem speciei, & materiæ ipsorum essent in specie diuersa, tunc illa duo com-

po-

posita quidditatiuè differrent; & consequenter haberent differentias quidditatiuè diuersas.

26 Ad secundum dupliciter responderi potest iuxta duas sententias, quæ versantur circa directum, & per se significatum artefactorum. Quidam enim putant, artefacta directè, & per se significare, non solum formam arte inductam, sed etiam materiã secundã, in quam inducitur (lignum scilicet, vel æs) & sic artefacta non esse vnũ per se, sed per accidens. Quam sententiam probabiliorem iudicant Conimbricenses 1. Physicorum cap. 9. q. 5. artic. 3. & videtur habere fundamentum in Arist. 3. Physic. cap. 7. text. 66. vbi materiam, ex qua artefacta constant, appellat eorum partem; quòd vtique non assereret, si artefacta directè, & per se non significarent materiam, sed solum indirectè, & connotatiuè. Et hi concessa maiori negant minorem; & rectè quidem; quia etiam si substantia (vt est lignum, vel æs) in essentiam accidentis ingredi nequeat; nihil tamen verat, quòd ingrediatur in essentiam eius, quòd ex accidenti, & substantia accidentaria compositione coalescit, vt sunt in istorum sententia artefacta.

27 Alij verò, inter quos sunt D. Thom. 1. de Interpretatione, & Albertus Magnus 2. Physicorum tract. 1. capit. 2. è contrario sustinent, arte-

facta (vt sunt statua, domus, &c.) directè, & per se solum significare formam arte inductam, materiã verò secundam solum significare indirectè, & connotatiuè, non secus ac composita, quæ fiunt ex accidenti physico, & substantia (vt sunt album, frigidum, &c.) directè, & per se solum significant formam accidentalem; substantiam verò, in qua inhaerent, indirectè, & connotatiuè. Et in istorum sententia (quam probabiliorem iudico) neganda est maior argumenti, scilicet, quòd sicut se habet materia secunda ad artefacta, ita se habet materia prima ad res materiales: quia etsi materia secunda artefactorum, & materia prima rerum naturalium in hoc conueniunt, quòd sicut materia secunda artefactorum ex se est in pura potentia subiectiua ad formas artefactorum; ita materia prima rerum naturalium ex se est in pura potentia subiectiua ad formas substantiales; & quoad hoc in hoc primo libro sepe illas comparat Aristot. Tamen in ordine ad compositionem valde differunt; nam ex materia prima, & forma substantiãli, cum se habeant, vt per se potentia, & per se actus, resultat vnum per se, id est, vna natura, & vna essentia, & quidditas: at ex materia secunda, & forma artificiali, cum non se habeant, vt per se potentia, &

per se actus, sed vt potentia per accidens, & actus per accidens, non resultat vnum per se, sed vnum per accidens, id est, vnum nō in natura, essentia, aut quidditate, sed per coniunctionem accidentalem duarum naturalium, & duarum essentiarum, & quidditatum.

28. Ad tertium concedimus, quod sicut materia in communi est de quidditate, & essentia compositi substantialis in communi, ita & hæc materia in particulari est de quidditate, & essentia huius particularis compositi substantialis, puta Socratis, vel Platonis. Et ad primum, quod in contrarium obijciebatur, (Quod, si quid probaret, probaret vtique, neque etiam hanc formam in particulari esse de essentia compositi substantialis in particulari, siquidem in animalibus irrationalibus, in quibus animæ sunt materiales, & diuisibiles, non solum materia, sed etiam animæ actione caloris humidum radicale depascentis perpetuò dilabuntur.) Respondetur, etiam si materia Socratis perpetuò dilabatur actione caloris humidum radicale depascentis, nihilominus eius essentiam, indiuiduam esse stabilem in esse indiuiduæ; quia prædicta materia permanet semper vna numero ratione continuationis partis materiæ de nouo aduenientis cum materia præexistente, non secus,

ac appellamus eandem numero flammam, quæ lignis subinde appositis, atque consumptis continuò alitur.

29. Ad secundum, nullum esse absurdum, eandem singularem materiam (cum suapte natura sit commune formarum subiectum) in essentia diuersorum includi, quatenus modò hoc, modò illud per formarum varietatem sibi succedentium componit.

30. Ad tertium, absque dubio non posse eundem hominem in mortuorum resurrectione ad vitam reuocari, nisi reddito sibi eodem numero, quò vixit, corpore. Quod si eadem pars materiæ ad multos pertinuerit, futurum erit, quod D. Aug. 22. de Ciuitate Dei cap. 20. atque Scotus noster in 4. d. 44. q. 1. §. *Ad argumenta dacent*, scilicet, quod vnicuique reddatur materia, in qua primò cæpit esse, & reliquum supplebit Deus, vel ex materiæ partibus, quæ per nutritionem defluerunt, vel aliunde. Neque enim, vt idē numero corpus resuscitari dicatur, necessariū est, vt quoad omnes partes resurgat: aliàs Socrates puer, & Socrates senex non diceretur habere idem numero corpus; siquidem Socrates puer non habet eandem numero partes corporis, quas habet senex.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum materia prima sit generabilis, & corruptibilis?

1. **Q**uod materia prima sit generabilis, & corruptibilis his rationibus suaderi solet. Prima: omnis motus denominat suum subiectū. Sed subiectum generationis, & corruptionis est materia prima: ergo denominabitur à generatione, & corruptione generabilis, & corruptibilis.

2. Secunda: si materia prima esset incorruptibilis, esset præstantior forma, & composito substantiali; siquidem forma, & compositum substantiale corruptibilia sunt, & incorruptibile præstantius est quocumque corruptibili. Sed materia prima non est præstantior forma, neque composito substantiali: ergo materia prima non est incorruptibilis.

3. Tertia: quod potest in maius, & perfectius, potest in minus, & imperfectius. Sed agens naturale potest generare, & corrumpere totum substantiale, quod est maius, & perfectius materia prima: ergo poterit etiam generare, & corrumpere ipsam materiam primā.

4. Quarta: si materia prima esset incorruptibilis, totū substantiale, quod ex ipsa, & forma componitur, esset incorruptibile. Consequens est fal-

sū: ergo & antecedens. Sequela patet: ex eo enim, quod vna pars compositi substantialis est materialis, totum substantiale dicitur materiale: ergo, si vna pars, scilicet materia, est incorruptibilis, totum dicitur incorruptibile.

5. Quinta: propter quod vnumquodque tale, & illud magis, ex Arist. 1. Poster. cap. 2. sed materia prima est, propterquam compositum substantiale est generabile, & corruptibile, ex Aristoi. 7. Metaph. text. 22. & 29. & 1. de ortu, & interitu capit. 3. ergo materia prima erit generabilis, & corruptibilis.

6. Pro decisione quæstionis aduertendum est cum Scoto super 1. Physic. q. 20. §. *Oppositum arguitur*, quod dupliciter potest dici aliquid generabile, & corruptibile, scilicet, aut subiectiuè, aut terminatiuè. Tunc dicitur generabile, vel corruptibile subiectiuè, quando potens est generationi, vel corruptioni subijci. Tunc vero dicitur generabile, vel corruptibile terminatiuè, quando potens est generationē, aut corruptionem terminare. In præsentī ergo quæstione non inquirimus an materia prima sit generabilis, vel corruptibilis subiectiuè: certum enim est, in hoc sensu non solum materiam primam esse generabilem, & corruptibilem, sed etiam ipsi soli hæc generabilitatē, & corruptibilitatē conuenire, cum ipsa

sola possit esse subiectum generationis, & corruptionis. Sed inquirimus, an materia prima sit generabilis, & corruptibilis terminatiue? Tum, quia in hoc sensu loquitur Arist. (vt aduertit Scotus) Tum etiam, quia hæc acceptio est propria, & rigorosa harum vocum: proprie enim, & rigorose dicitur generari, quod per generationem fit, & corrumpi, quod per corruptionem desinit esse: nam quod est generationis, aut corruptionis subiectum, non dicitur proprie, & in rigore generari, aut corrumpi, sed per generationem transmutari ex non esse ad esse, & per corruptionem ex esse ad non esse.

7 Hoc supposito indubitanter asserendum est, materiam primam, neque generabilem, neque corruptibilem esse, sed solum posse accipere esse per creationem, & desinere esse per annihilationem. Hæc est expressa sententia Aristot. non solum in hoc libro cap. 9 text. 82. sed etiam in Metaphysica lib. 7. cap. 7. & 8. & lib. 8. cap. 5. & lib. 12. cap. 13. quem vnam miter omnes interpretes sequuntur; Scotus loco supra citato, & 7. Metaph. q. 8. atque D. Th. non solum super loca Arist. citata, sed etiam 1. p. q. 46. art. 1. ad 3.

8 Et ratio efficax desumitur ex differentia, quam omnes constituunt inter creationem, & generationem ex vna parte,

& annihilationem, & corruptionem ex alia, quod creatio est productio entis ex nihilo præsupposito; generatio verò est productio entis ex aliquo præsupposito subiecto: item annihilationis est destructio entis, nullo eius subiecto remanente; corruptio autem est destructio entis, remanente aliquo subiecto. Ex hac ergo differentia euidenter colligitur, materiam primam non posse generari, neque corrumpi, sed necessario creari, & annihilari; nam si acciperet esse per generationem, fieret ex aliquo subiecto priori ipsa: (quod est contra rationem primi subiecti, quam, vt propriam, & intrinsecam passionem includit) etsi corrumpere, desineret esse, manente aliquo subiecto ipsa priori; quod est contra rationem primi subiecti, quam (vt dictum est) vt propriam, & intrinsecam passionem includit. Unde optimè intulit Aristot. text. 82. primi Physicorum citati, quod, cū de ratione materiæ primæ sit esse primū subiectum, necessario inferitur, ex eo, quod materia generaretur, materiam esse, antequam fiat; nam necessario deberet præsupponi ad eius generationem: & ex eo, quod corrumpere, necessario inferretur, esse corruptam, antequam corrumpere; siquidem in omni corruptione debet manere primū subiectum, ipsa, scilicet, materia

ria

ria prima. Verba Aristot. sunt: *Incorruptibilem, & ingenitam necesse est, ipsam esse; si enim fiat, subijci aliquid oportet primū, ex quo inexistenti fiat; hoc autem est, ipse natura; quare erit, antequam fiat. Et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimū; quare corrupta erit, antequam corrumpatur.*

9 Ad primam rationem ex adductis incontraarium responderetur, motum denominare suū subiectum eo pacto, quod illius est; & quia motus generationis, aut corruptionis non est subiecti, in quātum generatio, aut corruptio est; (sic enim potius est termini) sed in quātum mutatio est; hinc esse, vt subiectum solum denominet mutari; generari autem, aut corrumpi ipsum terminum.

10 Ad secundam, non esse inconueniens, quod aliquid corruptibile sit perfectius aliquo incorruptibili quoad entitatem, licet non quantū ad durationem: nam homo est corruptibilis, & cælum incorruptibile, & tamen quoad entitatem homo est perfectior cælo, licet non quoad durationem.

11 Ad tertiam propositionem illam, quod potest in maius, & c. esse intelligendam, quando maius, & minus sunt eiusdem rationis in sua productione. Quod in presenti non contingit; nam totum substantiale in sua productione præsupponit subiectum, ex quo fiat:

at materia prima non præsupponit subiectum, ex quo fiat, cum ipsa sit primum subiectum.

12 Ad quartam negamus sequelam: & ad probationem negamus paritatem; nam si totū (v. g. homo) dicitur materiale ex eo, quod vna tantum est materialis scilicet pars corpus, hoc est; quia esse materiale respectu esse immutabile incorruptibile respectu corruptibilis habet rationem boni; & bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.

13 Ad quintam optimè responderet Scotus quæst. 20. citata, regulam illam Philosophi, Propter quod vnumquodque tale, & c. solum esse veram, & intelligendam, quando illud, in quo fit comparatio, competit vtrique comparatorum, scilicet, causæ, & causato, & insuper suscipit magis, & minus: quorum neutrum in presenti reperitur; nam corruptibile non conuenit causæ; scilicet, materiæ, & similiter corruptibile non suscipit magis, & minus: omnia enim

corruptibilia sunt æqualiter corruptibilia.

(S)

QVÆSTIO IX.

An materia prima sit principium corruptibilitatis entis naturalis? An verò forma?

NON est sermo de principio extrinseco corrupticnis entis naturalis; nam certum est id quod docuit Auicena libro I. sufficientiæ cap. 3. scilicet, vnumquodque extrinsecè, seu efficienter corrumpi à suo contrario; id est, ab agente naturali habente qualitates contrarias his, quibus ens naturale, quod corrumpitur, conferuabatur. Sed est sermo de principio intrinseco corruptibilitatis entis naturalis. Cum enim ens naturale subluare ex suis intrinsecis corruptibile sit, & duo sint principia intrinseca cuiuscumque entis naturalis, materia, scilicet, & forma, inquirimus, quodnam ex his principijs intrinsecis sit radix, seu causa istius corruptibilitatis intrinsecæ; materia, scilicet, an forma?

2 Et dicendum est, tam materiam, quam formam vnamquamque in suo genere esse principium, & causam corruptibilitatis intrinsecæ, cui subiacet quodlibet ens naturale subluare. In hac cõclusionem conueniunt omnes; & colligitur ex Arist. nã de for-

ma in hoc libro cap. 3. text. 68. dicit, quòd sui absentia, vel præsentia facit mutationem. Et de materia 7. Met. text. 22. & 29. & de ortu, & interitu cap. 3 docet, esse, & non esse contingere ratione materiæ. Et in hoc libro cap. vltimo dicit, materiam machinari maleficiũ, id est, cõpositi corruptionem.

3 Et ratio est, quia corruptibilitas entis naturalis subluaris, & prouenit à forma; quæ, cum talis naturæ sit, vt nõ satiet totam capacitatem materiæ primæ, amissibilis est: & similiter prouenit à materia prima, quæ, cũ ex se sit in potentia subiectiua ad recipiendas formas, quibus caret, ad easque dicat innatum appetitum, est causa, vt ab extrinseco efficiendi possint in ipsam induci dispositiones requisite ad recipiendam formam, qua caret: & ex consequenti, quòd tam dispositiones præexistentes ipsis, quæ introducuntur, contrariæ, quam formam, quæ ipsis mediantebus conferuabatur, corrumpantur: ergo dicendum est, tam formam, quam materiam, vnamquamque in suo genere, esse principium, & causam corruptibilitatis intrinsecæ, quã participat quodcumque ens naturale subluare.

4 Sed rogabis, quodnam ex his duobus principijs corruptibilitatis intrinsecæ entis natu-

turalis sit primum? Cuius Carmelitanus affirmat, quòd materia, & pro hac sententia citat D. Thom. 2. contra gentes cap. 55. At Ioannes Canonichus hic q. 9. dub. 2. hanc primitatem tribuit formæ. Sed cum in diuerso genere causæ sit forma huius corruptibilitatis principium ab illo, in quo est materia, dicendum existi-

mo, frustra auctores istos laborare; (Comparatio enim solum fieri debet inter ea, quæ sunt eiusdem generis) ac per consequens absolutè vnum ex his principijs nõ esse prius alio respectu corruptibilitatis entis naturalis, cuius sunt principia, & causæ, sed vnumquodque in suo genere, & esse, & appellari alio prius.

DISPVATIO QVARTA.

De alijs duobus principijs rerum naturalium, forma scilicet, & priuatione.

EGIMVS de materia prima, quæ est vnum ex tribus principijs rerum naturalium, agendum restat de alijs duobus, forma scilicet, & priuatione. Et iucipiemus à forma, quia, cum priuatio non cognoscatur, nisi per formam, priuationis cognitio, formæ prærequirit cognitionem. Sunt autem sex, quæ præcipuè de forma, & priuatione solent disputari. Primum. *An sit, & quid sit forma informans substantialis?* Secundum: *Vtrum formæ substantiales educantur de potentia materia?* Tertium: *Vtrum doctrina de educatione formarum de potentia materia extendatur ad formas calorum, & elementorum in prima sua conditione?* Quartum: *Vtrum educantur de potentia subiecti omnes formæ accidentales?* Quintum: *Vtrum plures formæ substantiales possint simul informare eandem numero materiam?* & *virum vna forma plures numero materias?* Sextum: *Quid sit priuatio? & quomodo à materia prima distinguatur?*

QVÆSTIO PRIMA.

An sit? Et quid sit forma informans substantialis?

Plures sunt formæ diuisiones. In primis diuiditur forma in artificialem, & naturalem. Artificialis dicitur, quæ inducitur per artem: naturalis verò, quæ efficitur à natura. Deinde naturalis subdividitur in substantialem, vt est forma ligni, auri, &c. & in accidentalem, vt sunt qualitates, quantitates, &c. Rursus substantialis subdividitur in assistentem, vt est intelligentia mouens cælum; & in informantem, quæ est illa, quæ materiam actuat, & informat. Præterea substantialis informans alia est spiritalis, & est illa, quæ in suo fieri, & conseruari non dependet à materia, vt anima rationalis: alia verò materialis; & est illa, quæ sub se comprehendit formas substantiales, quæ in suo esse, & conseruari dependent à materia; quæ ad quatuor reducuntur gradus. In primo, & omnium imperfectissimo collocantur formæ elementorū. In secundo formæ mistorum non viuentium. In tertio formæ plantarum. In quarto, & omnium perfectissimo, formæ animalium.

2 Præterea ergo quæstio solum procedit (vt titulus quæ-

stionis indigitat) de forma substantiali informante: nam hæc solum est, quæ sortitur rationem principij rerum naturalium, & quæ simul cum materia concurret ad ipsorum intrinsecam, & essentialem constitutionem, potentialitatem, & indifferentiam materiæ primæ per se actuando, & determinando: quæ à Platone, Aristot. alijsque Philosophis penè in numeris nominibus insignita est; appellatur enim *forma*, *actus*, *vnum*, *terminus*, *character*, *ratio*, *species*, *quod quid erat esse*, *exemplar*, *pulchrum*, *mens*, *diuinum*, &c.

3 *Forma*, quia deformatem, & rudicitatem materiæ format, atque concinnat. *Actus*, quia est rei naturalis perfectio, & consumatio. *Vnum*, quia vnitatem affectat, sicut materia multitudinem. *Terminus*, quia limitat, & coercet sub certa natura indifferentiam, & vagam potentiam materiæ primæ. *Character*, quia cuique rei quasi notā imprimi, qua cognosci, & distingui possit à cæteris. *Ratio*, quia ab ipsa præcipue sumitur ratio, hoc est, definitio & essentia rei. *Species*, vel quia est pulchritudo materiæ; vel quia sicut visus vnam quæque rem ex sua specie intuetur, ita

ita mens naturam cuiusque rei ex illius forma cognoscit: *Quod quid erat esse*, quia etsi rerum naturalium quidditas in ea solummodo sita non sit, est tamen inter partes quidditatiuas principalior: *Exemplar*, quia ad similitudinem formæ, quæ continent, nituntur agētia naturalia effectus sibi similes producere: *Pulchrum*, & quia materiam decorat, & quia totius mundi pulchritudo ab ea originem trahit: nam dum partes huius vniuersi separat, distinguit, & ordinat, mira varietate ipsum exornat. *Mens*, quia est adumbrata quædam primi, ac puri actus, diuinæque mentis similitudo. Et ob eandem causam dicitur ab Arist. hic cap. 9. *quiddam diuinum*, & à Platone *diuina scaboles*. De forma ergo substantiali informantē, & quæ omnibus relatis nominibus, pluribusque alijs à Philosophis insignitur, præterea quæstio duo inquirunt. Primum *an sit?* Secundum. *Quid sit?*

4 Circa primum omnes ferè antiqui Philosophi ignorauerunt formas substantiales informantes materiam, & vnum per se cum illa constituentes; vt patet ex his, quæ de eorum opinionibus circa principia rerum naturalium refert Aristot. 1. Metaph. à cap. 3. & 1. huius operis à cap. 2. & 1. de Generatione à cap. 1. & 3. de cælo cap. 7. Existimauerunt e-

nim, totam substantiam rerum naturalium esse materiā, quæ fiebat diuersa entia naturalia ex diuersis ac cidentibus, quæ illi adueniebāt. v. g. qui dicebant, principia rerum naturalium esse infinita corpuscula indiuisibilia, seu atoma, dicebant, huiusmodi corpuscula fieri diuersa entia naturalia pro varietate situs, figuræ, & ordinis. Qui verò ponebant vnum principium, aërem, scilicet, aut ignem, aut aquam, dicebant, hoc principium fieri diuersa entia naturalia ex diuersitate rarefactionis, aut condensationis illi aduenientium.

5 Sed veritas est, dari formas substantiales informantes, quæ sint vnum principium rerum naturalium, & simul cum materia ipsas intrinsecè, & essentialiter componant, potentialitatem materiæ primæ, & indifferentiam per se actuando, & terminando. Hæc est sententia Arist. in numeris in locis; legatur hoc libro cap. 7. tex. 65. & libro 2. cap. 1. tex. 12. item 2. de Ortu, & interitu cap. 9. text. 51. & libro 2. de Anima cap. 1. & 7. Metaph. cap. 4. & libro 12. cap. 2. Nec tamen huius veritatis inuētor fuit Aristot. nam ante ipsum substantialem formam agnouit Plato in Timæo. Imo (vt constat ex Arist. 1. de partibus animalium cap. 1.) ante Platonē non nulli Philosophi formas substan-

triales agnouerunt. Estque iam ita recepta in Philosophia, vt oppositum asserere, non nisi maximæ ignorantix attribui debeat.

6 Ex multis capitibus probari potest hæc veritas. Primò ex compositione; nam (vt suo loco ostendam) res naturales sunt substantiæ compositæ: ergo præter materiam oportet assignare aliam partem cõponentem, quæ sit substantia. Hæc autem est forma; nam, cum omnis compositio fiat ex potentia, & adu, & materia sit potentia, necessarium erit, vt altera pars substantialis cõponens adus sit, & consequenter forma.

7 Secundò ex distinctione: nam, cum materia prima, quæ est in omnibus his corporibus inferioribus, sit ex se vnus speciei, si in ipsis non esset simul forma substantialis, per quam substantialiter, & quidditatiuè differrent, omnes res naturales essent eadem substantialiter, & quidditatiuè, neque differrent genere, vel specie: cuius oppositum ostendit Aristot. in hoc libro text. 24. imò videtur colligi ex illis verbis Genes. 1. *Facientem semen iuxta genus suum, vel secundum speciem suam.*

8 Tertiò ex operationibus; nam singulis rebus naturalibus propriæ, & peculiare operationes conueniunt, vt homini ratiocinari, equo hinni-

re, igni calefacere, &c. Sed huiusmodi operationes oriri nõ possunt à sola materia: (Materia enim nullam vim effectricem habet) ergo à substantiali forma. Nec satisfaceret, qui diceret, proficisci à materia induta accidentibus. Nam inquiri, cur ista accidentia in hac materia potius, quàm in illa, conspiciantur? v. g. cur igni potius calor, quàm frigus competat? Cur aërem leuitas, non grauitas, sequatur? Nam cum huius rei causa ad materiam referri nequeat (quia, cū vna, & eiusdem rationis sit in his rebus sublunariis, eadem his omnibus accidentia permiscuè inessent) planè sequitur, talium accidentium originem ad formam substantialem, vt ad ipsorum fontem referendam esse.

9 Et denique quartò ex generatione. Nam, si nulla est forma substantialis, neque etiam poterit esse generatio. Sequela patet; nam esse non potest generatio, productio accidentium, nam hæc potius est aut alteratio, aut augmentatio, aut latio; neque etiam productio materiæ, quia (vt ex disp. præcedenti quæst. 8. constat) materia est ingenerabilis, & solum produci potest per creationem.

10 Sed dices. Si forma substantialis est in materia vt in subiecto, in quo differt à forma accidentali, quæ etiam est

in

in substantia, tanquam in subiecto? Respondetur, differre in hoc, quòd forma substantialis est in subiecto, non per inhærentiam (quo pacto est forma accidentalis in substantia) sed per informationem.

11 Quòd si iterum roges, cur forma accidentalis dicatur esse in substantia per inhærentiam, forma verò substantialis dicatur esse in materia, non per inhærentiam, sed per informationem? Respondetur, quòd forma accidentalis comparata ad substantiam se habet, vt per accidens adus ad per accidens potentiam, neque ex eis vnum per se resultat, sed per accidens. Ast forma substantialis comparata ad materiam primam se habet, vt per se adus ad per se potentiam, atque vnum per se ex eis resultat. Et per hoc patet, deceptos fuisse Philosophos antiquos, dum existimarent, non dari formas substantiales, sed omnes esse accidentales, eò, quòd omnes fierent ex præsupposito subiecto, & in illo reciperentur.

12 Circa secundum, quod inquiri quæstio, aliqui respõdēt cum Arist. 2. Phys. c. 3. text. 28 *Formam esse rationem quidditatis*, id est, id, in quo cuiusque rei essentia, & quidditas præcipuè consistit, seu quod essentia rei, eiusque diffinitionem absoluit, & ab alijs distinguit. Tamè existimo, Arist. his verbis non

definiisse solam formam substantialem informantem, sed causam formalem in communi, & prout sub se comprehendit omnes formas physicas, tam substantiales, quàm accidentales: siquidem etiam formæ accidentales sunt rationes quidditatum, id est, id, in quo cõpositorum accidentalium essentia, & quidditas præcipuè consistit: imò totaliter, cū subiectum non sit pars quidditatis compositi accidentalis, sicut dictum est, esse materiam respectu quidditatis compositi substantialis.

13 Propter hæc Martinius q. 3. discutendo primò existimat, formam substantialem informantem definitam fuisse ab Arist. libro 2. de Generatione text. 51. his verbis, *Forma est ratio vnus cuiusque substantiæ.* Sed existimo, hanc definitionem non differre à præcedenti; ac per consequens si præcedenti non est definita sola forma substantialis informantis, sed forma in communi, & prout sub se continet, tam formas substantiales, quàm accidentales, ita neque per istam. Et fundamentum est, quia *ly substantiæ* positum in hac definitione non significat substantiam prædicamentalem, (vt existimat Martinius) sed essentiam, seu quidditatem iuxta phrasim Aristotelicam satis vulgarem; sic enim sumpsit

m

no:

nomen *substantia* in definitione tam vniocorum, quam æquiocorum; (vt diximus in Logica in annotationibus ad cap. 1. Categoriarum num. 4.) & in diuisione relationū, quæ fundantur in vnitae, & numero, dum dicit, quod, si vnitae, aut multiplicitas fuerit in substantia, relationes erunt identitatis, aut diuersitatis, vt explicuimus in Logica cap. de ad aliquid disp. 2. q. 1. sect. 1. n. 4. 14. Conimbricenses hic cap. 9. q. 10. art. 1. dicunt, formam substantialem informantem exacte his verbis definiri, *Forma est actus simplex, substantialis, vnum per se cum materia constituens*. Sed præterquam, quod hæc definitio datur per actuale in constitutionem vnius per se, quod non est de ratione formæ substantialis; (Anima enim separata verè est forma substantialis informans, & tamen actu non constituit vnum per se cum materia) superflua sunt particulae illæ, *simplex, substantialis*; nam per illa vltima verba, *vnum per se cum materia constituens*, satis denotatur, formam esse actum simplicem, & substantialem; nam, si esset compositus, aut accidentalis, nullatenus posset vnum per se cum materia constituere.

15. Exactissime mihi videtur definiri formam substantialem informantem verbis illis, quibus loco citato in fine illa definit Martinius, *Forma est actus*

materia vnius per se constitutus. In qua definitione loco generis ponitur *actus*, in quo conuenit forma substantialis informantis, tam cum formis substantialibus assistentibus, quam cum formis accidentalibus informantibus, & differt à materia, cum qua non mirum, quod in genere physico, quale est actus non conueniat; nam (vt ex dictis disp. 3. q. 1. num. 31. constat) materia, & forma in genere physico sunt primò diuersa. Reliquæ verò particulae ponuntur loco differentiae, & per ipsas differt, tam à formis substantialibus assistentibus, quam ab accidentalibus informantibus; quæ non sunt constitutiua vnius per se cum materia, sed substantiales assistentes sunt constitutiua vnius per aggregationem; & accidentales informantes vnius per accidens.

16. Solum aduerto, quod, si cutratio potentiae subiectiua; etsi non sit accidens realiter distinctum à materia prima, non tamen est de eius quidditatiua conceptu, sed est propria illius passio; & consequenter definitio materiae est *primum subiectum, ex quo aliquid fit, &c.* non est quidditatiua, sed descriptiua dicenda; (de quibus latè egimus disp. 3. q. 3.) ita modò affirmandum est, rationem actus informatiui materiae, & constitutiui cum ipsa vnius per se, etsi non sit accidens distinctum

rea;

realiter à forma substantiali informanti, non tamen esse de conceptu quidditatiua illius, sed propriam illius passionem; & consequenter præfatam definitionem non esse quidditatiua rei, quæ est forma substantialis informans, sed solum dei criptiuam.

QVÆSTIO II.

Vtrum formæ substantiales de potentia materiae educantur?

1. **Q**uamuis omnes Philosophi antiqui, qui formas substantiales agnouerunt, existimauerint, illas fieri ex materia illo vetusto axiomate contricti, *ex nihilo nihil fit*; tamen in explicando, quo pacto formæ substantiales dicantur fieri ex materia, varia fuerunt ipsorum placita. Qui enim Anaxagoræ disciplinam secuti sunt, dicebant, formas fieri ex materia; quia in atomis (qui secundum Anaxagoram erant principium materiale omnium rerum naturalium) formæ omnes actu latebant, quovisque vi agentis naturalis hæ, vel illæ apparebant pro diuersitate agentium naturalium, & concursus atomorum.

2. Sed hoc figmentum meritò textu 37. huius libri confutat Arist. Tum, quia è medio tollit generationem, nam generatio non est manifestatio rerum, sed productio. Tum etiam, quia admittit in quoli-

bet composito substantiali actu infinitas formas (nam infinite sunt formæ, quæ possunt ex materia fieri) & infinitas qualitates contrarias ipsas formas conseruantes.

3. E contrario verò alij affirmabant, ante generationem nullo modo præcedere formas in materia, sed solum præcedere in virtute cuiusdã agentis superioris; dici nihilominus fieri ex materia, eò quod illud agens, in cuius virtute erant prædictæ formæ, illas in materiam non inducebat, quoad vsque materia ab agentibus inferioribus disponebatur ad illarum receptionem. Itaque sicut de anima rationali fatemur catholici nullo modo præcedere in materia hominis generationem, sed solum in virtute Dei, qui Deus non producit illam in materia quoad vsque ab homine ad eius receptionem disponatur; ita isti Philosophi philosophabantur de reliquis formis substantialibus. Tribuitur cõmuniter hæc sententia Platonem in Phædone, & Auicena in sua Metaph. tractat. 9. c. 4. & 1. sufficientiæ c. 10. Et sola fuit inter hos Philosophos differentia, quod Plato illud agens superius, in cuius virtute actiua præcedebat hæ formæ, dixit esse ideas, id est (si eum ad mentem interpretatur Arist.) quasdam substantias cõmunes à singularibus separatas. Auicena verò dixit esse quamdam intelligentiam inter ceteras

supremam, quam propterea Colcodem, hoc est, formarum datricem vocavit.

4 Sed etiam figmentum istud merito schola Peripatetica communi reiecit consensu, non solum, quia absque villo fundamento fingit quædam superiora agentia creata, in quorum virtute omnes formæ substantiales præexistant, nobis ignota; imò (vt probat Arist. contra Platonem. 7. Metaph. à text. 17. vsq. ad 3. 2. & D. Th. tam cõtra Platonem, quàm contra Aui-cenam 3. contra gentes c. 69. & 103.) impossibilia; sed etiã quia secũdũ ipsum cogimur fateri, nullam formam substantialem educi de potentia materiæ, neque generari, sed omnes ex nihilo produci, & cõsequenter creari, nõ secus, ac catholici de anima rationali fatemur; quo nihil in Philosophia absurdus.

5. Inter hæc duo figmẽta, quæ reiecimur, mediũ locum tenet vera, & Aristotelica sententia, quæ astruit, formas substantiales informantis ante cuiusque rei ortũ, neque actu existere in materia; (sic enim nihil de nouo generaretur) neque prorsus nõ existere in materia; (Alioquin iã aliquid naturalia agentia ex nihilo producerent) sed esse potestate in materia; & ideò formas substantiales dici fieri ex materia, quia naturalium causarũ efficacitate ex ista potestate, qua sunt in materia, &

secundũ, quã in ipsa cõtinẽtur, ad actũ, perfectionẽque educuntur. Excipitur autẽ ab hac regula mēs, id est, anima rationalis; quæ adhuc potestate nõ cõtinetur in materia; & sic, quando fit à Deo, nõ dicitur fieri ex materia, seu ex eius potestate educi, sed potius fieri ex nihilo, seu creari. Hanc Aristotelicã sententiã secuntur Scotus in 2. d. 18. q. vñc. §. *Contra primũ*, & in 4. d. 1. q. 1. §. *Ideò*, & clariũ 1. Phys. q. 2. 4. §. *Quintra conditio*, & §. *Nunc ponuntur*, D. Th. 1. p. q. 45. art. 8. estque communis & recepta ab omnibus Philosophis, & Theologis.

6 Vt autẽ ipsã declaremus, & probemus, prius explicadũ est, quid sit, formã esse in potẽtia, seu potestate materiæ; & similiter quid sit, formã educi de potẽtia, seu potestate materiæ? Et dico, formã esse in potẽtia, seu potestate materiæ, nihil aliud esse, quã ita posse causari in genere causæ materialis à materia, vt sine eius concursu materiali naturaliter nequeat forma habere esse actuale, seu existẽtiæ, & cõsequẽter, neque in ipso cõseruari. Potẽtia enim materiæ, de qua loquimur, nõ solum est receptiua, sed etiã causatiua, nã & ex ea fit res, & ab ea educitur forma. Educitur autẽ de potẽtia, seu potestate materiæ, nihil aliud esse, quã formã produci in esse actuale, seu existẽtiæ cõcurrente in genere causæ materialis ipsa materia ad ip-

ipsius productionem, & consequenter ad ipsius conseruationem. Et hoc est, quod communiter dici solet, formam educi de potentia materiæ, nihil aliud esse, quàm formam dependere à materia in suo esse, fieri, & conseruari: quod nõ satis enodatum manebat.

7 Ex quibus infero primò, non esse conditionem requisitam ad hoc, vt forma dicatur educi de potentia materiæ, quòd agens, à quo producitur, sit agens creatum; nã ab agente increato (scilicet à Deo) possunt optimè educi formæ ex potẽtia materiæ: imò de facto educuntur, quoties Deus aliquã formã producit concurrente materia ad eius productionem suo materiali concursu; vt de formis calorũ tenet Scotus in 2. d. 17. q. 1. §. *Dimissũ*, litt. B. & idẽ docet de animabus animalium irrationabilium dist. 18. q. vnica, §. *Dico igitur*.

8 Infero secundò, etiam non esse conditionẽ requisitam ad hoc, vt forma dicatur educi de potentia materiæ, quòd subiectũ sit in potentia passiuã naturali ad formã: (vt contendunt Conimbricenses hic cap. 9. q. 12. art. 5. & noster Pitigianus in annotationibus ad quæst. 24. Scoti super 1. Physic. litt. C.) siquidẽ benè stat, quòd subiectũ non sit in potentia passiuã naturali ad formã; & nihilominus, quòd forma producat ab agente cõcurrente in gene-

re causæ materialis ipso subiecto. Et confirmari potest duplici instãtia (eò quòd dupliciter sumi potest ab his auctoribus naturale: primò in ordine ad formam, qua ratione naturale non opponitur supernaturali, sed violento: secundò in ordine ad efficiens; qua ratione naturale non opponitur violento, sed supernaturali, seu artificiali.) Prima calorũ producti in aqua, qui reuera producitur de potentia subiecti, scilicet aquæ (Aliàs fieri per creationẽ) & nihilominus non est in aqua potẽtia passiuã naturalis ad calorem recipiendũ, sumpto naturali per ordinẽ ad formã, & prout opponitur violento. Secunda est animæ irrationalis, quæ potentia Dei absoluta reproduceretur in corpore alicuius animalis mortui, quæ reuera non crearetur, sed educeretur de potentia illius corporis, sicuteducta fuit in prima illius productione; & nihilominus in corpore illo non est potentia passiuã naturalis ad illã animã recipiendã, sumpto naturali per ordinẽ ad agens, & prout opponitur supernaturali, sed solum est potẽtia obediẽtialis.

9 Ex his constat, quàm firma sit Aristotelica sententia, quàm vt veram, & ab omnibus receptam proposuimus. Si enim (vt statutum est) formam esse in potentia, seu potestate materiæ, nihil aliud est, quàm formã ita posse causari

in genere causæ materialis à materia, vt sine eius concursu materiali naturaliter nequeat forma habere esse actuale, seu existentia, neque in ipso conseruari. Educi verò de potentia, seu potestate materiae, nihil aliud est, quàm formam produci in esse actualis existentia, concurrente in genere causæ materialis ipsa materia ad ipsius productionem, & conseruationem: profecto infertur euidenter, omnes formas substantiales (excepta anima rationali) ante cuiuscumque rei ortum esse in potentia, seu potestate materiae, & per cuiuscumque rei ortum educi de potentia materiae: siquidem euidenter est, omnes formas substantiales (anima rationali dempta) ante ortum illarum rerum, quarum sunt formæ, ita posse causari in genere causæ materialis à materia, vt sine eius concursu materiali naturaliter nequeant habere esse actuale, seu existentia, neque in ipso conseruari; & per prædictarum rerum ortum produci in esse actuali, seu existentia, concurrente in genere causæ materialis ipsa materia ad ipsarum productionem.

10 Ex hoc duo possumus colligere. Primum est, optimum esse discrimen, quod ponit Scotus in 2. d. 17. q. 1. & in 4. d. 1. q. 1. §. Ideo conclusione 2. & d. 43. q. 2. litt. N. inter generationem hominis, & generationem

aliorum entium naturalium, nimirum, quòd in generatione aliorum entium naturalium per eandem numero actionem, per quam recipitur, seu vnitur forma materiae, & resultat totum, producitur ipsa forma. At in generatione hominis alia est actio, per quam recipitur, seu vnitur anima corpori, & resultat totum, ab illa, per quam producitur anima.

11 Et ratio est perspicua, nam in generatione aliorum entium naturalium, cum eorum formæ educantur de potentia materiae, necessarium est, quòd eodem concursu materiali, quo concurrat materia ad recipiendam, & vniendam sibi formam, & constituendum simul cum ipsa totum, concurrat etiam ad esse actuale, seu existentia ipsius formæ: (Aliàs talis forma non diceretur educi de eius potentia) ergo nequeunt formæ istæ habere esse actuale, seu existentia ab aliqua actione præuia, & distincta ab illa, qua vniuntur, seu recipiuntur in materia, & resultat totum; nã, si haberent, quomòdò posset materia in illo posteriori signo naturæ, in quo ipsas recipit, & vnitur illis, vt resultat totum, concursu suo materiali ad esse actuale, seu existentia illarum concurrere? At in generatione hominis, cum eius anima non educatur de potentia materiae, necessarium est, vt concursu materiali, quo concurrat ma-

te.

teria, seu corpus ad recipiendam, seu vniendam sibi animam, & constituendum simul cum ipsa totum, non concurrere ad esse actuale, seu existentia ipsius animæ: (Aliàs educeretur de potentia ipsius) sed quòd præsupponatur in priori naturæ producta per aliam actionem distinctam ab illa, qua vnitur, seu recipitur in materia, qualis est creatio, qua à Deo fit ex nullo præsupposito subiecto.

12 Sed obijcies eundem Scotum, qui in 4. d. 13. q. 1. litt. F. in generatione cuiusque entis naturalis videtur posuisse, distincta actione formam produci ab ea, qua vnitur, seu recipitur in materia, & resultat totum; siquidem, qua fit forma, appellat productionem; & qua vnitur, seu recipitur in materia, appellat inductionem, vel educationem. Rursus omnis pars est prior natura suo toto. Sed forma est pars totius substantialis: ergo est prior natura ipso toto substantiali; & consequenter non eadem actione, qua producitur totum, sed alia priori natura producitur.

13 Respondetur Scotum ibi non enumerare diuersas actiones, materialiter sumptas, quæ sunt de quibus nunc loquimur; sed diuersos respectus, scilicet, inducentis ad inductum, educentis ad educatum, & producentis ad productum: qui omnes respectus in vnica, & eadem numero materiali actione re-

periri possunt, & de facto in generatione cuiuscumque entis naturalis (excepto homine) reperiuntur. Rursus ex eo, quòd forma sit prior natura toto, nõ infertur, quòd producatur diuersa, & distincta actione ab illa, qua producitur totum, sed quòd actio, quæ per se tendit ad totum, & per accidens ad formam, prius natura terminetur ad formam, quàm ad totum.

14 Secundum, quod possumus colligere, est, receptionem formæ in materia, & educationem formæ ex potentia materiae non esse omninò idem reputandam: (vt perperam reputat Martinus disp. 2. q. 3.) habet enim se sicut superius & inferius. Licet enim omnis educatio sit receptio, non tamen omnis receptio est educatio: nam anima rationalis recipitur in materia, quando ipsi vnitur; (sunt enim omninò idem vnio, & receptio; vt latè in disp. de cõposito naturali ostendam contra Martinum, qui loco citato *discutiendo* 2. oppositum sustinet: imò ponere separationem inter vnionem substantialem materiae, & formæ, & receptionem formæ in materia, vt ponit hic auctor *discutiendo* 3. iudico imperceptibile) & tamen anima rationalis non educitur de potentia materiae. Et ratio à priori huius doctrinae est, quia ad receptionem formæ, non est necessarium, quòd materia suo concursu materiali con-

currat ad esse actuale, seu existentiae formae, quam in se recipit, sicut dictum est requiri necessarium ad hoc, ut illa forma dicatur de potentia materiae educi; sed fat est, quod concurrat ad effectum formalem eius, qualis est in unione, seu receptione animae in corpore, quod corpus illud sit animatum anima rationali, & consequenter ad totum compositum, quod ex receptione, seu unione formae cum materia coalescit.

QUESTIO III.

An doctrina de educatione formarum de potentia materiae extendatur ad formas caelorum, & elementorum in prima conditione ipsorum?

PRO parte negativa rationes dubitandi sunt. Prima, quia Genes. 1. caelum, & terra dicuntur à Deo creata, *In principio creavit Deus caelum, & terram*: quae verba verificari non possent, si formae caelorum, & terrae essent educatae de potentia materiae in prima ipsorum conditione; nam id, cuius forma educitur de potentia materiae potius dicitur genitum, quam creatum. 2. Secunda; partes per se nascuntur, nec producuntur, sed ad productionem totius componuntur (ut docet Aristot. 7. Metaph. text. 22. & 27. & 8. Metaph. text. 3.) sed caelum, & elementa in prima sui conditione creata sunt: (siquidem

facta sunt ex nihilo eorum praesupposito) ergo formae illorum, non fuerunt educatae, sed creatae ad caelorum, & elementorum creationem.

3. Tertia; ad educationem formae ex potentia materiae per se necessarium est, quod materia praecedat formam in aliquo priori tempore. Sed materia caelorum, & elementorum non praecessit tempore ipsorum formas: ergo praedictae formae non fuerunt educatae de potentia materiae. Maior probatur ex eo, quod educatio per se est transmutatio materiae ex non esse sub forma ad esse sub forma, sed in omni transmutatione necessarium est per se, quod materia praecedat aliqua prioritate temporis formam; nam per se necessarium est, quod extiterit priuata forma, & non potest in eodem instanti temporis simul habere priuationem formae, & ipsam formam, cuius est priuatio, nisi admittendo duos contradictoria simul vera.

4. Propter has rationes dubitandi visum est aliquibus, doctrinam, in quaestione praecedenti de educatione formarum est potentia materiae traditam, non esse extendendam ad formas caelorum, & elementorum in prima ipsorum conditione, sed potius asserendum, formas istas non fuisse educatas de potentia materiae, sed ad creationem totius concreatas. Ita Oña sup. 1. Phys. 2. p. q. 3. art. 4. Et

sc-

seca 5. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 2. Conimbricenses c. 9. q. 12. art. 5. & probabilior reputat Suarez de formis caelorum in Metaph. disp. 15. sect. 2. nu. 17. licet contrarium sustineat de formis elementorum sect. 3. Eandem sententiam tenet Cursus Carmelitani disp. 3. q. 3. & 4. & pro ipsa citant D. Th. 1. p. q. 46. art. 3. in argumento, sed contra, & in solutione ad 2. & q. 65. art. 3. in corpore; estque communis apud Thomistas.

5. Sed his non obstantibus, tenendum est, doctrinam de educatione formarum ex potentia materiae in quaestione praecedenti traditam etiam fore intelligendam de formis caelorum, & elementorum in sua prima conditione. Ita tenet maior recentiorum pars Molina, & Vazq. 1. p. q. 45. art. 1. Rubias trac. 2. de forma, q. 2. n. 13. Placida dis. 5. q. 2. Martinus disp. 2. q. 3. *discutiendo* 6. Caberustract. 1. disp. 4. dub. 2. n. 13. Hurtad. disp. 4. physica sect. 2. Colligiturque ex his, quae docet Scotus in 2. d. 17. q. 1. §. *Dimissa* lit. B. & est expressa sententia D. Aug. n. lib. 13. confessionum c. 33. docet, *Caeli, & terrae materias factas esse ex nihilo, species vero* (id est formas) *in eodem instanti de informi materia fuisse productas.*

6. Et ratio efficax, & à priori est, quia forma educi de potentia materiae (ut ex dictis quaestione praecedenti n. 7. constat) nihil aliud est, quam formam produci in esse actuale, seu exi-

stentiae concurrente in genere causae materialis ipsa materia ad ipsius productionem, & consequenter ad ipsius conservationem. Sed tamen formae caelorum, quae elementorum in prima ipsorum conditione productae sunt à Deo in esse actuale, seu existentiae concurrente in genere causae materialis ipsa materia ad productionem ipsorum, & consequenter ad ipsarum conservationem: ergo negari non potest, tamen formas caelorum, quae elementorum in prima ipsarum conditione educatas fuisse ex potentia materiae. Minor, in qua esse poterat difficultas, inde patet, quia, cum formae caelorum, & elementorum sint formae materiales, & consequenter in suo fieri, esse, & conservari dependentes à concursu materiali materiae, negari non potest, praedictum modum productionis esse praedictis formis magis connaturalem, & consequenter à Deo observatum fuisse in ipsarum productione; qui semper in productione naturali rerum se accommodat modo productionis ipsius magis connaturali.

7. Nec valet, si dicas, educationem formarum ex potentia materiae, praeter hoc, quod est concurrere materiam concursu suo materiali ad productionem ipsarum requiri etiam, quod materia in suo esse actuale, seu existentiae praecedat productionem formarum, ut sic possint formae dici educi de potentia illius:

illius : quod contingere non potest in præfenti, cum in eodem instanti temporis simul producta sint materia, & forma, tam cælorum, quam elementorum. Nam vel loqueris de præcedentia durationis, vel de præcedentia naturæ? Si de præcedentia durationis, volūtariè, & sine fundamento loqueris (vt soluendo vltimam rationem dubitandi ostendā) si verò loqueris de præcedentia naturæ, verum asseris; tamē falsum est, hanc præcedentiam feruari non posse inter existentiam materiæ, & productionem formarum, eò quòd in eodem instanti temporis simul producta sint materiæ, & forma, tam cælorum, quam elementorum; cum in eodem instanti temporis assignari possint plura instātia naturæ. Imò cum prioritas naturæ sit prioritas dependētis eo ipso quòd admittis, formas cælorum, & elementorum pendere in sua productione à concursu materiali materiæ, materiam in suo esse existentis natura præcedere productionem formarum cælorum, & elementorū profiteris.

8 Et cōfirmatur amplius sententia nostra ex destructione fundamenti oppositæ; nam falsum est, in primæua cælorum, aut elementorum conditione vnicam tantum actionem intercessisse, quæ per se terminata sit ad totum cælum,

aut ad totum elementum; ad materiam autem cæli, aut elementi solum per accidens, & concomitanter. Imò potius asserendum est, duas actiones in illo instanti temporis intercessisse, vnam per se solum terminatam ad solam materiam, quæ verè, & propriè dicitur creatio, cum sit productio ex nullo præsupposito subiecto: & alteram, per quam educta est ex materia præexistēte forma cæli, aut elementi, & consequenter per se factum est totum cælum, aut elementum, quæ verè, & propriè non est creatio, sed potiuseductio, cū fiat ex aliquo præsupposito subiecto; quod sic ostendo.

9 Actio illa, qua creata est materia elementalis, talis est, vt vsque nunc eadem perseverat conseruādo ipsam materiam; actio verò terminata ad formam, vel compositum cessauit, quando illud compositum corruptum fuit: ergo signum euidentis est distinctionis realis inter actiones istas. Et confirmatur, quia, si Deus prius tempore crearet materiam elementorum, aut cælorum informē, & postea produceret formas elementorum, aut cælorum dependenter à concursu materiali illius materiæ, nullus negaret, quòd talis productio esset veraeductio realiter, & essentialiter distincta ab actione, qua creata fuit materia: ergo etiam nunc de facto affirmandum

dum est, quòd, etiam si in eodem instanti temporis creata sit materia, & productæ sint formæ cælorum, & elementorum dependenter à cōcursu materiali materiæ, productiones formarum sunt verè educationes realiter, & essentialiter distinctæ ab actionibus, quibus creatae sunt materiæ cælorum, & elementorū: siquidem temporis variatio non potest (si cætera sint paria) essentias prædictarū actionum variare; cum sit circumstantia ipsis extrinseca.

10 Et vrgetur amplius; nam diuersitas realis, & essentialis inter creationem, & educationem desumitur ex eo, quòd terminus productus non dependeat, vel dependeat à cōcursu materiali subiecti: sed terminus productus per productionem materiæ non dependet à concursu materiali alicuius subiecti (est enim materia prima, de cuius ratione est esse primum subiectum) terminus verò productus per productionem formarum cælorum, aut elementorum dependet à concursu materiali ipsius materiæ primæ, nam sunt formæ materiales, quæ in suo esse, fieri, & conseruari naturaliter pendunt à materia: ergo negari non potest, productionem materiæ cælorū, aut elementorum esse creationem; productiones verò formarum ipsorum esse educationes

nes; & consequenter actiones realiter, & essentialiter distinctas. Ruit ergo totum fundamentum oppositæ sententiæ.

11 Pro solutione primæ rationis dubitandi aduertendum est, hoc nomen *creatio* tripliciter vsurpari posse. Primò pro quacumque productione noui esse, siue illa ex nihilo, siue ex aliquo præsupposito fiat. Huius acceptionis meminit Aug. libro de fide, & Simbolo cap. 4. Secundò pro eo, quod factum est ex nihilo, vel saltē pendet ex aliquo, quod factū est ex nihilo. In qua acceptione quælibet res extra Deū dicitur creata, quia vel ex nihilo fit, vt anima, Angeli, & materia prima; vel saltem pendet à materia, quæ ex nihilo facta est, vt substantiæ, & accidentia materialia. Tertio, & magis rigorosè pro eo præcisè, quod factum est ex nihilo sui præsupposito. In qua acceptione secundum Scotum in 3. d. 11. q. 1. §. *Cuiuslibet*. A. solum dicuntur creari materia prima, Angeli, anima rationalis, gratia, & alij habitus supernaturales.

12 Hoc supposito ad primam rationem dubitandi responderetur, quòd, cum Genesis primo dicitur, *in principio creauit Deus cælum, & terram*, ly *creauit* non sumitur strictè & in tertia acceptione, quæ est, in qua nō compatitur, quòd aliquid sit creatum, & quòd eius forma educatur de potētia materiæ; sed

sed sumitur in prima, aut se cūda acceptione; in quarum quavis benè cohæret, quòd id, cuius forma de potentia materiæ educitur, dicatur creari. Et quòd hæc expositio sit cōformis cōtextui, patet, quia in eodem loco dicitur de homine, & de virgultis, & de piscibus. quòd fuerint à Deo creata; & tamen ibi verbum *creare* non potest sumi inextertia, & stricta acceptione, videlicet pro fieri ex nihilo, cum ipsa scriptura dicat, hominem fuisse creatum ex limo terræ; & omnes fatentur, virgulta fuisse facta ex terra, & pisces ex aqua.

13 Ad secundum respondetur ex Scoto in 2. d. 17. quæst. 1. §. *Ad primum* lit. C. illud dicitur Arist. *partes non producuntur per se, sed comproducentur ad productionem compositi*, esse verū, & intelligendum, quādo partes non producuntur alia productione distincta à productione totius; vt contingit in productione cuiuscumque formæ, quæ educitur de potentia materiæ, seu subiecti. Non verò de partibus, quæ producuntur actione aliqua distincta, & præuia ad actionem, qua producitur totum: nā de his partibus verum est dicere per se produci, & non comproduci ad productionem totius; vt patet in anima rationali, quæ, etiam si sit pars hominis, non dicitur comproduci ad pro-

ductionem hominis, sed per se produci, seu creari; eò quòd non producitur productione, qua producitur homo, sed alia productione distincta, & præuia ad hominis productionem. Et hoc idem contingit in materia cuiuscumque compositi materialis. Vndè falluntur aduersarij, cum in minori assument, calos, & elementa in prima sui conditione fuisse facta ex nihilo eorum præsupposito, & consequenter fuisse creata; nā facta sunt ex præsupposita eorum materia.

14 Ad tertium dicimus falsum omnino esse id, quod in ipsa assumitur, scilicet, ad educationem formæ ex potentia materiæ per se esse necessariū, quòd materia præcedat formam in aliquo priori temporis; nam fat est, quòd præcedat in aliquo priori naturæ; quippe (vt disp. 2. q. 2. num. 5. dicebamus) si Deus crearet aliquam materiam in medio ignis vltimatè dispositam ad recipiendam formam ignis, in quam ignis circumstans formam ignis induceret, in eodē instanti temporis, in quo creata est talis materia, prædicta forma ignis verè diceretur educita de potentia illius materiæ; & tamen materia illa non præcederet in aliquo instanti temporis ipsam formam ignis producti, sed solum præcederet in instanti naturæ.

15 Vnde ad probationē nega-

gamusetiam, educationem de potentia materiæ per se esse mutationem; quia per se solū includit (vt ex dictis quæstione præcedenti constat) quòd forma producat in esse actuali, seu existentia; concurrente in genere causæ materialis ipsa materia ad ipsius productionē: quòd autem materia præcedat tempore sub priuatione formæ, & consequenter talis educitio sit mutatio, etsi in omni educatione, quæ naturali modo fit ab agente creato, contingat; tamen hoc est omninò per accidens ad rationē intrinsecā, & essentialē educationis.

16 Sed rogabis, an sicut productio calorum, & elementorū verè, & propriè dicitur educitio, ita verè, & propriè dicenda sit generatio? Respondetur, quòd, etsi plures abstinendum iudicent à nomine generationis, & solum vtendum putent nomine educationis existimantes, rationē mutationis, etsi nō sit intrinseca educationi, esse tamen intrinsecam generationi: nam ex Arist. 1. de Generatione c. 4. generatio est *mutatio huius totius in hoc totum nullo sensibili permanente*. Tamē immeritò; nam (vt docet Scotus in 1. d. 5. q. 2. §. *Idè*, lit. E.) etiam rationi formali generationis extrinseca est ratio mutationis, & solum ei est intrinsecū esse productionem, qua aliquid producitur ex aliquo ipsius præsupposito; vt patet in productione

Diuini Verbi, quæ verè, & propriè est generatio, & tamē non includit rationem mutationis. Diffinitio autem generationis ab Arist. tradita solum competit generationibus, quæ modo naturali fiunt ab agentibus creatis: hæ enim, cum semper præsupponant materiam tempore præcedentē sub priuatione formæ rei generandæ, semper mutationes sunt. Et de his etiam generationibus loquitur Arist. quoties calum in generabile appellat.

QVÆSTIO IV.

Vtrum educantur de potentia subiecti omnes formæ accidentales?

NOtāter dixi de potentia subiecti, & non de potentia materiæ. Tum, quia plura sunt accidentia spiritualia, quæ pro subiecto solum respiciūt, quid spirituale, scilicet, Angelos, vel animam rationalē. Tum etiā, quia verius existimo, accidentia materialia nō subiectari in materia prima, sed in toto composito (vt in libris de Generatione, Deo dante, ostendā) Et quia tria sunt genera accidentiū, quæ dā naturalia, illa scilicet, quæ ab agēte naturali fiūt, vt albedo, frigus, &c. quæ dā supernaturalia, videlicet, quæ solū à Deo, vt agente supernaturali infundūt, vt gratia, fides, spes, &c. & demum quæ dā artificialia, scilicet, quæ per artē inducuntur, vt forma statuæ, do-

domus, &c. de omnibus his generibus singillatim erit agendum, sed prius de naturalibus, & artificialibus; deinde de supernaturalibus.

SECTIO I.

Discutitur questio de accidentibus tam naturalibus, quam artificialibus.

2 **V**T discutiatur questio de accidentibus naturalibus, supponendum est, accidentia naturalia esse in triplici differentia: (si illa in ordine ad subiectum spectemus) nã quædam sunt subiecto connaturalia, illa scilicet, ad quæ recipiẽda inest subiecto ianata propensio, seu inclinatio, vt calor respectu ignis, frigiditas respectu aquæ, &c. Quædam verò sunt subiecto violenta, illa scilicet, quorum receptio est cõtra innatam propensionem, seu inclinationem subiecti, vt calor respectu aquæ, motus sursum respectu grauis, &c. Et demum quædam, quæ neque sunt subiecto connaturalia, neque violenta, sed neutra; quia eorum receptio, neque est secundum innatam subiecti propensionem, seu inclinationem, neque contraria innatæ propensioni, seu inclinationi subiecti, vt species visibiles receptæ in aere.

3 Hoc supposito, si sermo sit de formis accidentalibus natu-

ralibus, quæ sunt subiecto connaturales, fatentur omnes educi de potentia illius; nam & ante ipsarum ortum continentur in potentia naturali passiuarum subiectorum, & in ipsarum ortu, esse actuale, seu existentia ipsarum verè dependet à concursu materiali suorum subiectorum in fieri, esse, & cõseruari; quæ ad summum sunt necessaria ad hoc, vt forma accidentalis verè dicatur educi de potentia sui subiecti.

4 Si verò sermo sit de formis accidentalibus naturalibus, quæ sunt subiecto violentæ, vel neutra, Pitigianus, qui (vt q. 2. num. 8. vidimus) ad educationem formæ de potentia subiecti exigebat, vt conditionem per se requisitam, quod subiectum sit in potentia passiuâ, nõ qualicumque, sed naturali ad formam. sumpto naturali per ordinem ad formam, qua ratione opponitur violento, cõsequenter affirmat, huiusmodi formas de potentia subiecti nõ educi de defectu istius conditionis.

5 At nos, qui cum communi sententia dicebamus, ad educationem formæ de potentia sui subiecti prædictam conditionem non requiri, sed sufficere ad hoc, vt forma dicatur esse in potentia subiecti, ita posse in genere causæ materialis causari ab ipso, vt sine eius influxu materiali naturaliter nequeat forma habere esse actuale,

le seu existentia; & similiter sufficere ad hoc, vt verè dicatur educi ex ista potetia, quod forma producat in suo esse actuali, seu existentia, concurrente in genere causæ materialis ipso subiecto ad ipsius productionem, consequenter dicimus cum communi sententia, huiusmodi formas verè, & propriè educi de potentia sui subiecti.

6 Et præter incõueniens maximum, quod ex opposita sententia sequitur, nimirum, quod prædictæ formæ accidentales ab agente naturali, quod est, à quo producuntur, creantur, ostendi potest à priori. Nã nihil refert, quod formæ accidentales naturales, non sint connaturales subiecto, sed potius violentæ, seu neutrae ad hoc, vt de ipsis verè affirmari possit, ita posse in genere causæ materialis causari ab ipso, vt sine eius influxu materiali naturaliter nequeant habere esse actuale, seu existentia, & similiter produci in suo esse naturali, seu existentia cõcurrente in genere causæ materialis ipso subiecto ad ipsarum productionem: ergo similiter nihil referre poterit, quod istæ formæ accidentales non sint connaturales subiecto, sed potius violentæ, seu neutrae ad hoc, vt de ipsis verè affirmari possit, & esse in potetia sui subiecti ante ipsarum ortum, & educi ex prædicta potetia sub-

iecti, quando in suo esse producantur.

7 De formis autem accidentalibus artificialibus non solum Pitigianus, sed etiam Conimbricenses, cum susineant, (locis quæst. 2. num. 8. citatis) ad educationem formarum de potentia materiæ, vel subiecti esse cõditionem per se requisitã, quod præcesserint in potentia materiæ, vel subiecti, nõ qualicumque, sed naturali, sumpto naturali per ordinem ad agens, & prout distinguitur, tam a supernaturali, quàm ab artificiali. consequenter docent, non educi de potentia subiecti defectu huius cõditionis.

8 Tamen iam loco citato contra hos auctores ostendi, ad educationem formæ ex potetia materiæ, vel subiecti hãc conditionem non esse per se requisitã, tum ratione à priori; tunc etiam instantia animæ irrationalis, quæ per potetia Dei absolutam reproducere in corpore alicuius animalis mortui. Et nunc cõfirmari potest ex incõuenienti maximo, quod ex istorum sententia sequeretur, nimirum, quod formæ accidentales artificiales ab artifice creato, quod est, à quo producuntur, crearentur.

9 Nihilominus asserendum iudico, formas accidentales artificiales primò, & per se nõ educi de potentia subiecti, sed

S E C T I O II.

coneduci, non secus ac dicuntur coneduci de potentia materiae, vel subiecti passiones, vel relationes, quae consequuntur ad formam, quae educitur de potentia materiae, vel subiecti; & concreari passiones, vel relationes, quae secuntur ad formam, quae creatur.

10 Ducor ad hoc asserendum, quia existimo, formam artificialem (quae nihil aliud est, quam quaedam figura, quae sequitur ad extensionem partium quantitativarum, ut dicunt ordinem actualem ad locum; & ut docet Scotus in 4. d. 12. q. 3. lit. F. ultra quantitatem non dicit, nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum claudentium partium) primo, & per se non produci, sed resultare ex varia incisione, aut compositione quantitatis ad modum, quo relationes resultant expositione extremorum. Neque ad hoc est necessarium, quod praedictae formae artificiales primo, & per se praecesserint in potentia materiali subiecti: sed sufficit, quod in hac potentia praecesserint incisio, & compositio partium quantitativarum, quae sunt formae, ad quarum productionem secuntur

formae artificiales.

Discutitur questio de accidentibus supernaturalibus quoad substantiam.

11 **C**VM accidentia supernaturalia, quoad substantiam, & entitatem suam sint in duplici differentia; nam quaedam sunt simpliciter talia, eoque quod natura sua postulant solum posse produci a Deo, ut agente supernaturali, ut sunt omnes habitus supernaturales, & per se infusi, gratia, scilicet, fides, spes, &c. alia vero, & si sint supernaturalia etiam quoad substantiam, & intrinsecam entitatem suam (ut late ostendimus, & ex mente Scoti in materia de gratia, disp. 3. q. 4. esse omnes actus, tam intellectus, quam voluntatis elicitos a virtutibus supernaturalibus, & per se infusis) non tamen dicuntur simpliciter talia, sicut dicuntur habitus, a quibus eliciuntur, eoque quod natura sua petunt produci ab intellectu, vel voluntate, licet non ex solis viribus suis, sed eleuatis per habitus per se infusos supernaturales, vel per auxilium supernaturale, & speciale supplet absentiam habitus; ad notandum est, in praesenti sect. solum esse sermonem de accidentibus supernaturalibus prioris ordinis, ut sunt gratia, caeterique habitus supernaturales; nam de accidentibus supernaturalibus

bus posterioris ordinis, ut sunt actus virtutum supernaturalium, & per se infusorum fidei, spei, charitatis, &c. fatetur omnes non creari, sed educi de potentia subiecti.

12 Loquendo ergo de accidentibus simpliciter supernaturalibus, quoad substantiam, & intrinsecam entitatem suam, ut sunt gratia, caeterique habitus per se infusi. Prima sententia asserit proprie loquendo, neque creari, neque de potentia subiecti educi, sed concreari. Ita Paludanus in 4. d. 1. q. 1. & Soto d. 1. q. 3. art. 1. & libro 2. de Natura, & gratia cap. 9. Et fundamētum eorum est, quia fieri est via ad esse: ergo illud proprie fit, quod proprie habet esse. Sed gratia, cum sit accidens (Et idem est iudicium de alijs habitibus) non habet proprie esse: (Accidens enim, ut docet Arist. 7. Metaph. & 12. text. 3. non est ens, sed entis ens) ergo neque proprie dicitur creari, sed concreari. Hoc modo loquendi utitur etiam D. Th. q. 27. de veritate art. 3. ad 9. & 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3.

13 Secunda sententia docet, gratiam, & caeteros habitus supernaturales, nec creari, nec concreari, sed verè, & proprie educi de potentia sui subiecti, Angeli scilicet, vel animae rationalis. Ita Medina, & alij Expósitores D. Th. super 1. 2. q. 112. art. 1. Valencia disput. 8. q. 4. puncto 2. Lorca disput.

24. de Gratia, Caietanus 3. p. q. 62. art. 1. & 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. Vazq. 1. p. disp. 174. c. 2. Suarez tomo 3. ad 3. part. disp. 9. sect. 1. & libr. 8. de causis habitualis gratiae, cap. 2. qui pro eadem sententia citat D. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. (Sed non rectè, quia ibi non dicit D. Th. gratiam non creari, ut refert Suarez. Sed potius dicit contrarium, scilicet, gratiam creari) & q. 113. art. 9. vbi affirmat, creationem in hoc excedere iustificationem, quia est ex nihilo: & 1. p. q. 45. art. 4. vbi dicit, creari esse proprie rerum subsistentium; & ponderat etiam Suar. ad hoc propositum, quod cum D. Th. doceat 1. p. q. 45. & saepe alibi, creaturam non posse esse instrumentum creationis, nihilominus 3. p. q. 62. art. 1. & in 4. d. 1. q. 1. ad 4. fatetur, creaturam posse esse instrumentum productionis gratiae, supponens, ut certum productionem gratiae non esse creationem.

14 Fundamētum horum auctorum est, quia educi formam de potentia materiae, vel subiecti (ut ex supra dictis patet) nihil aliud est, quam formam produci in suo esse actuali, seu existentiae dependenter a concursu materiali materiae, vel subiecti. Sed gratia, & caeteri habitus supernaturales natura sua postulant produci in suo esse actuali, seu existentiae dependenter a concursu materiali sui subiecti: ergo gratia,

& cæteri habitus supernaturales natura sua postulant educi de potentia sui subiecti, & cōsequenter de facto ita producantur; quia non est credibile aliter de facto Deum producere habitus supernaturales, ac natura sua exigunt produci. Minorem huius discursus probant; quia gratia, & cæteri habitus supernaturales sunt essentialiter accidentia, quibus proprium, & connaturale est inherere, id est, dependere in suo esse, & consequenter in sua productione, & conseruatione à concursu materiali subiecti; hoc enim significat inherencia, id est, dependentiam realem in essendo à concursu materiali subiecti.

15 Confirmant insuper; quia creatio est productio entis simpliciter, & non entis secundum quid, id est, productio entis ex non ente, & non productio totalis entis ex ente non tali. Sed, cum fit aliqua forma accidentalis, quæ eò ipso existere non potest, nisi in aliquo subiecto, non producit ens simpliciter, sed ens secundum quid, id est, non producit ens secundum se totum, sed secundum esse tale, videlicet, fit homo iustus ex homine iniusto, vel fit lignum calidum ex ligno frigidum: ergo huiusmodi productio non est creatio.

16 Ex dictis duo inferunt auctores huius sententiæ. Primum est, in productione gra-

tia, seu alterius habitus supernaturalis non esse distinguendas duas actiones, vnam, per quam accipiant esse; & aliam, per quam accipiant inesse, seu informare subiectum: sed per eandem actionem, per quam accipiunt esse, accipere etiam inesse, seu informare subiectum, non secus, ac supra quæst. 2. num. 10. ex mente Scoti in vniuersum de omni forma materiali, & quæ verè educitur de potentia materiæ philosophabamur.

17 Secundum est, gratiam, & quemcumque alium habitum supernaturalem non prius natura existere, quàm inherere, nec prius natura fieri, quàm vniatur animæ. Quod etiam intulit Scotus in 4. d. 1. q. 1. §. *Idèd*, conclusionem 2. loquens de formis materialibus, quæ educuntur de potentia materiæ. Et ratio est, quia habitus isti supernaturales, vel quæcumque alia forma, quæ educitur de potentia materiæ, vel subiecti, non potest prius natura esse, quàm fiat (vt de se patet) nec similiter potest prius natura fieri ab efficiente, quàm à subiecto, vel materia causetur: nec denique potest prius natura à subiecto, vel materia causari, quàm illi vniatur, seu in illo recipiatur: ergo de primo ad vltimum non poterit prius natura esse, quàm insit subiecto, seu illi vniatur.

18 Tertia sententia verior, & à nobis tenenda affirmat, gratiam, cæterosque habitus supernaturales non educi de potentia subiectorum, in quibus recipiuntur, sed fieri per creationem, non secus, ac fit anima rationalis. Hæc est sententia inter antiquos scholasticos recepta, & sic vt certam ipsam præsupponit Scotus, vbi cumque de hac re loquitur. Legatur in 1. d. 17. quæst. 2. §. *Ad primam quæstionem* litteris CC. & quæst. 3. §. *Sexto*, præcipuè in solutione ad 3. & in 3. d. 11. quæst. 1. §. *Cui*, littera A. & in 4. d. 1. quæst. 5. §. *Contra istam opinionem*, & §. *Ad primam ergo quæstionem*. Tenent ipsam noster Alexander Arelensis 2. part. quæst. 9. memb. 8. & 3. part. quæst. 69. art. 2. noster D. Bonauentura in 2. d. 26. quæst. 4. noster Ricardus ibidem artic. 1. Henrichus quodlib. 4. quæst. 37. noster OKam in 4. d. 1. Gabriel ibidem q. 1. art. 2. conclusionem 3. & eadem distinctione, D. Albertus Magnus, & Durandus, atque omnes Scoti sectatores.

19 Imò plures existimant fuisse Angelici Doctoris in 1. sentent. d. 14. quæst. 3. & de potentia quæst. 3. artic. 8. vbi in solutione ad 3. dicit, quòd productio gratiæ magis accedit ad rationem creationis; & in solutione ad 5. dicit, quòd gratia non educitur de subiecto. Nec leuis coniectu-

ra est ad credendum hanc fuisse sententiam D. Thom. quòd ad illud argumentum, quod contra illum fieri solet ad probandum, sacramenta non esse instrumenta physica gratiæ (*Nulla creatura potest assumi, vt instrumentum physicum ad creandum. Sed gratia creatur: ergo sacramenta non sunt instrumenta physica gratiæ.*) Non respondet negando minorem (vt faciunt recentiores, qui existimant, gratiam educi de potentia subiecti) sed in 4. d. 1. quæst. 1. artic. 4. recurrit ad quamdam dispositionem præuiam dicens, sacramenta non efficere immediatè gratiam, sed efficere quamdam dispositionem, quæ dicitur *character*, seu *ornatus animæ*, ad quam postea sequitur gratia. Vnde tanquam D. Thom. amplectuntur hanc sententiam ex discipulis eius Conradus 1. 2. q. 112. artic. 1. Ferrara 4. contra gentes cap. 57. & Petrus de Ledesma 1. par. quæst. 4. artic. 1.

20 Rationem pro ista sententia apud Scotum nullam inuenio; nam (vt prænotabam) locis citatis non tam ipsam probat, quàm vt certam supponit. Sectatores tamen ipsius ipsam probant ex scriptura, in qua homo iustus cum iustificatur, dicitur creati. Sic Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus; & ad Ephesios 2. creati in operibus bonis; & cap. 4. Induite nouum*

hominem, qui secundum Deum creatus est.

21 Sed certè ex scriptura nullum potest de sumi efficax argumentum. Sicut enim in locis adductis homo iustus dicitur creari; ita & in alijs scripturæ locis dicitur generari 1. ad Chorint. 4. *Pereuangelii ego vos genui,* & 1. Petri 2. *sicut modo geniti infantes,* & cap. 1. *regerauerit nos in spem viuam,* & ad Titum 3. *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Quare existimo verbum *creare* in prædictis locis scripturæ nihil ampliùs sonare, quàm verbum *facere*. Et in secundo loco ex citatis videtur id in omnium sententia esse necessarium asserere; nam compertum apud omnes est, bona opera, quæ à nobis fiunt, nō fieri à nobis per creationem; & tamen de ipsis dicitur, *creati in operibus bonis.* Præterquàm quòd dicere, possunt aduersarij id, quod docet D. Tho. 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. scilicet, per verba illa *creare* solum denotare scripturam, gratiam fieri in nobis ex nihilo morali præsupposito, id est, ex nullo merito præsupposito ex parte nostra: quòd sumi potest ex D. Aug. libro de gratia, & libero arbitrio c. 8. & in Psalimum 144. circa illa verba, *Et iustitia tua exultabunt.*

21 Probanda est ergo sententia nostra rationibus: & quãuis recentiores sectatores Scoti, scilicet, Faber in 4. disp. 2,

capit. 3. & Iribarne disput. 4. sect. 2. plures adducant, vna solum videtur mihi habere vim (quam etiam tradidit D. Tho. loco primi sententiarum supra relato) videlicet, quia gratia, & cæteri habitus supernaturales eleuant animam supra totum esse naturæ: ergo repugnat contineri in virtute, seu potestate adhuc materiali ipsius naturæ; & consequenter non poterunt educi de potentia subiecti, quod sit ens naturale: siquidem educi, idem est, ac extra subiectum duci, hoc est, fieri in actu, quod præerat in potentia, seu virtute subiecti.

22 Et confirmatur, quia (vt catholica sententia fert) non potest dari dispositio ad gratiam, cæterosque habitus supernaturales, quantumvis remota sit, ordinis naturalis, ob eximiam excellentiam gratiæ, & cæterorum habituum supernaturalium: ergo multò minus poterit dari subiectum ordinis naturalis, ex cuius potentia, seu virtute gratia, & cæteri habitus supernaturales educantur. Patet consequentia; nam maiori dependentia pendet forma à subiecto materiali, ex quo educitur, quàm à dispositione, qua disponitur subiectum, vt ab ipso sic disposito educatur.

23 Vrgetur ampliùs, nam omnes fatentur, animam rationalem non posse educi de

po-

potentia corporis, etiam si in ipso recipiatur, non alia ratione, nisi quia, cum sit quid spirituale, & omne spirituale excedat quodcumque corporale, repugnat, quòd in potentia, seu virtute, adhuc materiali, alicuius corporalis contineatur: ergo propter eandem rationem fatendum est, gratiam, & cæteros habitus supernaturales, etiam si recipiantur in anima, & ipsi vniantur, non posse educi de ipsius animæ potentia; quia, cum non minus excedat supernaturale naturale, quàm spirituale corporale, non minus repugnabit, gratiam, & cæteros habitus supernaturales contineri in potentia, seu virtute naturali primæ, ac repugnat, animam rationalem contineri in potentia; seu virtute materiali corporis.

24 Nec refert, quod aliqui respondent, scilicet, ex eo, quòd gratia, & cæteri habitus supernaturales eleuent animam supra totum esse naturæ, probari optimè non posse gratiam, & cæteros habitus supernaturales contineri in potentia, seu virtute passiuâ naturali animæ; secus verò non posse contineri in potentia, seu virtute passiuâ obedientiali. Istorum, inquam, responsio non obstat; nam ratio facta absolutè probat, habitus supernaturales non posse contineri in potentia, seu virtu-

te materiali animæ; siue istam virtutem, seu potentiam materialem compares ad agens naturale, & ideò illam naturalem appelles; siue illam ad agens supernaturale referas, ideoque istam obedientialem nomines. Denominationes enim istæ potentie passiuæ, seu materialis, scilicet, *naturalis,* & *obedientialis,* supponunt necessariò, formam contineri in virtute, seu potentia materiali subiecti, & in hoc conueniunt, solumque inter se differunt penes hoc, quòd potentia passiuâ naturalis respicit agens naturale, à quo reducatur in actum: at obedientialis non respicit agens naturale, sed supernaturale, vel artificiale.

25 Dices: secundum Scotum q. 1. prologi, §. *Ad quaestionem,* & in 4. d. 43. q. 4. §. *Intelligendum est,* animæ rationali inest potentia passiuâ naturalis, sumpto naturali in ordine ad formam, & prout opponitur violento, ad omnes formas, quæ possunt ipsam perficere, etiam si sint supernaturales, vt sunt visio, & fructio beatifica, & similiter habitus supernaturales gratiæ, fidei, spei, &c. ergo ex mente Scoti formæ supernaturales non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiã, vt sunt habitus gratiæ, fidei, spei, &c. continentur in potentia, & virtute passiuâ animæ; &

consequenter, quando producuntur in anima, educuntur ex tali potentia, & non fiunt per creationem.

26 Ad hanc obiectionem (quæ, si quid probaret, probaret etiam, animam rationalem non creari, sed educi de potentia corporis; siquidem in omnium sententia inest corpori potentia passiva naturalis, sumpto naturali in ordine ad formam, & prout opponitur violento, respectu animæ rationalis) facile respondetur, potentiam passivam naturalem in ordine ad formam esse duplicem; nam alia est potentia passiva naturalis respectu productionis formæ; & alia solum respectu receptionis; ut manifestè constat in materia prima, cui respectu formarum materialium inest potentia passiva naturalis non solum ad ipsarum receptionem, sed etiã ad productionem ipsarum; at respectu animæ rationalis solum inest potentia passiva ad illius receptionem. Cum ergo Scotus concedit in anima potentiam passivam naturalem respectu gratiæ, & aliorum habituum supernaturalium, loquitur de potentia passiva naturali respectu receptionis; nõ verò respectu productionis; quæ potentia non sufficit ad hoc, ut prædicti habitus dicantur educi de potentia animæ; sicut nec sufficit ad hoc, ut anima rationalis dicatur educi de

potentia materiæ, seu corporis. Et in hoc differunt prædicti habitus supernaturales ab actibus supernaturalibus, ut sunt visio, & fructio beatificæ, quòd respectu istorum in anima non solum est potentia passiva naturalis quoad receptionem, sed etiam quoad productionem; & sic actus educuntur de potentia subiecti, & non fiunt per creationem.

27 Consequenter ad hanc doctrinam dicendum est primò id, quod expressè docuit Scotus q. 3. distinctionis 17. primi sentent. §. Sexto in solutione tertij argumenti, scilicet, quòd sicut in generatione hominis assignamus duplicem actionem; vnam, per quam anima producitur ex nihilo, quæ dicitur creatio; & aliam, per quam vnitur, seu recipitur in corpore, quæ dicitur generatio; ita in hominis iustificatione. (Idem est iudicium de infusione cuiuscumque habitus supernaturalis) duplicem actionem fore distinguendam; vnam, per quam forma iustificatiua producitur ex nihilo, quæ dicitur creatio, & per se terminatur ad ipsũ esse (actuale, seu existentia) gratiæ; & aliam, per quam eadem gratia infunditur animæ, seu inhæret, & recipitur in illa; quæ non dicitur creatio, sed generatio hominis in esse iusti. Porro distingui has actiones probat Scotus, quia habent diuersos

terminos, quippè creatio gratiæ est à non esse gratiæ ad esse ipsius; iustificatio verò, seu vnitio gratiæ est à subiecto nõ grato ad esse gratum.

28 Neque obstat, quòd nullus habituum istorum supernaturalium est ens subsistens; nam ad terminandum per se quamcumque productionem (siue creatiua, siue generatiua sit) non requiritur ens subsistens, sed sufficit, quòd sit ens existens; aliàs accidens separatum à subiecto non posset à Deo produci; nam talis productio necessariò deberet esse creatio, cum non fiat ex præsupposito subiecto; & tamen accidentia non solum non subsistunt, sed etiam sunt incapacia subsistentiæ, tam propriæ, quàm alienæ. Imò in probabiliori sententia, quæ negat, dari subsistências partiales, quæque infra disp. vltima amplectemur, anima subsistit propria subsistenciã; & tamen secundum omnes est terminus actionis creatiue. Vnde decipitur Faber in 4. sentent. loco supra citato, dum dicit, gratiam eadem actione creari, & vniri subiecto. Hoc enim, & est expressè contra Scotum, & contra rationem illius.

29 Secundò dicendum est, quòd licet in eodem temporis instanti, in quo existunt gratia, & alij habitus supernaturales, inhæreant animæ, seu potentijs eius; prius tamen natu-

ra existunt, quàm inhæreant; non secus, ac de anima rationali fatentur omnes, etiam si in eodem instanti temporis existat, & informet corpus; prius tamen natura existere, quàm informare corpus.

30 Neque obstat, quòd ablata inhærentia gratiæ, & aliorum habituum supernaturalium ab anima, vel ab illius potentijs, gratia, & alij habitus supernaturales petant naturaliter annihilari; at ablata informatione, quam anima exercet circa corpus, anima non petit annihilari, sed permanere. Nam hæc differentia prouenit, non ex eo, quòd anima prius natura existat, & fiat, quàm informet corpus; habitus verò supernaturales non prius natura existant, & fiant, quàm inhæreant; sed quia anima præter hoc, quod est, informare corpus, habet natura sua alia munera, quæ separatè potest exercere, ut intelligere, & velle; & sic natura sua non postulat, ut ablata informatione annihiletur, cū adhuc separata non maneat in rerum natura otiosa. At habitus supernaturales, cum nullum aliud munus exercere possint, quàm informare per inhærentiam animam, seu eius potentias, & simul cum illis concurrere ad actus supernaturales, hinc oritur, quòd, sublata inhærentia, natura sua petant annihilari; quia separati

rati à subiectis manent in re-
rum natura otiosi, cum ali-
quod munus exercere non pos-
sint.

31. Neque Paludanus, & So-
tus pro prima sententia citati
in re differunt à sententia Sco-
ti, sed solum differunt in mo-
do loquendi. Fatentur enim,
gratiam, & ceteros habitus su-
pernaturales non educi de po-
tentia subiecti, sed creati: sed
quia hi habitus supernatura-
les accidentia sunt, & nullum
accidens est ens simpliciter,
sed ens secundum quid, id est,
non est ens ordinatum ad ef-
fendum per se, sed ad effendum
in alio (propter quod ab Arist.
non appellatur absolute ens,
sed entis ens) ideò dicunt hi
auctores, non tam creati, quam
concreari. Qui modus loquē-
di nobis maximopere displicet;
nam semel admisso, quòd
habitus supernaturales non e-
ducantur de potentia subie-
cti, sed quòd per creationem
fiant, (sicut admittunt aucto-
res isti) necessariò fatendum
est id, quod numer. 27. cum
Scoto inferebamus, scilicet,
in infusione horum habituum
dari duplicem actionem, vnā
per se terminatam ad existen-
tiam horum habituum, quæ
verè, & propriè dicitur crea-
tio; & aliam, per quam huius-
modi habitus vniuntur, seu re-
cipiuntur in ipsorum subiectis,
quæ non est creatio, sed gene-
ratio hominis in esse fidelis, in

sti, &c. Nam si per eandem ac-
tionem, qua isti habitus reci-
piuntur in subiecto, & conse-
quenter resultat, hominem ef-
se fidelem, gratum, &c. com-
producerentur, verè educerē-
tur de potentia subiecti, nec di-
eendum foret, hos habitus cō-
creari, sed congenerari; nam
actio, qua vniuntur, seu reci-
piuntur in subiecto, & per quā
resultat, hominem esse fidelē,
iustum, &c. non est creatio, sed
potius generatio.

32. Ad fundamentum secun-
dæ sententiæ negamus mino-
rem, scilicet, habitus superna-
turales ex natura sua exigere
produci in suo esse actuali, seu
existentiæ dependenter à con-
cursu materiali sui subiecti,
imò existimamus hoc ipsis re-
pugnare. Ad probationem fa-
temur, habitus supernaturales
essentialiter esse accidentia, &
consequenter esse illis conna-
turale inherere suis subiectis,
ac per consequens de facto in-
herere. Sed negamus (& in
hoc consistit aduersariorum
deceptio) omnem inheren-
tiam consistere independen-
tia accidentis quoad suum ef-
fense actuale, seu existentia à cō-
cursu materiali subiecti; nam
aliqua est inherentia accidē-
tium, quæ solum consistit in de-
pendentia accidentis à cōcur-
su materiali subiecti, non quo-
ad suum esse actuale, seu exi-
stentiæ recipiendum; sed quo-
ad suum effectum formalem

exer-

exercendum in subiecto, vide-
licet, inherentia gratiæ, & alio-
rum habituum supernatura-
lium, de quibus loquimur.

33. Neq; hoc mirum appare-
re debet; nam sicut inter for-
mas substantiales, quæ reci-
piuntur in materia, distinguit
communis, & recepta senten-
tia duplex genus receptionis,
vnum consistens in dependen-
tia formæ substantialis à con-
cursu materiali materiæ, non
solum quoad suum effectum
formalem exercendum in ma-
teria, sed etiam quoad suum
esse actuale, seu existentia re-
cipiendum, scilicet, genus re-
ceptionis, quo recipiuntur in
materia omnes formæ mate-
riales, quæ ex illius educuntur
potentia; & aliud consistens in
dependentia formæ à concur-
su materiali materiæ, non quo-
ad suum esse actuale, seu exi-
stentiæ recipiendum, sed quo-
ad suum effectum formalem
exercendum in materia, scili-
cet, genus receptionis, quo re-
cipitur in materia, seu corpo-
re anima rationalis. Cur au-
tem inter formas accidenta-
les non poterit etiam distingui
duplex genus receptionis, seu
inherentia in subiecto? Vnum
consistens in dependentia for-
mæ accidentalis à concursu
materiali subiecti, non solum
quoad suum effectum forma-
lem exercendum in subiecto,
sed etiam quoad suum esse actua-
le, seu existentia accipiendū,

scilicet, genus receptionis, seu
inherentia, quo recipiuntur,
seu inherēt in subiecto omnes
formæ accidentales, quæ de po-
tētia subiecti educuntur: & aliud
consistens in dependentia for-
mæ accidentalis à cōcursu ma-
teriali subiecti, non quoad suū
esse actuale, seu existentia reci-
piendum, sed quoad suū effe-
ctum formalem exercendū in
subiecto, scilicet, genus recep-
tionis, seu inherentia, quo re-
cipiuntur, seu inherēt in ani-
ma gratia, & ceteri habitus su-
pernaturales, qui non educun-
tur de potentia subiecti, sed
creantur?

34. Ad confirmationē conce-
ssa maiori negamus minorem;
nam (vt nu. 27. dicebamus) in
iustificatione hominis, seu in-
fusione cuiuscumque habitus
supernaturalis duæ actiones cō-
siderantur; vna, per quam pro-
ducitur habitus, & alia, per quā
coniungitur, seu recipitur, &
inheret in subiecto: & licet
per hanc secundam non pro-
ducatur ens simpliciter, sed se-
cundū quid, scilicet, homo ius-
tus ex homine non iusto; & ho-
mo fidelis ex homine non fide-
li, &c. tamen per primam fit
ens simpliciter, id est, secundū
se totum; siquidem fit gratia,
ex non gratia, aut fides habi-
tuali, &c.

(.s.)

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Utrū plures formæ substantiales possint simul informare eadē numero materiam? & vna forma plures numero materias?

Consultò dixi *substantiales*; nam, si de formis accidentalibus sit sermo, experientia constat, adhuc naturaliter, & de potentia ordinaria plures formas simul actu informare idem numero subiectum: in lacte enim sensibus experimur simul actu inhærere quantitatem, dulcedinem, albedinem, &c. & consequenter ab ipsis informari. At de formis substantialibus maior est dubitandi ratio. Tum, quia per experientiam potius nobis constat oppositum, scilicet, vnicam numero materiam, etsi pluribus informetur formis, sed nō simul, sed successiuè; nam ad introductionem vnus annexa semper est corruptio, seu separatio alterius. Tum etiam, quia formæ accidentales non tribuunt subiecto esse simpliciter, seu substantiale, sicut tribuunt formæ substantiales materię primæ, sed solum ei tribuunt esse secundū quid, seu accidentale; & quamuis sit certum posse idem subiectum simul plura esse secundū quid, seu accidentalia habere; tamē maximum dubium est, an possit eadē materia simul plura

esse simpliciter, seu substantialia recipere.

2. Sed quia formæ substantiales, de quibus dubitari potest, an possint plures simul informare eandem numero materiam, in duplici sunt differētia; nam quædam sunt inter se subordinatæ, neque æquè primò materiæ afficiunt, sed vna mediante alia: (Qua ratione dixit Scotus in 4. d. 11. q. 3. art. 2. se habere in corporibus animatis formam misti, seu corporeitatis, & animam) quædam verò sunt disparatæ, & non habentes inter se dictam subordinationem, sed potius vnaquæque primò, & immediatè afficit materiam; vt sunt forma ignis, & forma ignis, &c. præsuppono, in præsentis solum esse sermōnem de formis disparatis, & quæ nullam inter se habent subordinationem, sed æquè primò materiam afficiunt. Nam, vt in corporibus animatis dicto dentur duæ formæ subordinatæ, scilicet, anima, & forma misti, seu corporeitatis? Diuersa difficultas est in libris de ortu, & interitu examinanda.

3. Et quidem, si loquamur de potentia ordinata, consentiunt omnes, naturaliter, & secundū potentiam ordinatam nō posse plures formas substantiales eandem numero materiam simul informare; idque manifestè ostendit experientia, qua ex-

experimur, numquā eandem numero materiam simul duabus formis substantialibus æquè primò informari, quin potius ad introductionem vnus semper, & indefectibiliter præexistētem corrumpi. Si enim naturæ vires efficere possent, vt eadem numero materia à duabus formis substantialibus æquè primò informaretur, vel præstarent aliquando; vel sanè otiosæ remaneret.

4. Loquendo verò de potentia Dei absolutā, & quod supernaturaliter est, non potest, licet inter auctores; nam quidam substinēt, de potentia absolutā contingere posse, vt eadem numero materia à pluribus formis substantialibus æquè primò materiā afficientibus simul informetur. Ita Gregorius in 1. d. 12. quæst. 3. art. 2. Paludanus in 3. d. 15. q. 2. Fonseca. Metaph. cap. 4. q. 4. secundum ar. 1. to. Metaph. disp. 10. nu. 60. & ex recētis Rubius tract. 4. de forma q. 7. Plaça disp. 5. q. 4. Martinus disp. 3. q. 4. & Hurtado disp. 4. Physica sect. 3. Fundamentum istorum est, quia diuinæ omnipotentię id solum denegandum est, quod manifestam inuoluit repugnantiam. Sed quod eadem numero materia pluribus formis substantialibus informetur, nullam inuoluit repugnantiam: ergo sacrilegū erit, hoc diuinæ omnipoten-

tię denegare. Minorem probant, quia si hoc inuolueret repugnantiam, hæc proueniret vel ex parte materię, vel ex parte formarū, vel ex parte illius, quod resultaret ex illa numero materia, & multiplicitate formarum: sed ex neutro horum capitum potest repugnantia prouenire: ergo nulla est repugnātia. Hoc probāt per singula capita discurrendo.

5. Et in primis hanc repugnantiam non prouenire ex parte materię sic ostendunt. In materia omnes admittunt potentiam passiuam ad omnes formas substantiales recipiendas, neque ex hoc, quod informetur per vnā formā, destruitur potentia, quam habet ad recipiendas alias. Tum quia (vt disp. quæst. 3. dictū est) potentia materię ad recipiendas formas non distinguitur realiter ab essentia ipsius materię; vnde ista manente, sicut vera manet, dum informatur aliqua forma, quod ipsa potentia etiam maneat, necesse est. Tum etiā, quia aliās ignis genitus ex materia ligni nō generaretur ex materia, quæ haberet potentiā passiuam ad formam ignis recipiendam: quod omnes absurdum reputabunt: ergo adhuc vt eadē numero materia pluribus formis substantialibus informetur, nulla potest ex parte materię repugnātia excogitari.

6 Deinde neque hanc repugnantiam prouenire ex parte formarum, sic probant. Maior est incompossibilitas, quæ interuenit inter duas qualitates contrarias (v.g. inter calorem in summum, & frigiditatem in summum) quàm quæ intercedit inter duas formas substantiales, æquæ primò materiam afficientes. (Illa enim est propriè contrarietas, secus ista: substantiæ enim nihil est contrarium.) Sed incompossibilitas inter duas qualitates contrarias non impedit, quòd de potentia Dei absoluta possint esse simul in eodem subiecto: (vt iam receptum est inter auctores) ergo multò minùs impedire poterit incompossibilitas, que est inter duas formas substantiales æquæ primò afficientes materiam, quo minùs de potentia absoluta possint eadem numero materiam informare.

7 Demum hanc repugnantiam non posse prouenire ex parte illius, quòd resultaret ex illa numero materia, & multiplicitate formarum, sic ostendunt; quia si aliqua repugnantia esset in hoc, maxime quòd cum forma substantialis det esse simpliciter, si in eadè numero materia essent plures formæ substantiales, sequeretur, quòd in vna, & eadè re essent plura esse simpliciter; & consequenter quòd simul esset vnum, & plura; quòd im-

plicationem inuoluit. Itè sequeretur, quòd eadem res, scilicet, materia prima in suo esse simpliciter dependeret à pluribus causis totalibus, & adæquatis, scilicet, à pluribus formis substantialibus, quarum quælibet dat esse simpliciter materiæ, vt causa totalis, & adæquata: quòd etiam est implicitorium.

8 Tamen hæc omnia frivola sunt: licet enim forma substantialis det esse simpliciter; materia, quæ est, quæ inuenitur esse vna (materia enim, vt ex dicto, quæ constat, habet tantum esse simpliciter, tam essentiæ, quàm existentiæ, independenter ab omni forma substantiali.) Sed composito substantiali, quòd ex materia, & forma resultat: & in dicto casu non esset vnũ compositum substantiale, quòd ex illa materia, & pluribus formis æquæ primò materiam afficientibus resultaret, scilicet, vna; non secus, ac de facto sunt plura composita, quæ ex eadè numero materia, & pluribus formis se mutuo succedentibus resultant. Ex quibus etiam patet, non sequi eandem rem in suo esse simpliciter dependere à pluribus causis totalibus, & adæquatis; nam in dicto casu id, quòd dependeret in suo esse simpliciter à pluribus formis, non esset materia, (vt dictum est) sed composita substantialia, quæ in dicto

ætò casu non vnum, sed plura essent.

9 Alij verò (quibus libenter subscribo) tenent oppositum, scilicet, adhuc supernaturaliter, & de potentia absoluta Dei contingere non posse, vt eadem numero materia à pluribus formis substantialibus æquæ primò materiam afficientibus simul informetur. Hæc est sententia in nostra schola communiter recepta; & idem affirmat de schola Thomistarum, in Plaça locò supra citato: ipsam autem defendit Vazquez tomò 1. sup. 3. part. disp. 29. cap. 4. num. 23. Lorca de Incarnatione disput. 23. num. 50. Curus Carmelitanus disp. 4. q. 6. §. 2. qui pro ipsa citat D. Th. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. & opusc. 33. & quodlib. 1. art. 6. & Caietanum ibidem. Eandem sententiam approbat noster Pitigianus 1. Physicorum in annotationibus ad quæstionem 19. Scoti 1. C. & citat pro ipsa Scotum in 4. d. 11. q. 3. §. Alij concedentes, versiculo, Contra; vbi videtur non solum hoc affirmare, sed rationibus, & auctoritatibus Philosophi, & Commentatoris comprobare. Sed ibi Scotus non loquitur ex propria sententia, sed potius arguendo pro sententia opposita sententiæ, quam ipse ibi defendit, scilicet, dari in uiuentibus plures formas substantiales subordinatas, scilicet, formam corporeitatis, &

animam. Quòd inde manifestè constat; nam omnes auctoritates, & rationes, quas ibi adducit ad probandum non posse esse plures formas substantiales in eodem composito, inferiùs à littera F. dicit esse inefficaces; quòd demonstrat ipsas omnes soluendo, & explicando.

10 Citari etiam solet Scotus pro eadem sententia in prædicto 4. sententiarum d. 10. q. 2. litter. P. & 1. Physicorum q. 24. §. Quarta conditio. Sed existimo his duobus locis non loqui Scotum de potentia Dei absoluta, sed de ordinata, & ex vi agentium naturalium; nam priori loco solum dicit, quòd si miraculosè poneretur corpus in diuersis locis, & in vnoquoque loco applicaretur ei agens naturale, quorum quodlibet posset materiam prædicti corporis trãsmutare ad distinctam formam, posset utiq; absque nouo miraculo recipere actiones prædictorum agentium naturalium; non tamen inde sequi, quòd eadè materia simul informaretur duabus formis substantialibus: quòd intelligit, non de potentia diuina, sed ex vi actionũ illorũ agentium naturalium. Posteriori verò loco solum approbat doctrinã Commentatoris lib. de substantiis orbis asserentis, esse impossibile, quòd plures formæ substantiales sint simul in eodè subiecto, seu materia. Tamen Comentator

solum ibi loquitur de impossibili attenda virtute causarum naturalium; non verò de impossibili attenda virtute diuina. Et quòd Scotus in hoc sensu sumat ly *impossibile*, patet; nã in fine illius, §. etiam dicit, esse impossibile, materiam esse sine forma; quod absque dubio intelligit de impossibilitate attenda virtute causarum naturalium; nam attenda virtute diuina oppositum docet in 2. d. 12. q. 2. vt ex disput. 3. q. 6. sect. 1. patet.

11 Melius citari potest Scotus pro hac sententia in 3. d. 1. q. 3. §. *Ad questionem*, vbi suttinet, non posse eandem numero naturam immediatè assumi simul à tribus diuinis personis; eò quòd dependenda, quam dicit in subsistendo à personaliitate diuina, est essentialis, & vnaquæque personalitas diuina totaliter, & adæquatè terminat istam dependentiam; & implicationem inuoluit, quòd vna dependentia essentialis simul terminetur à pluribus, quorum quodlibet totaliter, & adæquatè terminet istam dependentiam. Nam cum eadè sit ratio de informatione eiusdem numero materiæ à pluribus formis substantialibus, ac de assumptione eiusdem numero naturæ humanæ à tribus diuinis personis, & eadem implicatio sequatur ex eo, quòd eadem numero materia simul informetur pluribus formis sub-

stantialibus, ac intulit Scotus sequi ex eo, quòd eadem numero natura humana assumetur simul à tribus diuinis personis; (vt ex probatione huius sententiæ constabit) idem iudicandum est sensisse Scotum de informatione eiusdem numero materiæ à pluribus formis substantialibus, ac sensit de assumptione eiusdem numero naturæ humanæ à pluribus personis diuinis.

12 Probari solet hæc nostra sententia. Primò, quia expulsio formæ substantialis præexistentis in materia est effectus formalis formæ substantialis, quæ de nouo inducitur ad informandam materiam. Sed Deus non potest impedire effectum formale formæ actualiter informantis. (Nam implicationem inuoluit, quòd forma actualiter informet, & quòd actu non tribuant effectum formalem) ergo neque impedire poterit expulsionem formæ substantialis præexistentis in materia, stante actuali informatione formæ substantialis, quæ de nouo inducitur ad informandam materiam.

13 Sed probatio ista est inefficax; facile enim respondent aduersarij, quòd etsi expulsio formæ substantialis præexistentis in materia sit effectus formalis formæ substantialis quæ de nouo inducitur ad informandam materiam; tamen nõ est effectus formalis primarius, sed

sed secundarius; (Effectus enim primarius cuiuscumque formæ substantialis est tribuere materiæ suum esse; secundarius verò expellere à prædicta materia formam substantialem præexistentem) & quãuis verum sit nequire Deum impedire effectum formalem primarium formæ actualiter informantis ob implicationem allatam; tamen effectum formalem secundarium optimè potest impedire, & de facto impedit, si introducta in materia noua forma substantiali, nolit suspèdere cõcursum, quo formam præexistentem in materia conseruabat; non obstãte, quòd forma de nouo introducta naturaliter talem suspensionem exigit. In quo etsi aliquid non connaturale reperitur, nulla tamen reperitur implicatio. Nam ad hoc, vt de forma de nouo introducta verificetur actualiter informare, sufficit, quòd actu tribuat effectum formalem primarium.

14 Secundò sic probari solet. Sicui de intrinseca ratione materiæ primæ est esse primũ subiectum; ita de ratione formæ substantialis est esse primũ actum materiæ; ergo sicut implicationem inuoluit esse materiam primam, & nõ esse primum subiectum; ita implicationem inuoluet, esse formam substantialem, & non esse primum actum materiæ. Sed si ad introductionem formæ sub-

stantialis in materia non expelleretur forma substantialis præexistens, sed à Deo conseruaretur simul cum forma substantiali de nouo introducta, forma substantialis de nouo introducta non esset primus actus materiæ; ergo implicat, dari duas formas substantiales in eadem numero materia. Minorem sic probant. Vt forma substantialis exerceat rationem primi actus respectu materiæ, duo debet habere. Primum, quòd componat vnum per se cum illa. Secundum, quòd tribuat illi primum esse, seu esse simpliciter. At, nisi ad introductionem eius sequatur expulsio formæ substantialis præexistentis in materia, nec faceret vnum per se cum materia; (quia adueniret materiæ existenti in actu per priorem formam; & quòd aduenit enti in actu, non facit vnum per se) neque illi tribueret primum esse, seu esse simpliciter: (Quippè hoc esse primum, seu simpliciter haberet à priori forma, & sic solum illi tribuere posset esse secundarium, seu secundum quid, non secus, ac tribuit forma accidentalis) ergo vera est illa minor, scilicet, quòd, si ad introductionem formæ substantialis in materia non expellatur forma substantialis præexistens, sed potius à Deo conseruetur simul cum forma substantiali de nouo introducta, forma sub-

substantialis de noua introdu-
cta non esset actus primus ma-
teriae.

15 Sed hæc probatio est etiã
inefficax. Primò, quia suppo-
nit doctrinam dubiam; imò
in sententia Scoti falsam, sci-
licet, de ratione intrinseca for-
mæ substantialis esse, quòd sit
primus actus materiae: Scotus
enim in 4. d. 11. q. 3. art. 2. pro
viribus defendit, in quolibet
viuèti dari plures formas sub-
stantiales subordinatas, scili-
cet, formam corporeitatis, seu
misti, & ipsam animam, ex
quibus etsi forma misti seu
corporeitatis immediatè in-
formet materiam, & conse-
quenter sit primus actus illius;
tamen anima (cum sit actus
corporis physici, & organici)
non immediatè informat ma-
teriam, & consequenter, ne-
que est primus actus illius, sed,
quod immediatè informat, est
corpus, quod est quoddã cõ-
positum ex materia, & forma
corporeitatis, licet incomple-
tum; & adhuc per se tendens ad
vltiorem perfectionem sub-
stantialem. Et quòd per hoc
non destruat distinctio for-
mæ substantialis à forma acci-
dentali, acutissimè probat sub-
tilis Doctor loco citato à lite-
ra Y.

16 Secundò non est efficax,
quia dato quòd de ratione in-
trinseca formæ substantialis
foret, esse primum actum ma-
teriae, hoc non deficeret in ad-

uersariorum sententia formæ
substantiali ex eo, quòd ad in-
troductionem eius in materia
non expelleretur forma sub-
stantialis præexistens, sed à Deo
cõseruaretur in materia simul
cum forma substantiali de nouo
introducta: nam aduersarij
non contendunt, formã sub-
stantialem de nouo introdu-
ctam immediatè afficere cõ-
positum ex materia, & forma
substantiali præexistente, &
mediante illo materiam; vt
contingit formæ accidentali,
quæ ideò nec potest facere v-
num per se cū illo, nec tribuit
materiae primum esse, seu esse
simpliciter, sed potius esse se-
cundum quid: sed dicunt, quòd
forma substantialis, quæ de nouo
introducitur in materiam,
æquè primò, & immediatè
materiam afficit, ac afficit for-
ma substantialis præexistens:
quod sufficiens est ad hoc, vt
simul cum illa faciat vnum
per se, & similiter ei tribuat pri-
mum esse, seu esse simpliciter,
non secus, ac sufficiens est in
forma substantiali præexisten-
te: nam quòd forma substan-
tialis præexistens prius tempo-
re hoc præstiterit, & adhuc cõ-
comitanter præstet, non mi-
nus per accidens reputant, ac
est per accidens ad hoc, vt ex
materia, & forma ignis resul-
tet vnum per se, & similiter
quòd forma ignis tribuat ma-
teriae primū esse, seu esse sim-
pliciter, quòd prius tempore
for-

forma ligni effecerit vnum per
se cū prædicta numero mate-
ria, & illi tribuerit primum ef-
se, seu esse simpliciter.

17 Efficacius probari potest
hæc nostra sententia ratione,
qua vsus est Scotus ad proban-
dum non posse, adhuc per po-
tentiam Dei absolutam, ean-
dem numero naturam huma-
nam immediatè assumi simul
à tribus diuinis personis, quæ
ad nostrum intentum sic po-
test applicari. In omni depen-
dentia essentiali implicatio-
nem involvit, quòd vnum de-
pendens dependeat, nisi ab vno,
quod totaliter, & adæquatè ter-
minet eius dependentiam. Sed
potentia subiectiua, seu recep-
tiua, quæ est in materia prima
ad hoc, quòd informetur, &
actuatur per formas substan-
tiales, essentialiter dependet,
quantum ad informari, & a-
ctuari, à formis substantiali-
bus; & insuper quælibet for-
ma substantialis ex vltimis,
vt sunt in non viuentibus for-
maligni, forma ignis, &c. &
in viuentibus ipsæ animæ, to-
taliter, & adæquatè terminat
istam dependentiam: ergo
implicatioeminuoluit, quòd
potentialitas subiectiua, seu
receptiua eiusdem numero
materiae simul informetur, &
actuatur à pluribus ex vltimis
formis substantialibus; &
consequenter, neque de po-
tentia Dei absoluta evenire
poterit, quòd in eadem nu-

mero materia sint simul plu-
res formæ substantiales vlti-
mæ: quia quod implicatio-
nem inuoluit Deus prestare nõ
potest.

18 Maior huius discursus (in-
quit Scotus) manifesta est in
omni dependentia causati ad
causam, quæ quia essentialis
est, ideò implicationem in-
uoluit, quòd idem numero
effectus actualiter dependeat
à duabus causis totalibus, &
adæquatis in eodem genere
causantibus (vt ex professo
demonstrabimus in 2. libro
disputat. vltima quæst. vltima
contra aliquos oppositum as-
ferentes.

19 Minor quoad priorem par-
tem etiam est manifesta, nam
actualiter informari, seu actua-
ri potentialitatem materiae est
effectus formalis formarum
substantialium; & manife-
stum est, omnem dependen-
tiam effectus à sua causa per
se (præsertim si sit intrinseca,
sicut est formalis) esse depen-
dentiam essentialem. Quo-
ad posteriorem verò par-
tem inde patet; nam si quæ-
libet forma substantialis vl-
tima totaliter, & adæquatè
non terminaret dependen-
tiam, quæ est in vna numero
materia ad hoc, vt eius po-
tentialitas subiectiua infor-
metur, & actuatur per formas
substantiales, compositum sub-
stantiale, quod ex illa, &
materia prima resultaret,
non

non esset totale, & adæquatū, sed potius parziale, & inadæquatum, adhuc manens in potentia, vt per vltiorem formam substantialem informetur, & actuetur, vt patet in forma substantiali misti, seu corporeitatis, quæ, quia non est forma totaliter, & adæquatè terminans potentialitatem; quam dicit materia prima ad hoc, vt per formas substantiales informetur, & actuetur, cōpositum substantiale ex prædicta forma, & materia resultans non est compositum substantiale totale, & adæquatum, sed potius parziale, & inadæquatum, adhuc manens in potentia ad hoc, vt per animā informetur, & actuetur.

20 Hinc patet, auctores oppositæ sententiæ in maiorem sui fundamenti assumere falsum, dum affirmant, nullam involvere repugnātiā, quòd eadem numero materia pluribus formis substantialibus æquè primò materiam afficientibus informetur, & actuetur. Vnde ad probationem illius dicimus, repugnātiā à nobis assignatam, prouenire ex parte materiæ, & ex parte formarum. Ex parte materiæ; quia etiam si in materia sit potentia passiva ad omnes formas substantiales recipiendas; & insuper per receptionem vnius formæ non destruat hęc potentia in materia, sed potius perficiatur;

tamen hęc potentia passiva non est ad omnes formas substantiales simul recipiendas, sed ad recipiendas illas seorsim, & successiuè. Aliàs, cum hęc potentia sit naturalis (sumpto naturali non solum in ordine ad formam, qua ratione opponitur violento, sed etiam in ordine ad efficiens, qua ratione opponitur supernaturali) assignari deberet virtus naturalis, à qua posset hęc potentia reduci ad actum, quam nullus concedit.

21 Ex parte formarum, quia etiam si vna forma substantialis non contraheretur aëteri; tamen cum quolibet totaliter, & adæquatè terminet dependentiam essentialē, quam dicit potentia subiectiua vnius numero materiæ, in hoc, quòd est informari, & actuari à formis substantialibus, implicationem involvet, quòd simul à duabus terminetur, non secus, ac involvit contradictionem, quòd idem numero effectus dependeat à duabus causis totalibus in eodem genere causantibus. Vnde falluntur aduersarij, dum numero 6. assumebant, maiorem esse impossibilitatem duarum qualitatum contrariarum in eodem numero subiecto, quàm duarum formarū substantialium in eadem numero materia; cum hęc implicationem involvat, secus vero illa.

22 Neque ea, quæ numero 7. sibi obijciebant aduersarij, & postea numero 8. ab ipsis soluuntur, militant contra nos; siquidem implicationem cōfendi plures formas substantiales in eadem numero materia nos non collocamus (vt ipsi arbitrantur) in hoc, quòd in dicta hypothesi in vna, & eadem re essent plura esse simpliciter, aut in hoc, quòd eadem numero materia penderet in suo esse à duabus causis totalibus, & adæquatis; quia libenter admittimus, materiam in suo esse tam essentialē, quàm existentiam non pendere à forma. Sed collocamus implicationem in hoc, quòd in dicta hypothesi informatio, seu actuatio potentialitatis passivæ, seu subiectivæ, quam dicit materia prima in ordine ad formas substantiales, penderet simul à duabus causis totalibus, & adæquatis; quia, cum hęc potentia passiva, seu subiectiua materiæ non sit ad omnes formas simul suscipiendas, sed seorsim, & successiuè, per quamlibet ex formis substantialibus vltimis totaliter, & adæquatè reducit ad actum.

23 Ex his patet, quid sit dicendum ad secundam difficultatem positam in titulo quæstionis, scilicet, an vna forma substantialis possit informare simul plures numero materias? Respondetur enim, implicationem involve-

re, quòd eadem numero forma substantialis informet simul plures numero materias, quarum quælibet sit subiectū adæquatum effectus formalis prædictæ formæ; ac per consequens non solum non posse hoc naturaliter euenire, sed neque supernaturaliter, & de potentia absoluta.

24 Dico notanter, *quarum quælibet sit subiectum adæquatum effectus formalis formæ*; nam si quælibet materia non sit subiectum adæquatum effectus formalis formæ, sed potius plures materiæ concurrant ad vnum subiectum totale, & adæquatum effectus formalis formæ integrandum, non dubito, quòd eadem numero forma substantialis possit plures materias numero informare, vel potentia Dei absoluta, si prædictæ materiæ fuerint locoseiunctæ; nam ad hoc erit necessarium, quòd forma substantialis simul in duobus locis constituatur; quòd de potentia ordinaria nequit contingere; (Hoc miraculum factum in Diuo Dionysio dicunt auctores; postquam enim ei caput amputatum est, ipsius anima non solum truncatum corpus, sed etiam abscessum caput pariter informabat; quandoquidem, & truncus caput manibus sustentans perambulabat; & ipsum caput infidelium consuadens perfidiam iugiter prædicabat.

Quæ munera, neque truncus, neque caput abique animæ informatione exercere nequibant) vel naturaliter, si prædictæ materiæ sint coniunctæ ea coniunctione, quæ requisita est ad vnum subiectum totale, & adæquatum effectus formalis formæ integrandum; vt de facto contingit in anima rationali, quæ naturaliter informat, non solum carnem, sed etiam ossa, neruos, cæterasque partes integrantes corporis humani; & tamen, cum caro, ossa, & nerui non sint continua in corpore, sed solum contigua (vt probabilior fert sententia) necessariò fatendum est, materias eorum esse numero distinctas.

25. Implicatio autem, quæ reperitur in hoc, quòd eadem numero forma simul plures numero materias, quarum quælibet sit subiectum totale, & adæquatum effectus formalis prædictæ formæ, est similis ei, quam dubitatione præcedenti assignauimus, nimirum, quòd in dicta hypothese idem numero effectus penderet à duabus causis materialibus totalibus, & adæquatis. Quòd sic declaro. Aut enim hæc forma substantialis est ex his, quæ non solum recipiuntur in materia, sed etiam educuntur de potentia illius, vt sunt omnes materiales; aut ex his, quæ etiam recipiuntur in mate-

ria, non tamen educuntur de potentia illius, vt sunt animæ rationales? Si sit ex prioribus, ex duplici capite prouenit hæc implicatio, siquidem de hac forma non solum esset verum dicere, quòd eius effectus formalis (qui vnicus est, sicut est vnica eius forma) penderet essentialiter à duabus causis materialibus totalibus, & adæquatis, sed etiam esset verum hoc affirmare de esse actuali, seu existentia ipsius formæ. Si verò sit ex posterioribus, prouenit ex vnico capite: licet enim de esse actuali, seu existentia istius formæ nõ verificaretur, quòd penderet essentialiter à duobus causis materialibus totalibus, & adæquatis; tamen hoc negari non posset de effectu eius formali, cum hic verè de potentia materiæ, in qua recipitur, educatur; & in ipsum concursu suo materiali verè influat ipsa materia, seu corpus.

26. At obijciat nobis aliquis Scotista ipsum Scotum, qui in 3. d. 1. q. 3. fatetur, vnam diuinam personam posse plures naturas terminare: & idem defendit posse absque implicatione conuenire personæ creatæ eadem distinctione q. 4. ergo consequenter ad hanc doctrinam fateri tenetur. Scotus, eandem numero formam substantialem posse informare plu-

plures numero materias, etiam si quælibet materia sit subiectum totale, & adæquatum effectus formalis prædictæ formæ.

27. Respondetur facillè negando consequentiam: est enim dispar ratio. Nam, cum effectus formalis subsistentiæ, siue diuinæ, siue creatæ (quæ est ratio formalis terminandi in quacumque persona dependentiam in subsistendo alienæ naturæ) non recipiatur, tanquam in subiecto, in natura terminata, sicut recipitur effectus formalis formæ informantis materiam; (Non enim subsistentia, siue diuina, siue creata, tribuit suum effectum formalem alienæ naturæ ipsam informando, sed extrinsecè terminando) hinc est, quòd, quamvis vna persona, siue diuina, siue creata, terminet plures naturas alienas, non sequatur, quòd idem effectus formalis subsistentiæ (qui est, quem per terminationes dependentiæ diuersarum naturarum tribuit persona terminans naturas terminatis) dependeat essentialiter simul à pluribus causis materialibus totalibus, & adæquatis; sicut dictum est sequi ex eo, quòd eadem numero forma substantialis informet plures materias, quarum quælibet est subiectum totale, & adæquatum effectus formalis prædictæ formæ.

28. Neque obstat, quòd in

assumptione plurium naturarum ab vnica persona, vnica subsistentia terminet totaliter, & adæquatè dependentias in subsistendo plurium naturarum. Nam (vt optimè annotauit subtilis Doctor q. 3. citata in fine, §. Circa tertium) sicut non est implicatio, quòd vnica causa totalis, & adæquata producat plures effectus; ita non est implicatio, quòd dependentiæ essentialis plurium causarum terminentur ab vnica causa totali, & adæquata. At, cum implicatio sit, quòd idem numero effectus producat simul à pluribus causis totalibus, ita implicatio erit, quòd dependentia essentialis vnus causati terminetur à pluribus causis totalibus, & adæquatis.

QVÆSTIO VI.

Quid sit priuatio? & quomodo à materia prima distinguatur?

1. EX dictis in disputat. 2. constat, priuationem esse vnum ex tribus principijs intrinsecis, & essentialibus *pieri*, seu generationis rerum naturalium; & sic solum restat, vt in præsentiquæstione examinemus, tum eius quidditatem, & essentialitatem; tum eius distinctionem à materia.

2. Circa quidditatem asserendum

dum est, *privatorem esse carentiam formæ in subiecto apto nato.* Itaque privatio pro formali, & per se significato solum dicit carentiam formæ; & in hoc convenit cum negatione, quæ etiam pro formali, & per se significato solum carentiam formæ importat: connotat tamen privatio intrinsecè, & essentialiter subiectum aptum natum habere formam; & per hoc differt à negatione; quæ vel non connotat subiectum (vt contingit in negationibus, quæ dicuntur extra genus, & sunt illæ, quæ contradicunt affirmationi simpliciter, vt negatio hominis, negatio equi, &c.) vel si subiectum connotat (vt contingit in negationibus, quæ dicuntur intra genus, & sunt illæ, quæ supponunt aliquod subiectum, de quo dicantur) sed non subiectum aptum natum habere formam, sed potius ineprum, vt carentia visus in lapide, carentia rationalitatis in equo, &c. Hæc est doctrina Arist. 5. Metaph. text. 27. & 10. Metaph. text. 15. quam amplectitur Scotus in 1. d. 23. q. vñic. §. *Itē lit. H. & d. 28. q. 2. §. Quantum ad primum*, litteris B. & C.

3 Aduertit autem Scotus locum ultimo citato (& desumpsit ex Aristot. locis citatis) privationem sumi strictè, seu propriè; & communiter, seu impropriè; & magis communiter, seu impropriè. Strictè, seu

propriè sumitur quoties subiectum caret forma, quam secundum suam rationem specificam consideratum, natum est habere, & eo tempore, quo illam debet habere; talis est cæcitas in homine. Communiter, seu impropriè sumitur quoties subiectum caret forma, quam etsi secundum suam rationem specificam consideratum natum est illam habere, sed non pro omni tempore; talis est cæcitas in catulo ante nonum diem. Magis communiter, & impropriè sumitur quoties subiectum caret forma, quam etsi secundum suam rationem genericam consideratum natum est habere, sed non si consideretur secundum suam rationem specificam; talis est cæcitas in talpa: & isto modo (inquit Scotus) tantò generalius, & impropriè dicitur aliquod privatum, quanto ratio generica, ratione cuius natum est habere formam, est magis vniuersalius. Aduertit etiam Scotus, quòd privatio communiter, & impropriè sumpta non dicit imperfectionem in illo, in quo est; quia vel secundum se non est natum habere talem formam, sed solum secundum rationem genericam; vel si secundum se natum est illam habere, sed non pro illo tempore.

4 Ex his aliqua possumus deducere. Primum est, privationes in abstracto sumptas,

vt

vt cæritas, surditas, &c. esse nomina connotatiua, non secus, ac privationes sumptæ in concreto, vt cæcus, surdus, &c. nomina connotatiua sunt; ac per consequens, optimè dixisse Scotum 1. Physicorum q. 21. conclusione 3. præsertim in solutione quintæ rationis, *privatorem, & privatum esse; cæcitatem, & cæcum esse, &c. esse idem;* nam re vera sunt nomina synonyma eandem prorsus rem significantia.

5 Ratio huius decisionis est, quia illud nomen dicitur connotatiuum, quod ita per se formam significat, vt simul connotet subiectum habens formam. Sed privationes in abstracto sumptæ, scilicet, cæcitas, surditas, &c. (vt ex definitione privationis constat) ita per se significant carentiam formæ, vt simul, imò intrinsecè, & essentialiter connotent subiectum aptum uarum habere talem formam; ergo negari non potest, privationes in abstracto sumptas esse nomina connotatiua, non secus, ac sumptæ in concreto nomina connotatiua sunt; & consequenter secundum veritatem idē prorsus esse *privatorem, & privatum esse; cæcitatem, & cæcum esse.*

6 Sed obiecit sibi Scotus in ratione quinta Aristotelem, qui in prædicamentis expressè dicit, quòd non est idem *cæcum esse, & cæcitas.* Tamen ad hanc auctoritatem optimè, ref-

pondet ipsemet Scotus his verbis, *Ad quintam dico, quòd idem est cæcus, & cæcitas: sed quia non est famosus modus loquendi dicere, quòd homo est cæcitas, quemadmodum dicitur, quòd homo est cæcus, idē dicebat Arist. quòd cæcus, & cæcitas non sunt idem. Et idē Arist. in libro Prædicamentorum loquebatur secundum famositatem solum, non determinando veritatem, vt dicit Commentator 10. Metaphisic. cap. de Quanto.*

7 Secundò dicendum est, privationes in abstracto, vt cæcitatē, surditatē, &c. absolute supras includere aliquod ens. Ita Scotus loco Physicorum citato cōclusionē 1. vbi dicit, *Quantum ad istud est prima cōclusio, quòd privatio est aliquod ens.* Quod à posteriori probat Scotus, quia si privationes in abstracto sumptæ, nihil essent, seu nullam entitatem includerent, sequeretur, quòd nulla propositio affirmatiua esset vera, in qua iste terminus *privatio* esset subiectum, vel prædicatum. Consequens autem est (inquit Scotus) contra Arist. & Commentatorem in isto primo, vbi dicit, quòd *privatio est principium; quòd privatio est una numerorum materia; quòd privatio inclinatur ad maleficium; & quòd privatio est causa appetitus materia.* Imò adde nos possumus esse contra scripturam, nam Genes. 1. dicitur, quòd *tenebræ erant super faciem abyssi.* Probatum consequentia, quia propositio affir-

matiaua est falsa, cuius subiectum, vel prædicatum pro nulla re supponit, vt ista, *chimera est chimera.*

8 Ratio à priori huius decisionis est, quia priuationes in abstracto (vt numero 4. dicebamus) sunt nomina connotatiua duo includentia, pro formali, & per se significato carentiam formæ; pro connotato verè subiectum aptum habere formam, quod necessariò semper est aliquod ens: ergo negari non potest priuationes in abstracto absolutè sumptas includere aliquod ens, pro quo in propositionibus affirmatiuis supponunt, & ratione cuius optimè verificantur.

9 Tertiò dicendum est, hoc ens, quod priuationes in abstracto absolutè sumptæ includunt, seu important, esse ens reale, & extra animam. Ita Scotus loco citato conclusionè 2. quod ipse probat, quia in hypothesi, quòd nulla anima consideret; imò in hypothesi, quòd nulla esset in rerum natura anima, adhuc materia, v. g. diceretur priuata, seu habere priuationem formæ, quam nata esset habere. Et ratio à priori est, quia hoc ens, quod includit priuatio in abstracto, absolutè sumpta, est subiectum carens forma, quòd natum est habere: sed hoc subiectum est ens reale extra animam; ergo & ens, quod inclu-

dit priuatio in abstracto absolute sumpta.

10 Dixi autem notanter in decisionibus præcedentibus *priuationes in abstracto absolute sumptas*, id est, secundum omne, quod intrinsecè includunt consideratas; nam si præcisè considerentur huiusmodi priuationes secundum id, quòd dicunt pro formali, & per se significato, dicendum est, priuationes istas à parte rei nullo modo esse entia, sed potius carentiam entis, & purum nihil (vt ex pressè docuit Aristot. in hoc libro text. 75. appellans priuationem per se non ens.) Et dico consultò à parte rei; nam per intellectum apprehendentem istam carètiã, & purum nihil, quod priuationes dicunt pro formali, & per se significato, admodum cuiusdam qualitatis realis efficiētis subiectum, habent esse entia rationis; & talia appellari debent; vt in Logica cap. de vniuersalibus disput. 3. q. 3. latius diximus.

11 Vnde non placet modus loquendi aliquorum, qui priuationes pro formali, & per se significato præcisè consideratas appellant entia realia priuatiua. Tū, quia iuxta hunc modū loquendi ægritudo esset appellanda valetudo priuatiua, & cæcitas, visus priuatiuus, & peccatū pro formali iustitia priuatiua. Quod nullus admittet. Tū etiã, quia hæc loquutio in ipsis

ter;

terminis inuoluit repugnantiam; nã ens reale dicit entitatem positiuã; priuatiuū autē pro formali dicit contradictoriū entitatis positivæ: ergo dicere *ens reale priuatiuū* erit vnū contradictorium de altero affirmare.

12 Sed obijciunt nobis; priuatio pro formali, & per se significato sumptæ est realis: ergo vt sic habet aliquã entitatē realē. Sed hæc entitas non potest esse ens reale positiuū: ergo est ens reale priuatiuū. Respondetur negando primã consequentiã; nã aliud est, priuationē pro formali, & pro per se significato sumptæ esse realem; & aliud habere entitatē realē; nã ad primū sufficit, quòd forma, cuius est priuatio, seu carentia, realis sit; (quod cõuenit cæcitati, surditati, cæterisque priuationibus realibus) at ad secundū necessariū est, quòd sit entitas positiuã existēs à parte rei; quod cæcitati, surditati, cæterisque priuationibus realibus pro formali, & per se significato sumptis nullatenus conuenire potest.

13 Quartò dicendū est, optimè docuisse Scotum quòdlib. 18. §. *Ex isto*, priuationes pro formali, & per se significato sumptas sumere vnitatē, & distinctionē ex vnitare, & distinctione habitū, seu formarum, quibus priuāt, ita vt si habitus, seu formæ, quibus priuant, sint solū distincta numero, etiã solū numero distinguantur priuationes; & si specie distinguan-

tur, priuationes distinguantur specie; & si genere, genere. Ratio est, quia vnū quodque modo habet vnitatē, & distinctionē, quo habet esse. Sed (vt ex dictis patet) esse priuationū pro formali, & per se significato sumptarum nihil aliud est, quã carentia formarū, seu habitū: ergo earum vnitare, & distinctio cõmensuranda, & proportionanda erit cū vnitare, & distinctione ipsarū formarum, seu habitū, quorū sūt carètiæ.

14 Ex quibus etiã fit, vt priuationes pro formali, & per se significato sumptæ nō possint aliter definiti aut cognosci, quã per formas, seu habitus, quibus priuant. Vnde Arist. 6. Topicorū optimè docuit, quãdã esse genera oppositorū, quæ per se inuicē definiuntur, qualia sunt relatiua; alia verò, quorū vnū definitur per aliud, & nō è cõtra, qualia sunt priuatio, & habitus; etenim habitus ponitur in definitione priuationis; priuatio verò nō adhibetur in definitione habitus. Neque id accidit sine causa: nam (vt docet idē Arist. 1. de Anima tex. 85.) rectum est index sui obliquus, obliquum autem, neque suū ipsius, neque alterius est index.

15 Neque ex hoc, quòd priuationibus pro formali sumptis vnitatem, & distinctionē, tã genericam, quã specificã, & numericam tribuimus, aliquis inferat, priuationes, vt sic sumptas habere à parte rei entitates

ge.

genericas, specificas, & numericas; quia sicut num. 12. dicebamus, priuationes pro formali, & pro per se significato sumptas dici reales, non quia in se habeant entitatem realem, sed quia formæ, quibus priuant, reales sunt; ita nunc dicimus, priuationes pro formali, & per se significato dici vnas, vel distinctas genere, specie, & numero; non quia à parte rei habeant entitates genericas, specificas, & numericas, quas tanquam propriæ passionis prædictæ unitates, vel distinctiones consequantur; sed quia formæ, quibus priuant, sunt vnæ, vel distinctæ genere, specie, & numero.

16 Vitimò dicendum est, in vna numero materia, v. g. in materia huius ligni, tot esse priuationes (sumptas pro formali, & per se significato) genere, specie, & numero distinctas, quot sunt formæ genere, specie, aut numero differentes, quæ produci, & recipi possunt in tali materia. Ratio est, quia non solum sunt in materia huius ligni carentiæ omnium prædictarum formarū, sed etiam materia huius ligni, quantum est ex se, & secundum suam specificam naturam apta nata est recipere istas formas.

17 Solum est aduertendum, quod, cum materia huius ligni non sit apta nata recipere simul omnes istas formas, qua-

rum carentias dicit, sed successiue, & pro illis instantibus, seu temporibus, in quibus vltimate fuerit disposita ad vnamquamque ipsarum recipendam, idè priuationes istæ nõ debent inter strictè sumptas numerari, sed inter priuationes communiter, & improprie dictas, quales num. 3. diximus esse illas, quæ conueniunt subiecto, quod etsi secundum suam rationem specificam natum est habere formam, sed non pro illo tempore, quo est carentia, sed pro alio, & exemplificauimus in cæcitate, quæ est in ciculo ante nonum diem. Et hæc est ratio, cur in materia huius ligni huiusmodi priuationes non reputantur imperfectiones.

18 Circa distinctionem priuationis à materia (quod est secundum, quod in hac quæstione proposuimus explicare) tenendum est id, quod Aristot. docuit cap. 7. huius libri text. 62. (quod & amplectitur Scotus 1. Physicorum quæst. 21. conclusionem 3.) (scilicet, priuationem, quæ est in materia, nõ esse realiter distinctam à materia; distingui tamen à materia ratione, id est, definitione, & essentia. Quod sic declaro. In omni priuatione, cum nomen connotatiuum sit, duo possumus considerare, scilicet, & id, quod dicit pro formali, & per se significato, & id, quod dicit pro connotato. Si id,

id, quod dicit pro connotato, consideremus (qua ratione plures existimant considerasse priuationem Arist. cum dixit esse vnum numero principium cum materia) priuatio, quæ est in materia, etsi sit ens reale positium; (nam est subiectum aptum habere formam) tamen manifestum est, non distingui realiter à materia, sed potius esse idem realiter, & vnū numero cum illa; siquidem materia est hoc subiectum aptum natum habere formam; quod pro connotato dicit priuatio, quæ est in materia.

19 Si verò consideremus id, quod priuatio dicit pro formali, & per se significato, etsi negari non possit, priuationem, quæ est in materia, prout sic, nõ identificari realiter cum materia; tum quia priuatio, vt sic, non ens reale, sed carentia eius, & purum nihil, & implicationem inuoluit, quod carentia entis realis, & purum nihil cū ente verò, & reali, quale est materia, identificetur. Tum etiam, quia si identificaretur realiter cum materia, non posset priuatio, vt sic, ab ipsa materia realiter separari, cuius oppositum experimur in quacūque mutatione substantiali. Tamen affirmari non potest, quod priuatio vt sic realiter distinguatur à materia, quia ad distinctionem realem non sufficit, quod extrema non sint idem realiter, sed etiam desi-

deratur, quod extrema sint entia realia; & manifestum est, (ex dictis num. 10.) priuationes pro formali, & per se significato non esse entia realia, sed potius esse carentias entium realium, & purum nihil. Et hoc est, quod præcipue intendit Scotus loco citato, atque rationes, quas ibi adducit, id manifestè conuincunt, vt intuenti patebit.

20 Nec placet, quod aliqui respondent, scilicet, ex eo, quod priuatio, quæ est in materia, pro formali, & per se significato non sit ens reale, sed potius carentia entis realis, & purum nihil; solum sequi, priuationem, vt sic non distingui realiter à materia distinctione reali positua; non tamè, quod non distinguatur distinctione reali priuatiua; nam sicut num. 11. dicebamus, in ipsa terminis implicationem inuolueret, qui ens reale priuatiuum admittant; ita modò dicimus, inuolueret implicationem in terminis, qui dicunt, dari distinctionem redem priuatiuam; nam cum distinctio realis dicat entitatem posituam; priuatiuum verò pro formali carentiam, & contradictorium entitatis posituæ, appellare distinctionem realem priuatiuam, erit vnum contradictorium de altero verificare.

21 Si demum priuationem, quæ est in materia, absolute consideretur, & prout includit tam

ram formale, & perse significatum, quam comotatum, etiam est manifesta secunda pars nostræ assertionis; scilicet, priuationem distingui ratione, id est, definitione, & essentia à materia, non solum, quia in ratione principiorum eis conveniunt rationes principiandi essentialiter distinctæ, cum materia principiet fieri, seu gene-

rationem rerum naturalium per modum subiecti; priuatio, verò per modum originis, & termini à quo; sed etiam quia in se considerata diuersis definitionibus definiuntur; nam materia est *primum subiectum, ex quo aliquid fit: cum insit, primò, & per se, & non secundum accidens*; priuatio verò est *cauentia formæ in subiecto apto nata.*

DISPUTATIO QUINTA.

De ente naturali, ut est quoddam totum; & de termino augmenti, & decrementi illius.

Quamuis intentum Arist. in hoc libro solum fuerit agere de principiis rerum naturalium, tamen quia text. 17. disputans contra Parmenidem, & Melisum inseruit quæstionem de distinctione totius à partibus, & text. 38. disputans contra Anaxagoram statuit dandam esse minimam carnem, à qua non sit separabilis vltior caro; ideo interpretes ad disputationes præcedentes de principiis rerum naturalium hanc adiungunt disputationem. Nec immeritò; nam postquam actum est de principiis rerum naturalium, ipsa ratio postulat, ut de ipso ente naturali, ut est quoddam totum ex prædictis principiis coalescens, sermonem institueremus. Sic enim ipsorum principiorum naturam magis agnosceretur, dum finem, in quem à natura destinata sunt, perspectum habeamus. Sunt autem sex in hac disputatione examinanda. Primum, *An ens naturale sit aliquod simplex; an compositum?* Secundam, *quid sit unio, per quam partes compositi naturalis coniunguntur?* Tertium, *utrum totum per se physicum sit entitas realiter distincta ab omnibus suis partibus simul sumptis, & unitis?* Quartum, *utrum viuentia habeant certos terminos magnitudinis, & paruitatis?* Quintum, *utrum non viuentia habeant certos terminos magnitudinis, & paruitatis?* Sextum, *utrum in accidentibus detur maximum, & minimum?*

QVÆSTIO PRIMA.

Utrum ens naturale sit, quid simplex, an compositum?

PER ens naturale (ut ex proœmio huius tractatus patet) intelligimus ens, quod habet naturam, id est, principium motus, & quietis; ut sunt omnes substantiæ corporeæ, siue inanimatæ, siue animatæ sint.

2. Sunt autem duæ compositiones, de quibus dubitari potest, an in entibus naturalibus reperiantur? Essentialis vna; sic dicta, quia partes, ex quibus fit, ad essentiã compositi spectant: talis est in cõpositionibus physicis, de quibus nunc loquimur, cõpositio ex materia, & forma. Altera integralis; sic dicta, quia partes, ex quibus fit, etsi ad essentiã cõpositi nõ spectent, requiruntur tamẽ ad ipsius integritatẽ; tales sũt pes, manus, & caput in physica cõpositione animalis.

3. Interest autẽ inter has duas compositiones (præter differentiam assignatam) primò, quòd partes essentielles semper sunt etherogenæ, id est, diuersæ, & alterius rationis à toto; at integrales, licet aliquando etherogenæ sint; ut in cõpositione integrali cuiusvis animalis constat) tamen sæpè sæpius sunt homogenæ, id est, eiusdem rationis cù toto; ut in cõpositio-

ne integrali aquæ, ignis, & aliorum inanimatorum est perspicuum.

4. Secundò interest, quòd partes essentielles non solum in toto, quòd componunt, induunt rationem partium; sed etiam extra totum, & ad invicem separatæ: at integrales (si homogenæ sint) solum induunt rationem partium, quando totum actualiter componunt; nam extra totum, & ad invicem separatæ habent rationem totius; ut in diuisione aquæ, ignis, & aliorum inanimatorum constat.

5. Tertio interest, quòd partes essentielles naturaliter penetrantur, & occupant eundem locum; at integrales (siue homogenæ, siue etherogenæ sint) naturaliter nequeunt penetrari, sed occupant diuersas partes loci ratione quantitatis, qua afficiuntur.

6. His suppositis, si sermo sit de cõpositione integrali, indubita sententia est, ens naturale non esse simplex, sed cõpositum: id enim manifestè conuincit experientia, qua experimur, ens naturale esse diuisibile, & actu diuidi in partes integrales: quòd esset impossibile, si ens naturale ex prædictis partibus nõ esset cõpositum; quæ ratio

nō solū probat, ens naturale esse cōpositū cōpositione integrali; sed etiā probat eadē cōpositione esse cōpositas partes illius essentielles, scilicet, materiam, & formam; (dum modō à formis animam rationalem excipias, quæ cum spiritualis sit, est indiuisibilis) siquidem cum diuidimus aquam, etiam diuidimus materiam, & formam illius.

7 Solūm posset esse controuersia; an hæc cōpositio, seu extensio partium integralium conueniat enti naturali, & eius partibus essentialibus ratione quātitatis, an verō ratione sui? In qua controuersia tenēdum est id, quod docuimus in Logica cap. de quantitate disp. 1. q. 2. scilicet, substantias materiales ex se, & seclusa quantitate habere partes integrales entitatiuē extensas; ac per consequens, tam ens naturale, quàm eius partes essentielles ex se, & seclusa quantitate esse cōposita cōpositione integrali.

8 Quibus addendum est, quòd sicut in toto quantitatiuo continuo sunt infinitæ in potentia partes proportionales, quæ ad constituendum vnum totum copulantur quibusdam indiuisibilibus quantitatiuis; ita in toto naturali integrali (quoties homogeneous est, & constans partibus eiusdem rationis cum ipso) admittendæ sunt infinitæ in potentia partes proportionales, quæ ad constituē-

dum vnum totum integrale quibusdam indiuisibilibus substantialibus copulentur. Et dico notanter, *quoties homogeneous est*; nam, si hoc totum naturale integrale etherogeneous est, cū partes eius non sint proportionales, sed aliquotæ, finitæ debent esse, neque opus est, quòd medijs aliquibus indiuisibilibus substantialibus copulentur, & continuentur; sed fat est, quòd sint contiguæ in eadem dispositione, quæ necessaria est, vt per vnicam animam (siue indiuisibilem, vt est rationalis; siue diuisibilem, vt sunt omnes materiales) informentur; vt videri est in totis integralibus, quæ sunt entia naturalia vinentia, seu animata.

9 Si verō sermo sit de cōpositione essentiali, solūm negare poterunt ens naturale esse cōpositum antiqui illi Philosophi, qui (vt ex mente Aristot. disp. 4. q. 1. retulimus) formas substantiales non agnouerunt, sed existimabant, totam substantiam rerum naturalium esse materiā, quæ fiebat diuersa entia naturalia ex diuersis accidentibus, quæ illi adueniebant; & similiter neotericus ille Doctor, qui (vt disp. 3. q. 1. dicebamus) conatus est introducere in scholas, in entibus naturalibus non dari materiā primam, sumpta materia prima prout ab omnibus interpretibus Aristot. sumitur, scilicet, pro primo subiecto muta-

tio-

tionis substantialis, quòd per ealem mutationem nō pereat, sed potius sit quid commune tam genito, quàm corrupto, & vnum ex primis principijs, ex quibus, tanquam ex partibus physicis, omne ens naturale essentialiter coalescat, seu componatur. Nam, cum ad cōpositionem essentialē entis naturalis ad minus duæ partes essentielles requirantur, materia scilicet, & forma, qui ab ente naturali abstulerunt formam, vel materiam, coacti sunt sustinere, ens naturale esse quid essentialiter incompositum, & simplex.

10 Tamen ens naturale esse essentialiter cōpositum, ita receptum, atque indubitatum est in peripatetica schola, ac receptum, & indubitatum est, in vnoquoque ente naturali dari materiam, & formam substantialem, ex quibus, tanquam ex partibus physicis, omne ens naturale essentialiter componitur. Porro in peripatetica schola esse receptum, & indubitatum, in vnoquoque ente naturali dari materiam, & formam substantialem, ex quibus, tanquam ex partibus physicis, omne ens naturale essentialiter componatur (ex quò resolutio huius quæstionis pender) patet ex dictis disp. 3. q. 1. & disp. 4. q. 1. legantur ibi dicta; nam priori loco sententiam huius Doctoris neoterici negantis in entibus naturalibus

materiam primam, non solūm ex Scoto, irrationabilem appellauimus, sed etiam ostendimus singularem esse, Aristoteli cōtrariam, rationi inimicam, & fere omnem philosophiam euerterentem. In posteriori verò, sententiam antiquorum Philosophorum negantē formas substantiales non solūm reiecimus, vt Aristoteli pluribus in locis contrariam, sed etiam ex tot capitibus falsitatem eius ostendimus, vt non immeritò dixerimus, solūm posse maximæ ignorantie attribui, ipsam modò defendere.

QVÆSTIO II.

Quid sit vnio, per quam partes compositi naturalis coniunguntur?

1 Scedenti, ens naturale non esse quid simplex, sed potius quid cōpositum ex partibus, tam integralibus, quàm essentialibus. Sed quia cōpositio nihil aliud est, quàm distinctorum vnio, explicandum superest in hac quæstione, quid sit vnio, per quam tam partes integrales, quàm essentielles entis naturalis ad faciendam prædictam cōpositionem coniunguntur.

2 Et, ne in æquiuoco laboremus, præsupponendum est, vnionem tripliciter posse accipi. Primò pro actione, seu influxu, quo mediante vnio, seu coniunctio partium egreditur à sua causa efficiēti, quæ idcō

ideo non tam vnio, quam vnio solet nuncupari. Secundo pro nexu, in quo, seu medio quo aliqua duo extrema copulantur: qua ratione vnio sumitur à Theologis, dum dicunt, in Incarnatione vnionem naturæ diuinæ, & humanæ factā fuisse in persona Verbi; & à Philosophis, dum affirmant partes continui esse vnitas indiuisibilibus. Tertio pro forma, à qua extrema denominantur formaliter vnita: cum enim ab vnione sumpta pro vnitione extrema, non denominantur vnita, sed efficienter vniri; ab vnione verò sumpta pro nexu, in quo, seu medio quo aliqua extrema copulantur, etsi extrema denominantur vnita, sed non formaliter, sed fundamentaliter, non secus, ac duo alba ab vnitate in albedine, etsi denominantur similia, sed non formaliter, sed fundamentaliter, ideo necessario præter hunc nexum in quo, seu medio quæ partes copulantur, ponenda est aliqua alia forma, à qua prædictæ partes formaliter denominantur vnitæ, non secus, ac in duobus albis præter vnitatem in albedine constituunt Peripatetici aliam formam, à qua prædicta alba formaliter similia denominantur.

3 His suppositis, sunt aliqua certa, in quibus conueniunt auctores, & aliqua, quæ ab ipsis in dubium reuocantur. Pri-

imum certum est, omnes partes, tam integrales, quam essentialis vniri per aliquod ipsis superadditum ab ipsis realiter distinctum: quod his duabus rationibus conuincitur manifestè. Prima; impossibile est, quòd aliquid de nouo aliter realiter se habeat, ac antea se habebat sine noua entitate reali ei superaddita (nam idè in quantum idem semper est natum facere idem) sed partes entis naturalis, tam integrales, quam essentialis, aliter realiter se habent, dum sunt vnitæ, ac antè vnionem se habebant: ergo vnio, qua vniantur, entitas realis est, eis de nouo superaddita, & cõsequenter ab eis realiter distincta.

4 Secunda: quando aliqua sic se habent, vt vnum possit existere, sine alio (si aliàs vtrūque est entitas positua) est signum euidēs distinctionis realis inter illa iuxta illud Arist. 7. Metaph. cap. 1. *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Sed partes entis naturalis, tam integrales, quam essentialis, existere possunt sine vnione (saltem de potētia absoluta) ergo signum euidens est distinctionis realis inter partes, & vnionem.

5 Secundum certum est, ad vnionem partium entis naturalis, tam integralium, quam essentialium præexigi vnionem, id est, aliquam actionem, seu influxum, quo mediante vnio,

vnio, seu coniunctio prædictarum partium egrediatur à sua causa efficiēti. Et ratio est, quia vnio, seu coniunctio partium (vt dictum est) est entitas realis superaddita, & de nouo producta in ipsis partibus. Sed omnis entitas realis, & de nouo producta præexigit necessario aliquam actionē, seu influxum, quo mediante à sua causa efficiēte egrediatur: ergo & vnio, seu coniunctio istarum partium.

6 Tertium certum est, ad vnionem partium integralium entis naturalis homogenei requiri quædam indiuisibilia substantia, quæ sint nexus, in quibus, seu quibus medijs partes illius coniungantur, & quæ sint termini formales, & vt quo influxus, seu actionis vnitiuæ prædictorum partium. Et probari potest primo à simili de vnione partium integralium continui (cui in omnibus vnio partium integralium entis naturalis homogenei assimilatur) ad quā in sententia omnium Peripateticorum requiruntur prædicta indiuisibilia, quæ sint nexus, in quibus, seu quibus medijs partes illius, coniungantur, & cõtinuetur: quæ indiuisibilia sunt termini formales, & vt quo influxus, seu actionis vnitiuæ partium continui.

7 Secundo probari potest (& est ratio à priori.) Ad hoc, vt ex cõiunctione plurium resultet vnū per se (quale in omnium sententia est ens naturale com-

positum ex partibus integralibus homogeneis) per se necessarium est, vt hæc plura, vel ad inuicē, vel ad aliud tertium cõparata, se habeant vt per se actus ad per se potentiam (quia neque ex duobus actibus, neq; ex duabus potentijs; imò neq; ex per accidens actu, & per accidens potentia resultare potest vnum per se) sed partes integrales entis naturalis homogenei ad inuicē cõparata non se habent, vt per se actus ad per se potentiam: (vt ex se perspicuum est) ergo in hac compositione præter partes assignandum est aliquod tertium distinctum à partibus, respectu cuius partes se habeant, vt per se potentia, & ipsum respectu partium, vt per se actus; quod etfi non intret in talē compositionē, vt pars cõponens; intrat tamen vt nexus prædictarum partium potentialitatem ipsarum, quam ad vnionem habent, modaliter actuando. Sed talia sunt hæc indiuisibilia substantialia assignata: ergo dicendum est, ad vnionem partium integralium entis naturalis homogenei requiri quædam indiuisibilia substantia, quæ sint nexus, in quibus, seu quibus medijs partes illius cõiungantur, & quæ sint termini formales, & vt quo influxus, seu actionis vnitiuæ prædictarum partium.

8 Primum, quod in dubium reuocatur inter auctores, est, an ab istis indiuisibilibus partes

denominetur formaliter vnitate, an verò præter hæc indiuisibilia assignanda sit alia entitas, à qua formaliter vnitas denominetur? Nominales, & alij auctores, qui (vt vidimus in Logica cap. de ad aliquid disp. 1. q. 1. & disp. 2. q. 3.) negant, dari relationes, quæ sint entitates reales superadditæ, & distinctæ à fundamentis, consequenter docent, prædictas partes integrales denominari formaliter vnitas ab istis indiuisibilibus, & non ab aliqua relatione, quæ sit entitas realis superaddita, & distincta à prædictis indiuisibilibus.

9 Tamen nos, qui cum Aristotele Platone, Scoto, D. Th. cæterisque Peripateticis Doctoribus locis citatis affirmauimus, dari relationes, quæ sint entitates reales (superadditæ, & distinctæ à fundamentis, consequenter dicimus, prædictas partes integrales à prædictis indiuisibilibus non denominari formaliter vnitas, sed solum fundamentaliter, ac per consequens assignandas fore relationes vnionis, quæ sint entitates reales superadditæ, & distinctæ à prædictis indiuisibilibus, à quibus prædictæ partes formaliter denominentur vnitate.

10 Et ratio huius doctrinæ est, quia denominatio vnitarum est denominatio relatiua, cum consistat in habitudine ad aliud; & insuper est denominatio realis, & intrinsecè affi-

ciens ipsas partes: ergo provenire debet à formis, quæ sint relationes reales, & intrinsecè afficientes ipsas partes. Sed indiuisibilia substantialia non sunt relationes, sed potius quid absolutum, spectans reductiuè ad prædicamentum substantiæ: ergo præter hæc indiuisibilia ponendæ sunt in partibus relationes vnionis, quæ sint entitates reales superadditæ, & distinctæ ab ipsis indiuisibilibus, atque intrinsecè afficientes ipsas partes, à quibus, tanquam à formis, prædictæ partes formaliter vnitate denominentur.

11 Rogabis, an istæ relationes vnionis sint intrinsecè, extrinsecè, vel aduenientes? Respondetur, relationes vnionis, à quibus quælibet pars integralis denominatur alteri parti vnitate, esse intrinsecè aduenientes, cum non producantur per se, sed resultent inter partes ad productionem indiuisibilis substantialis, in quo, seu quo medio partes copulantur; fundarique in vnitate indiuisibilis, in quo, seu medio quo partes copulantur; non secus, ac relatio similitudinis inter duo alba fundatur in vnitate albedinis, quæ participant prædicta alba; & sic reduci ad primam genus relatiuorum ex tribus, quæ in hoc prædicamento ex diuersitate prædicamentorum formalium enumerauit Aristoteles.

12 Et dixi notanter alteri parti vnitate; nam, si sermo sit de relationi-

nibus vnionis, quibus quælibet pars denominatur vnitate, non alteri parti, sed indiuisibili, in quo, seu quo medio partes copulantur; cum hoc indiuisibile comparatur ad partes, vt actus modalis per se actuans potentialitatem, quæ habent partes ad hoc, vt inter se vniantur, philosophandum erit de his relationibus vnionis eodè pacto, ac dubio sequenti philosophabimur de relationibus vnionis, quæ versantur inter partes essentielles entis naturalis, scilicet, inter materiam, & formam.

13 Secundum, & præcipuum, quod in dubium reuocatur, est, an sicut in vnione partium integralium entis naturalis homogenei præter influxum, seu actionem vnitiuam partium; & præter relationes reales vnionis, constituiamus quosdam modos substantiales, scilicet, indiuisibilia, in quibus, seu quibus medijs prædictæ partes inter se neantur, & copulantur, quæ sunt termini influxus, seu actionis vnitiuæ, & fundamentum proximam relationum realium vnionis; ita in vnione partium essentialium entis naturalis (quales sunt materia, & forma) præter influxum, seu actionem vnitiuam partium, & præter relationes reales vnionis constituedus sit aliquis modus substantialis, in quo, seu medio, quo prædictæ partes connectantur; qui modus sit terminus influxus, seu actionis vnitiuæ istarum partium, & fundamentum pro-

ximum relationum vnionis? 14 Et ratio dubitandi pro parte negatiua est, quia, quando duo extrema ad invicem comparata se habent, vt actus, & potentia, impertinenter queritur ad ipsorum vnionem aliquod tertium absolutum, etiam modale, quod gerat rationem nexus, in quo, seu medio quo prædicta extrema coniungantur, seu copulentur; nam, cum prædicta extrema apta nata sint se ipsis immediate coniungi, sufficiens erit ad hoc vt dicantur efficienter vniri, influxus seu actio vnitiua ad ipsa extrema (inquantum sua munita, seu causalitates actus, & potentie exercent) terminata; & ad hoc, vt dicantur formaliter vnita, quod per relationem vnionis (in ipsis per influxum, seu actionem vnitiuam productam) actu referantur. Sed partes essentielles entis naturalis (scilicet, materia, & forma) sunt extrema, quæ ad invicem comparata se habent, vt actus, & potentia: ergo ad ipsarum vnionem impertinenter requiritur aliquod tertium absolutum ab ipsis realiter distinctum, adhuc modale, quod gerat rationem nexus, in quo, seu medio, quo prædictæ partes coniungantur, & copulentur.

15 Et confirmatur: nam ideò num. 7. dicebamus ad vnionem partium integralium entis naturalis homogenei requiri quædam indiuisibilia substantialia distincta ab ipsis partibus, quæ sint nexus, in quibus, seu quibus

medijs prædictæ partes coniunguntur, quia prædictæ partes ad invicem comparatæ non se habent, ut per se actus ad per se potentiam, sicut se habent prædictæ partes comparatæ ad indivisibilia substantialia. Sed partes essentialiales (materia, scilicet, & forma) ad invicem comparatæ se habent, ut per se actus ad per se potentiam: ergo ad ipsarum unionem nullatenus necessarium erit, præter influxum, seu actionem unitivam, & relationes unionis, aliquod tertium absolutum ab ipsis distinctum, adhuc modale, quod sit nexus, in quo, seu quo medio prædictæ partes coniungantur, seu copulentur.

16 Vergetur amplius; nam in compositione partium integralium entis naturalis homogenei non solum partes denominantur unitæ: medijs illis indivisibilibus substantialibus, sed etiam ipsa indivisibilia verè, & ut quod denominantur unita ipsis partibus per relationem unionis diuersa ab ipsis, imò & à relatione unionis, qua denominantur partes unitæ; cum ista versetur inter partes; illa autem inter indivisibilia, & partes: ergo, si ad unionem extremorum, quæ se habent, ut actus, & potentia non sufficit influxus, seu actio unitiva, & relatio unionis, quæ in extremis per tale influxum, seu actionem unitivam producat, sed adhuc necessaria est aliqua entitas modalis ab extremis distincta, quæ sit nexus, in quo, seu medio quo extrema copulen-

tur, & terminus influxus, seu actionis unitivæ, & fundamentum proximum relationis unionis, sequitur evidenter, ad unionem indivisibilium cum partibus integralibus entis naturalis. etiam non sufficere influxum, seu actionem unitivam, qua media hæc indivisibilia cum partibus integralibus casualiter uniantur; & relationem unionis, à qua formaliter unita denominantur; sed etiam prærequiri aliquam aliam entitatem modalem distinctam, quæ sit nexus, in quo, seu medio quo prædicta indivisibilia cum partibus copulantur, & terminus illius influxus, seu actionis unitivæ, atque fundamentum proximum unionis, quæ resultat inter indivisibilia, & partes integrales. Cum ergo hoc nullus admittat, neque admittere possit (nā daretur processus in infinitum) necessarium fatendum est, ad unionem extremorum, quæ se habent, ut actus, & potentia, prædictam entitatem modalem distinctam ab extremis, quæ sit nexus, in quo, seu medio quo extrema coniungantur, nullatenus requiri; sed sufficere influxum, seu actionem unitivam, & relationes unionis in extremis productas per influxum, seu actionem unitivam.

17 Neque obstat vulgaris solutio, scilicet, quod sicut quantitas, quæ facit quantitativè extensam substantiam, non indiget aliquo alio, quo ipsamet quantitativè extensa sit, eò quod ipsa quantitas essentialiter est extensa: & sicut actio, qua effectus ha-

habet, quod sit dependens à sua causa, non indiget alia actione, per quam ipsa sit dependens; eò quod ipsa est essentialiter dependens; ita hæc indivisibilia, etsi sint vinculum, seu nexus in quo, seu medio quo partes integrales coniunguntur; non tamen indiget aliquo alio vinculo, seu nexu, in quo, seu medio, quo ipsa partibus copulentur; eò quod prædicta indivisibilia essentialiter sunt vinculum, seu nexus. Hoc, inquam, nihil obstat; nam etsi optimè his instantijs probetur, ad unionem horum indivisibilium cum partibus integralibus non requiri aliquid distinctum ab eis, quod sit vinculum, seu nexum, in quo, seu medio, quo ipsa indivisibilia cum partibus copulentur; quod in rationibus istis dubitandi libenter admittitur: imò hoc est præcipuum, quod intendunt probare non solum de unionem horum indivisibilium cum partibus integralibus, sed de unionem quorumcumque extremorum, quæ ad invicem comparata se habent, ut actus, & potentia. Tamen minimè destruitur hoc, quod hæc ultima confirmatio assumebat, scilicet, indivisibilia hæc verè denominari formaliter unita ipsis partibus integralibus, non ut quo, & per se ipsa, sed ut quod, & per relationes, quæ sint entitates ab ipsis indivisibilibus distinctæ; siquidem stando in instantijs adductis necessarium erat ad hoc, ut se ipsis, & ut quo

denominarentur partibus unita, quod ipsa indivisibilia essent essentialiter uniones, non secus, ac quantitas est essentialiter extensa; & actio (sumpta materialiter) est essentialiter dependens: quod nullatenus contingit; cum unio essentialiter sit relatio; hæc autem indivisibilia essentialiter sint quid absolutum. 18 Stante verò prædicta distinctione relationis unionis (à qua indivisibilia denominantur unita partibus) ab ipsis indivisibilibus, optimè concluditur ultima confirmatio, aut admitenda fore extrema, quæ verè ut quod denominentur unita se ipsis, & absque interuentu alicuius entitatis absolutæ ab ipsis distincta, quæ sit vinculum in quo, seu medio, quo copulantur, illa scilicet, quæ ad invicem comparata se habent, ut actus, & potentia; vel, si necessariò requiritur hoc vinculum in omni vera unionem extremorum, quod sit terminus influxus, seu actionis unitivæ, & fundamentum proximum relationis unionis, ponendum esse in unionem indivisibilium cum partibus integralibus; siquidem hæc indivisibilia verè, ut quod denominantur unita partibus integralibus: imò ratione istius unionis, quā habent partes in indivisibilibus resultat, quod ipse dicatur unitæ inter se. 19 Propter has rationes dubitandi verissima mihi apparet sententia Scoti, qui in 3. d. 1. q. 1. §. Sed circa istum articulum, &

sequentibus defendit, ad vnionem extremorum, quæ se habent, vt potentia, & actus, siue actus sit terminans (vt est personalitas diuini Verbi in vnione hypostatica, qua natura humana fit vnita diuino Verbo) siue actus sit informans (vt contingit tam in vnione formæ substantialis cum materia, quam formæ accidentalis cum subiecto) non requirit aliquam entitatem absolutam, adhuc modalem distinctam ab extremis, quæ sit nexus, in quo, seu medio, quod extrema copulentur, sitque terminus influxus, seu actionis vnitiuæ, & fundamentum proximum relationis vnionis, à qua extrema denominantur formaliter vnita; sed prædicta extrema immediatè copulari, denominarique vniri effectiuè, & in fieri ab influxu, seu actione vnitiua ad ipsa extrema (in quantum sua munera, seu causalitates actus, & potentiæ exercent) terminata; vnita verò quasi in facto esse, & formaliter à relatione vnionis; qua actu referuntur; quæ relatio, cum non sit ex intrinsecis aduentibus, sed ex aduentibus extrinsecè (vt docet subtilis Doctor loco citato, §. *Ad illud*, & in 4. d. 12. q. 1. §. *Ad questionem*, litter. C.) non resultat necessariò ad positionem fundamenti, & termini in actuali existètia, sed per influxum, seu actionem vnitiuam extremorum producitur in extremis,

quæ per ipsam referuntur.
20 Nec solius Scoti est hæc sententia, nam ipsam etiam defendunt omnes eius interpretes, Philippus Faber in 3. disp. 3. capit. 2. Rada ibidem controuersia 3. artic. 4. & ex alijs Durandus in 3. d. 5. quæst. 2. Et quantum attinet ad hoc, quod extrema, quæ se habent, vt potentia, & actus, se ipsis immediatè coniungantur, & non mediante aliqua entitate absoluta, est recepta inter famosiores Thomistas; nam ipsam defendunt Caiet. & Medina super 3. partem quæst. 2. Albarrez ibidem disp. 13. & probabilem reputat Lorca, tomo de Incarnatione disput. 13. & videtur expressa Diui Tho. non solum q. 2. citata artic. 7. sed etiam in 3. d. 2. q. 2. art. 1. vbi ponit hæc verba. *In vnione humane nature ad diuinam, nihil potest cadere medium formaliter vnionem causans, cui per prius humana natura coniungatur, quam diuinam; sicut inter materiam, & formam nihil cadit medium inesse, quod prius sit in materia, quam forma substantialis.*

21 Est præterea conformis menti Aristotelis, qui 2. de Anima text. 2. & alibi sæpè agens de compositione essentiali entis naturalis, solum meminit materiæ, & formæ. Si autem, præter materiam, & formam, necessarius esset aliquis modus, qui foret vinculum, seu nexus, in quo, seu medio,

quo

quo prædictæ partes coniungerentur, sicut necessarius est in compositione totius integralis, & similiter in compositione continui, absque dubio illius meminisset, sicut mentionem fecit indiuisibilibus totius integralis, & continui.
22 Non me latet, sententiam istam (præsertim vt ex mente Scoti explicata est) multis recentioribus difficilem apparuisse. Primò, quia (vt in ea supponitur) relatio vnionis, à qua extrema hæc (siue sint materia, & forma, siue natura humana, & persona Verbi, siue accidens, & subiectum) formaliter denominantur vnita, non resultat expositione alicuius fundamenti, & termini, sed producitur per actionem vnitiuam: quod videtur expressè contra Aristotel. 5. Physicorum cap. 1. & 2. vbi docet, ad relationem non dari per se morum, sed resultare ex positione fundamenti, & termini.

23 Secundò, quia si per actionem vnitiuam, qua anima rationalis, v. grat. vnitur corpori, producitur relatio vnionis; & similiter per actionem vnitiuam, qua in Incarnatione natura humana vnitur diuino Verbo, producitur relatio vnionis, sequeretur, tam actionem generatiuam hominis, quam actionem Incarnatiuam sumptas materialiter (id est, pro

re acta in fieri) fore appellandas actiones, non substantiales, sed accidentales; siquidem res acta per ipsas non esset substantia, sed accidens, scilicet, relatio vnionis, quæ est accidens prædicamentale.

24 Tertio, quia si vnio, à qua tam materia, & forma substantialis, quam natura humana, & diuinum Verbum denominantur vnita, non est aliquis modus substantialis, sed potius relatio secundum esse, & prædicamentalis, sequeretur, quod neque materia ad formam substantialem, neque natura humana ad diuinum Verbum denominarentur vnita substantialiter, sed potius accidentaliter: quod non solum est falsum, sed etiam vltimum est error Nestorianus; & sic in 5. synodo generali collat. 8. cap. 4. damnatur, qui dixerit, naturam humanam fuisse vnitam diuino Verbo secundum accidens, aut secundum relationem. Sequelam probant, quia nihil magis accidentaliter vnitur, quam illud, quod denominatur formaliter vnitum à forma, quæ sit accidens. Quod sic confirmari solet. Extrema ista denominantur vnita à relatione vnionis. Sed relatio vnionis est accidens: ergo extrema ista denominabuntur vnita accidentaliter. Consequentia tenet ex illa regula prædicamentali, *Quidquid prædicatur de alio tanquam de inferiori,*

si, prædicabitur de quolibet contento sub illo.

25. Quarto, quia cum homo, vel equus includant essentialiter unionem partium, si unio esset relatio prædicamentalis, cum omnis relatio prædicamentalis sit accidens, sequeretur, quod homo, vel equus includeret aliquod accidens essentialiter; quod est absurdum.

26. Propter has ergo difficultates recentiores isti oppositum sententiæ Scoti, & aliorum, quam nos verissimam appellauimus, amplexati sunt, scilicet, ad unionem materiæ, & formæ, & similiter ad unionem naturæ humanæ ad diuinum Verbum præter influxum, seu actionem unitiuam, & præter relationem unionis requiri quemdam modum substantialem, qui sit vinculum in quo, seu medio, quo extrema ista copulentur, sitque terminus actionis unitiuæ, atque proximum fundamentum relationis unionis; & dissidium est inter ipsos, an in unionem materiæ, ac formæ ponendi sint duo modi, vnus in materia, & alius in forma? An tantum vnus sufficiat? & si vnus sufficit, in quo horum extremorum sit collocandus; an in materia, an in forma? (Quod dissidium non parum conuincit, modum, seu modos istos superfluos, & fictitios esse. Ita philosophantur Sua-

rez super 3. partem tomo 1. disp. 8. sect. 3. Vazquez ibidem disp. 18. cap. 3. Curfus Carmealitanus disp. 6. q. 2. §. 2. Rubius tractat. 4. q. 6. Hurtado disp. 5. physica, Caberustract. 1. disp. 5. Martinius disp. 3. q. 3. & plures alij.

27. Sed non est, cur propter istas obiectiones à verissima sententiæ Scoti. recedamus; nam ad primam optimè respondet Scotus loco citato, §. *Ad aliud*, illud dictum Arist. *ad relationem non est per se motus, neque mutatio*, esse verum, & intelligendum de relationibus intrinsecus aduenientibus, quæ sunt, de quibus ipse loquebatur. Cum enim hæc necessariò resultent ex positione fundamenti, & termini, hinc est, vt motus, vel mutatio per se non tendat ad ipsas, sed ad fundamentum, & terminum, ex quorum positione necessariò resultant; non verò esse verum, aut intelligendum de relationibus extrinsecus aduenientibus, vt sunt relationes unionis inter materiã, & formã, inter naturã humanam, & personã Verbi, inter accidens, & subiectum, & in vniuersum inter extrema, quæ se habent vt actus, & potentia. Cum enim huiusmodi relationes non resultent necessariò ex positione fundamenti, & termini, exigitur quidem motus, vel mutatio, per quam in extremis producitur; vt latius ostendimus in Logica cap. de sex

sex vltimis præd. disp. vn. q. 1. 28. Ad secundum dicimus, quod, cum per actionem, qua anima rationalis vnitur corpori, non solum producatur unio, sed etiam producatur homo, qui ex unione animæ, & corporis resultat; imò hic sit terminus ad quẽ primò, & per se tendit actio (nã ad unionem solum tendit quasi per accidens, & in quantum est conditio præuie requisita ad hoc, vt ex anima, & corpore resultat homo) non rectè infertur, actionem generatiuam hominis (sumptam materialiter, & prout idẽ est, quod res acta in fieri) esse accidentalem, & non substantialem; nã etiã si unio formaliter sumpta accidens sit, tamen homo, qui est terminus, in quem primò, & per se tendit hæc actio, & consequenter, à quo debet sortiri denominationem substantialem, vel accidentalem, non accidens, sed substantia est. Et idem dicimus ad instanciam de actione Incarnatiua; cum hæc etiã non terminetur solum ad unionem naturæ humanæ ad diuinum Verbum, sed etiam ad Christum, qui ex unione naturæ humane ad diuinum Verbum resultat; imò Christus Dominus sit terminus, ad quem primò, & per se tendit actio Incarnatiua; unio verò naturæ humane ad diuinum Verbum solum quasi per accidens, & in quantum est conditio præuie requisita ad hoc, vt ex unio-

ne humane naturæ ad diuinum Verbum resultat Christus. 29. Ad tertium respondetur, ad iudicandum, an aliqua extrema sint vnita substantialiter, an accidentaliter solum esse attendendam unitatem illius, quod ex unione extremorum resultat; non verò naturam formæ, à qua formaliter denominantur vnita; aliàs nulla extrema possent esse, & denominari vnita substantialiter; siquidẽ semper, & in omni euentu forma, à qua extrema denominantur formaliter vnita, est relatio secundum esse, & prædicamentalis, & consequenter accidens. Vndè, cum ex unione materiæ, & formæ substantialis resultat vnus in natura substantialem, scilicet, lignum, ignis &c. & ex unione naturæ humane ad diuinum Verbum resultat vnus in persona substantialem, nihil profectò obstare poterit ad hoc, vt prædicta extrema dicantur vnita substantialiter; quòd à forma, à qua denominantur vnita, non sit substantia, sed accidens, scilicet, relatio secundum esse, & prædicamentalis.

30. Et ex his patet ad confirmationem; admissa enim maiori, & minori negamus consequentiam; & ad probationem illius dicimus, illam regulam antepædicamentalem (*quidquid predicatur de aliquo, tanquam de inferiori, predicabitur de quolibet contento sub illo*) in-

intelligentiam esse de quolibet contento sub illo in recta linea prædicamentali, & consequenter de prædicatione quidditatiua, & essentiali: quod non contingit in proposito, nam neque materia, & forma; neque natura humana continentur sub vnione in recta linea prædicamentali; neque de eis prædicatur vnio quidditatiuè, & essentialiter, sed potius denominatiuè, & accidentaliter.

31 Porro solum esse attendendam vnitatem illius, quod ex vnione extremorum resultat, & non naturam formæ, à qua formaliter denominantur vnita, ad iudicandum, an aliqua extrema sint vnita substantialiter, an accidentaliter (ne forte alicui voluntariè assumptum appareat) probari potest duabus instantijs, vna Theologica, Philosophica altera. Theologica desumitur ex Patribus, & Concilijs, quæ dum determinant contra Nestoriū, vnionem naturæ humanæ cum diuino Verbo esse substantialem, & non accidentalem, id non deducunt ex eo, quod forma à qua denominantur vnita, sit substantia, & non accidens; (Hoc enim, neque disputant, neque declarant: nam ad hoc intentum per accidens est, quod sit substantia, vel accidens.) Sed ex hoc, quod resultans ex vnione naturæ humanæ ad Verbum fuit vnum in hypostasi, seu persona substantiali, &

non duæ personæ, quæ solum essent vnum in affectu, aut alio simili accidenti ex his, quæ ponebat Nestorius. Quod non solum notarunt discipuli Scoti supra citati, sed etiam D. Th. 3. p. q. 2. artic. 6. in corpore, & solutione ad 2. & 3. & Vazq. tomo 1. super 3. partem disp. 18. num. 30. & 31.

32 Philosophica desumitur ex relatione identitatis, à qua Petrus, & Paulus denominantur idem in substantia, seu essentia, quæ relatio, etiam si in omni sententia sit secundum esse, & prædicamentalis, & consequenter accidens; nihilominus ab ipsa Petrus, & Ioannes denominantur formaliter idem substantialiter; eò quod illud, in quo identificantur, est vnum substantialiter cum ipsis, scilicet, quidditas, & essentia ipsorum. Peperam ergo aduersarij ex eo, quod vnio, à qua materia, & forma substantialis, qua natura humana, & diuinum Verbum denominantur formaliter vnita, ponatur accidens, inferre contendunt, extrema ista denominanda esse vnita accidentaliter.

33 Ad quartum negamus assumptum (non obstante, quod Hurtado disp. 6. physica sect. 3. luce clariùs appareat) scilicet, hominem, & equum. (Et idem est iudicium de quocunque ente naturali) includere essentialiter, & quidditatiuè vnionem partium. Licet enim ad

ad esse, & conseruari tam hominis, quàm equi, aut cuiuscunque alterius entis naturalis requiratur vnio partium essentialium, sed non vt quid intras in esse essentialiter, & quidditatiuum ipsorum, sed vt conditio præuia per se, & necessariò requisita ad hoc, vt entitas illa physica, à qua desumitur essentia, & quidditas ipsorum, fiat, & conseruetur. Ita docuit Scotus in 3. d. 2. q. 2. infine, §. *Quantum ad tertium.*

34. Imò addo ita errare, qui dicunt hominem, vel equum, aut quodcumque aliud ens naturale includere essentialiter, & quidditatiuè vnionem partium, sicut erraret, qui diceret, hominem, vel equum, aut quodcumque ens naturale includere essentialiter, & quidditatiuè causalitates fundamentales, & remotas materiæ, & formæ; (quæ communiter receptio formæ, & informatio materiæ solent nunc pari) nam relationes transmutati ad transmutas formaliter, & transmutatis formaliter ad transmutatum, & similiter relationes recipientis subiectiuè formam ad ipsam formam receptam, & informatam formaliter materiam ad ipsam materiam informatam, omnino coincidunt cum relationibus vnionis, à quibus materia, & forma denominantur formaliter vnita: (vt statim declarabo.) Et hinc nõ solum inferes, quàm falso nitatur fun-

dam ento Martinius disp. 3. q. 3. *Discutiendo* 2. ad probandum distingui receptionem formæ in materia ab vnione materiæ cum forma; (hoc enim ibi colligit ex eo, quod vnio materiæ cum forma est de essentia compositi substantialis, secus verò receptio formæ in materia) (sed etiam concludes esse ita imperceptibile, quod receptio formæ in materia, & vnio materiæ ad formam adinuicem separentur (vt prædictus auctor *Discutiendo* 3. & 4. posse realiter separari sustinet) ac est imperceptibile, quod idem separetur à se ipso: siquidem ab eadē prorsus relatione, à qua formaliter denominatur materia recipiens formam, denominatur etiam formaliter ei vnita.

34. Sed obijcit Hurtado. Sicut esse album est effectus formalis albedinis, ita esse compositum est effectus formalis compositionis, seu vnionis: (compositio enim, & vnio, inquit Hurtado, idem sunt) ergo sicut albedo est de essentia huius compositi, album, ita compositio, seu vnio erit de essentia compositi, quod ex compositione, seu vnione materiæ, & formæ resultat. Friuola quidem obiectio, & qua (si vim haberet) probarem ego contra Hurtado, generationem esse de essentia rei genitæ, scilicet, hominis, & productionem esse de essentia rei productæ, scilicet, caloris; si-

siquidem *esse genitum* in homine ita est effectus formalis generationis, & *esse productum* in calore ita est effectus formalis productionis, ac *esse compositum* in ente naturali est effectus formalis compositionis, & *esse album* in subiecto est effectus formalis albedinis.

36 Quod si respondeas pro Hurtado, *esse genitum in homine*, & *esse productum* in calore non esse effectus formales generationis, & productionis, sumptis generatione, & productione pro causalitatibus, seu influxibus, quibus medijs tamen homo, quam calor dependet à causa generante, vel producete, sed sumptis pro relationibus geniti, & producti, quæ resultant in homine, & calore ex eo quod sint termini prædictarum causalitatum, seu influxuû, accipiam liberissimè. (In hoc enim veritatem Scoticam attingis.) Sed cõsequenter ego dicam, *esse compositum, seu unitum* in ente naturali non esse effectum formalem compositionis, seu vnionis partium, sumpta compositione, seu vnione pro causalitatibus, quibus medijs ens naturale dependet à materia, & forma, tanquam à causis intrinsecis, sed relationis intrinsecus aduenientis compositi, seu uniti, quæ resultat in ente naturali ex eo, quod sit terminus prædictarum causalitatum, materiae, & formæ: ergo vel non habet vim huius auctoris

obiecctio, vel concludit etiam contra ipsum, generationem, & productionem (siue sumantur pro causalitatibus, siue productionibus intrinsecus aduenientibus) esse de essentia, & quidditate hominis geniti, & caloris producti.

37 Respondemus ergo ad obiectionem (non solum pro nobis, sed etiam si placet, pro Hurtado) admittendo, quod sicut in subiecto *esse album* est effectus formalis albedinis, ita in ente naturali *esse compositum* est effectus formalis compositionis, seu vnionis, & in homine *esse genitum*, & in calore *esse productum* est effectus formalis generationis, & productionis (siue compositionem, generationem, & productionem sumas pro causalitatibus, siue, quod verius est, pro relationibus intrinsecus aduenientibus, quæ in re composita, genita, vel producta resultant ex eo, quod terminant prædictas causalitates.) Tamen dicimus, quod sicut ex eo, quod in subiecto *esse album* est effectus formalis albedinis, solum inferatur, albedinem esse de essentia albi, sumpto *albo* formaliter, & pro per se significato, non verò sumpto *albo* materialiter, & pro denominato, qua ratione dicit subiectum; ita ex eo quod in ente naturali *esse compositum* sit effectus formalis compositionis, seu vnionis; & in homine *esse genitum* sit effectus forma-

lis

lis generationis; & in calore *esse productum* sit effectus formalis productionis, solum sequitur, cõpositionem, seu vnionem, & similiter generationem, & productionem esse de essentia cõpositi, geniti, & producti formaliter sumptorû, & pro per se significatis eorû; nõ verò sumptorû materialiter, & pro eorû cõnotatis; qua ratione *cõpositum* dicit ens naturale, *genitum* dicit hominem, & *productum* dicit calorem: sicut enim *album* est nomen cõcretum accidentale pro formali, & per se significato dicens albedinem, & pro materiali, & connotato subiectum; ita *compositum, genitum, & productum* sunt nomina concreta accidentalia pro formali, & per se significato: importantia relationes intrinsecus aduenientes *compositi, geniti, & producti*, & pro materiali, & connotato *ens naturale, hominem, & calorem*.

38 Et hinc intelligetis, quomodo sit verum, & intelligendum id, quod obijcit idè Hurtado, scilicet, compositum nõ posse intelligi sine vnione, seu compositione, sicuti neque album sine albedine, ac per cõsequens sicut albedo est de essentia albi, ita vnio, seu compositio de essentia compositi: est enim verum de composito pro formali, & pro per se significato, non verò pro materiali, & denominato; nam sicut *album* pro materiali, & denominato (scilicet, subiectum

albedinis) intelligi, & diffiniri potest essentialiter, & quidditatiuè sine albedine, ita *compositum naturale* sumptum pro materiali, & denominato intelligi, & diffiniri quidditatiuè potest sine relatione compositionis, seu vnionis, quam compositum naturale dicit pro formali, & per se significato; vt patet in hac definitione hominis (qui est compositum naturale pro materiali, & denominato): *homo est animal rationale*.

39 Manet ergo perspicuum id, quod in solutione quartæ obiectionis assumpsimus, scilicet, hominem, & equum, & in vniuersum omne ens naturale, quod denominatur compositum ex materia, & forma, non includere essentialiter, & quidditatiuè vnionem; sed esse, vel conditionem præuiam per se, & necessariò requisitam ad hoc, vt entitas illa physica, à qua delimitur essentia, & quidditas ipsorum, fiat, & conseruetur, vel esse accidens posterius, & superadditum ipsis entibus naturalibus; non secus, ac est ratio geniti in homine, & ratio producti in calore.

40 Sed dices: Si relationes vnionis, à quibus materia, & forma, & in vniuersum omnia illa extrema, quæ se habent, vtræque, & potentia, denominantur formaliter vnita, sũt relationes extrinsecus aduenientes, ad quod nõ ex se vltimis prædicamentis erit reducendæ? Nã relationes extrinsecus

ad:

aduenientes fore collocandas in aliquo ex sex ultimis prædicamentis, & docuit Scotus locis citatis num. 19. & constat ex discussis in Logica cap. de sex ultimis prædicamentis disp. vnic. q. 1.

41 Respondetur, relationem vnionis, à qua materia (& in vniuersum omne illud extremum, quod se habet, vt potentia receptiua) denominatur vnita, spectare ad prædicamentum passionis, sumpta passione non pro relatione passi, seu trãsmutati ad transmutans efficiēter, quale est agens, sed pro relatione passi, seu trãsmutati ad transmutans formaliter, quale est forma, seu actus: relationem verò vnionis, à qua forma (& in vniuersum omne illud extremum, quod se habet vt actus potentia receptiua) denominatur formaliter vnita, spectare ad prædicamentum actionis, sumpta actione, non pro relatione transmutantis efficiēter, quale est agens, ad transmutatum; sed pro relatione transmutantis formaliter, quale est forma, seu actus, ad transmutatum. Ita Scotus in 4. d. 12. q. 1. §. Ad quæstionem, lit. C. loquens de relatione vnionis, à qua accidens, & subiectū denominantur formaliter vnita, quæ communiter inhærentia nuncupatur.

42 Et ratio est, quia relatio vnionis, à qua materia (& in vniuersum omne illud extre-

um, quod se habet vt potentia receptiua) denominatur formaliter vnita, nihil aliud est in materia, quam relatio trãsmutati ad transmutans formaliter; quæ etiam solet appellari relatio recipientis, seu patientis ad formam receptam, seu à qua patitur. Et similiter relatio vnionis, à qua forma (& in vniuersum omne illud extremum, quod se habet, vt actus potentia receptiua) denominatur formaliter vnita, quæ nihil aliud est in forma, quam relatio trãsmutantis formaliter ad transmutatum; quæ etiam appellari solet relatio informantis, seu actuantis ad subiectum, quod informatur. Sed relationes extrinsecus aduenientes trãsmutati ad transmutans spectant ad prædicamentum passionis; & transmutantis ad trãsmutatum ad prædicamentum actionis: (vt ex discussis in Logica loco citato q. 2. sect. 1. & 2. constat) ergo etiam spectabit ad prædicamentum passionis relatio extrinsecus adueniens vnionis, à qua materia denominatur formaliter vnita formæ; & ad prædicamentum actionis relatio extrinsecus adueniens vnionis, à qua forma denominatur formaliter vnita materiæ.

43 Sed contra istam resolutionem obijciat quis. Ad actionem non datur actio; (vt communis omnium sententia fert) aliàs

aliàs daretur processus in infinitum, sed ad vnionem, à qua forma (& in vniuersum omne illud extremum, quod habet rationem actus potentia receptiua) denominatur formaliter vnita, datur actio (nã, vt dictum est in hac quæstione, est terminus formalis actionis vnitiua); ergo perperam illam in prædicamento actionis collocamus. Respondetur facile, ad actionem (in communi omnium sententia) non dari actionem eiusdem generis, v. g. ad actionem, qua mediante effectus dependet ab efficiente, non datur alia actio efficiētis, qua mediãte prior actio dependeat à causã efficiēte. Item ad actionem, qua mediante effectus dependet à sua causã formali, non datur alia actio formalis, qua mediãte prior actio formalis dependeat à sua formali causã: (aliàs in infinitum procederemus) tamen ad actionem optime potest dari actio diuersi generis absque eo, quod in infinitum procedamus. Et hoc contingit in proposito; nam ad vnionem, à qua formaliter forma denominatur materiæ vnita (quæ est actio causæ formalis) datur actio causæ efficiētis, id est, qua mediante hæc actio formalis dependeat, non à forma, sed ab efficiente inducente formam in materiam.

44 Ex quibus resolui potest

dubium, quod hic exagitari solet, An scilicet, materia, & forma (& in vniuersum extrema, quæ vniantur, vt actus, & potentia) denominentur formaliter vnita vnica tantum relatione vnionis; an potius pluribus? Respondetur enim, denominari formaliter vnita pluribus relationibus; non solum numero, sed etiam prædicamento diuersis; siquidem relatio vnionis, à qua denominatur materia (& in vniuersum omne extremum, quod se habet, vt potetia) formaliter vnita, spectat ad prædicamentum passionis; relatio verò vnionis, à qua denominatur forma (& in vniuersum omne extremum, quod se habet, vt actus) formaliter vnita, spectat ad prædicamentum actionis. Actio, autem, & passio differunt prædicamento.

45 Dixi notanter *formaliter vnita*; quia, vt certum præsuppono, ab eadem numero relatione vnionis posse vtrumque extremum denominari vnitū; vt de facto accidit in hypostatica vnione; vbi ab eadem numero relatione existēte in natura humana, tam ipsa natura humana, quam diuinum Verbum denominantur vnita, sed diuersimodè; nam humanitas, in qua inhæret relatio vnionis denominatur formaliter vnita; Verbum autem diuinum solum terminatiuè. Vnde vt vtrumque extremum non solum

lūm terminatiuē, sed etiā formaliter denominetur vnitum, necessarium erit, quōd in vtroque extremo inhæreat sua propria relatio vnionis: quōd cōtingit semper, quōd vtrumque extremum est quid creatum, & consequenter capax subesse, tam actioni vnitivæ, quam termino per ipsam productō, vt accidit in vnione materiæ, & formæ, atque in vnione subiecti, & accidentis: secus verō in vnione naturæ humanæ ad diuinum Verbum.

QVÆSTIO III.

Vtrum totum per se physicum sit entitas realiter distincta ab omnibus suis partibus simul sumptis, & vnitis?

I Dixi notāter totum Physicum; nā de toto metaphysico actuali, vt est homo, in quantum constat genere, & differentia, non habet locum præsens quæstio; cum partes eius, etsi existant à parte rei in quocumque singulari hominis, sed non vnitæ, sed potius identificatæ realiter, tam inter se, quàm cum toto metaphysico actuali, quod componunt. Et multò minùs potest habere locum de toto potenciali, seu vniuersali, vt est natura humana, prout à nobis consideratur, vt vna apta de pluribus inferioribus prædicari; cum hoc esse totius potentialis non solum non competat naturæ hu-

manæ à parte rei, sed etiam nō consistat in vnione aliqua suarum partium; sed potius in potentia ad hoc, vt de illis prædicetur, quæ illi attribuitur per intellectum.

2 Dixi similiter notanter *totum per se*, quale omnes reputāt, tam totum essentialē, quod ex materia, & forma substantiali coalescit, quàm totum integrale homogeneum, quod ex partibus integralibus, & ex indiuisibilibus continuatiuis ipsas afficientibus, atque earum potentialitatem actuanti- bus constituitur. Nam de toto per accidens (siue dicatur tale per aggregationem plurium entium in actu, vt est cumulus lapidum; siue per vnionē partium, quæ adinuicem comparatæ se habent, vt potentia per accidens, & actus per accidens, vt est totum, quod ex substantia, & forma accidentali coalescit) ita certum est, apud auctores, non esse entitatem aliquam realiter distinctam ab omnibus suis partibus (vel aggregatis, vel accidentaliter vnitis) ac manifestum est, neque ex aggregatione plurium entium in actu, neque ex vnione partium, quæ adinuicem comparatæ se habent, vt potentia per accidens, & actus per accidens, conflare aliquam tertiam naturam, quæ sit vna simpliciter; sed potius conflatum ex eis in esse naturæ esse plura simpliciter, & solum secundum quid

quid vnum, scilicet, vel aggregatione, vel vnione plurium naturarum.

3 Præterea notanter dixi *ab omnibus suis partibus simul sumptis*; nam à qualibet parte seorsim sumpta, perspicuum est, non solum totum per se, sed etiam totum per accidens realiter differre, tanquam includens ab inclusō. Aliàs (sicut obijcit Philosophus text. 18.) vna pars esset idem realiter cum altera; nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Et ratio à priori est, quia totum aliquam rem includit distinctam à qualibet parte seorsim sumpta; homo enim comparatus ad animam includit corpus, quod est res distincta ab anima; & comparatus ad corpus includit animam, quæ est res distincta à corpore: ergo inter totum, & quamlibet eius partem seorsim sumptam aliqua realis distinctio intercedit, illa, scilicet, quæ est per inclusionem rei distinctæ.

4 Denum dixi notanter, & *vnitis*: quia etiam est manifestum ab omnibus partibus simul sumptis, non tamen vnitis totum non solum per se, sed etiam totum per accidens, quod ex vnione partium, quarum vna se habet, vt potentia per accidens, & altera, vt actus per accidens, coalescit, distingui realiter, tanquam includens, & inclusum; quia ad minùs hæc tota supponunt, vel includunt

vnionem partium, quam non supponunt, vel includunt partes simul sumptæ, & non vnitæ. Solum ergo restat quæstio de toto per se physico comparato ad omnes eius partes simul sumptas, & vnitas. Tamen, quia totum per se physicum est in duplici differentia; nam aliud est essentialē, integrale aliud; quæstio prius exagrabatur de toto essentiali, & postea de toto integrali.

SECTIO I.

Discutitur quæstio de toto per se physico essentiali.

5 Prima sententia affirmat, totum per se essentialē physicum non esse aliquam tertiam entitatem ex vnione partium resultantem, sed in vnione partium consistere; ac per consequens prædictum totum non esse entitatem realiter distinctam ab omnibus suis partibus simul sumptis, & vnitis. Ita ex Græcis interpretibus Themistius, Philoponus, Simplicius, Alexander, Eudemus, & Auerroes super hunc librum. Et ex scholasticis Latinis Durandus in 3. d. 2 q. 2. Gregorius, & ceteri Nominales in 1. d. 24. q. 1. art. 1. & videtur expressa non solum D. Th. 4. contra gentes cap. 8. 1. ad 2. vbi dicit, *De humanitate nō est intelligendum, quōd sit quædam forma consurgens ex coniunctione forme ad materiam, quasi realiter sit alia ab vtraque*; sed etiam Scoti 1.

Physicorum, vbi sic loquitur, *Nunc ponitur ista conclusio. Totum est suae partes; ita quod omnes partes simul sumptae sunt ipsum totum.* Quam conclusionem non solum ibi probat Scotus, sed etiam rationibus, quas in contrarium obijcit, satisfacit. Ex recentioribus autem ipsam secuntur Suarez in *Metaphysica*, disp. 36. sect. 3. Hurtado disp. 6. physica sect. 1. Rubius hic in 3. caput q. 1. Patres Carmelitani disp. 6. q. 4. §. 3. Murcia, disp. 2. q. 2. Martinus disp. 4. q. 1. conclusione 5. Caberus tract. 1. disp. 6. dub. 3.

6 Et probant primò auctoritatibus. Nam in primis Arist. 2. de anima cap. 1. text. 9. dicit, *Quemadmodum pupilla, & vitus est oculus, ita anima, & corpus est animal.* Et D. Aug. 7. de Trinitate cap. 4. *Homo nihil aliud est, quam anima, & corpus.* Et D. Athanasius in symbolo, *sicut anima, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus.*

7 Secundò probant; quia, si totum essentiale physicum distingueretur realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, vel distingueretur, vt omninò distinctum, vel vt includens, & inclusum. Non primum; nam dato, quod vnio partium non sit de essentia illius, (vt probauimus q. 2. à numero 33.) saltem negari nequit, partes ad illius essentiam spectare, cum ex eis intrinsecè,

& essentialiter coalescat: esset autem manifesta in terminis implicatio distinguere aliquid omninò, & secundum se totum ab his, ex quibus intrinsecè, & essentialiter coalescit. Neque etiam dici potest secundum; quia, si totum per se essentiale physicum distingueretur realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, tanquam includens, & inclusum, hoc esset, quia, aliquam entitatem realem diceret, quam non dicerent partes eius simul sumptae, & vnitae. Sed nulla entitas realis est excogitabilis, quam dicat totum super partes eius simul sumptas, & vnitas: ergo dicendum est, nullo modo totum per se essentiale physicum distinguui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis.

Minor huius syllogismi varijs vijs ab his auctoribus suadetur.

8. Primò, quia positis partibus, & earum vnione in rerum natura, & seclusa quacumque alia entitate sufficienter ponitur totum: ergo præter partes, & earum vnione nullam aliam realem entitatem includit totum. Et confirmatur à simili de toto per accidens (quale est album, aut quodcumque aliud compositum ex subiecto, & accidenti) quod præter partes, & vnionem ipsarum nil aliud includit: ergo idē fatendū erit de toto per se essentiali physico.

9. Secundò suadetur, quia, si

totum per se essentiale physicum supra partes, & earum vnionem includeret aliquam realem entitatem; hæc entitas, vel esset modus, vel res. Non potest dici, quod sit modus; nam in toto composito nullus modus excogitari potest præter vnionem, qui per se conferat ad constitutionem illius. Et multò minus dici potest, quod sit res; nam si esset res, aut esset accidens, aut substantia; non potest esse accidens; quia (vt supponimus) spectaret ad intrinsecam, & essentialem constitutionem compositi substantialis (quale est totum per se essentiale physicum) quod repugnat accidenti. Neque etiā potest esse substantia; quia, præter materiam, formam, & ipsum compositum, nullam aliam substantiam agnouit Aristoteles.

10. Tertiò suadetur ex inconuenientibus, quæ ex positione talis entitatis realis sequerentur. Primum est, quod totum physicum essentiale non esset vnum per se, sed potius vnum per accidens. Sequela patet; nam, quod aduenit enti in actu, non potest facere cum illo vnum per se (vt est commune proloquium) sed hæc entitas realis adueniret enti in actu; nā adueniret materiæ, non vtrūque, sed vt vnitæ formæ substantiali, qua ratione est ens in actu: ergo totum physicum essentiale, quod ex materia, & forma vnitis, & ex ista entitate

reali superaddita resultaret, non posset esse vnum per se, sed potius per accidens.

11. Secundum inconueniens est, quod in quolibet composito physico essentiali esset duplex compositio essentialis; altera ex vnione materiæ, & formæ, & altera ex materia, & forma vnitis, & illa tertia entitate reali essentiali, quam præter materiam, & formam vnitas includit totum per se essentialē physicum. Imò esset compositio essentialis in infinitum; nam qua ratione resultat tertia entitas ex vnione materiæ, & formæ, eadem deberet resultare alia tertia entitas ex materia, & forma vnitis, & illa tertia entitate essentiali priori, & sic in infinitum.

12. Tertium inconueniens est, quod totum per se essentiale physicum posset per potentiam Dei existere sine suis partibus simul sumptis, & vnitis. Sequela patet, quia omne absolutum (sicut in omni sententia est totum per se essentiale physicum) potest absque implicatione esse sine quocumque alio, à quo distinguitur realiter.

13. His accedit, quod auctores, qui totum per se essentialē physicum à suis partibus simul sumptis, & vnitis realiter distinguunt, ea potissimè ratione aducuntur, quod pro certo habent, partes simul sumptas, & vnitas non esse vnum

simpliciter, sed potius esse plura simpliciter, & vnum secundum quid; totum vero per se essentiale physicum esse vnum simpliciter. At partes simul sumptæ, & vnitæ re vera vnum simpliciter sunt: non est ergo cur ab eis, vt sic, totum per se essentiale physicum realiter distinguant. Probatur assumptum; nam idcirco homo, v. g. vnum simpliciter est, quia constat ex per se potentia, & ex per se actu (vt docet Arist. 2. de anima text. 7. & 8. Metaph. text. 15.) sed illa collectio partium essentialium vnitarum, seclusa quacumque alia tertia entitate, coalescit ex per se potentia, & ex per se actu, ergo est vnum simpliciter. Et confirmatur, quia si vnio partium imperfecta (qualis est, quæ reperitur in compositis artificialibus, v. g. in domo, vel in nauigio, &c.) reddit partes vnum secundum quid, certe vnio partium simpliciter perfecta (qualis est, quæ inter partes essentielles totius physici interuenit) reddit eas vnum simpliciter.

14. His non obstantibus verior, & probabilior est opposita sententia, scilicet, totum per se essentiale physicum non consistere in collectione, & vnione suarum partium, sed in tertia quadam entitate ex collectione, & vnione suarum partium resultante; ac per consequens totum per se essentiale physicum esse entitatem realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, &

vnitis. Hæc est sententia Scoti in 3. d. 2. q. 2. §. *Quantum ad primum concedo*, liter. C. & dict. 2. 2. quæst. vnica, §. *Ad primum argumentum*, liter. L. & 8. Metaph. q. 4. quibus locis prouentior factus id, quod iuuenis docuit in loco physice in fauorem primæ sententiæ adducto retractauit. Scotum secuntur omnes discipuli, Lichetus, & Tartaretus ibidem, & etiam hic vltimus 1. Physicorum in 2. quæsto, §. *Quantum ad secundum*, Maironius in 3. d. 1. q. 10. Antonius Andreas 7. Metaph. q. 18. Philippus Faber theoremate 21. Pirigianus in annotationibus ad quæstionē 19. primi Physicorum Scoti, quauis hic auctor nolit admittere distinctionē realem mutuam inter partes, & totum, sed non mutuam; affirmat enim, partes distincti realiter à toto, non verò totum distingui realiter à partibus. Tamen omnes relationes distinctionis, sicuti & identitatis, esse mutuas ex natura sua ex Arist. & Scoto, ostendimus in Logica disp. 1. vniversalium q. 2. sect. 2. Eandem sententiam tenent ex alijs Auicena 3. Metaph. c. 4. Herbasus quodlib. 2. q. 14. Capreolas in 3. d. 2. ar. 1. Caietanus 3. p. q. 6. art. 5. ad 1. Ferrara 4. contra gentes c. 81. Iabellus 7. Metaph. q. vltima, Conimbricensis super 2. caput huius libri q. 1. ar. 3. Vazq. 3. p. disp. 19. c. 2. Et fauet Angelicus præceptor in 3. d. 2. q. 1.

q. 1. art. 3. quæstiuncula 3. ad 3. & in 4. d. 16. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad 2.

15. Probari solet hæc sententia ex quibusdam locutionibus Arist. in quibus videtur asserere, totum hoc esse tertiam entitatem ex vnione partium resultantem distinctam ab ipsis partibus simul sumptis, & vnitis: nam 5. Metaph. c. 14. text. 19. dicit, sex non esse bis tria, sed semel sex; & lib. 7. c. 17. text. vltimo affirmat, syllabam *Ba*, non esse *b*, & *a*, sed tertium aliud; & 2. de Anima text. 2. & libr. 7. Metaph. text. 7. & libro 12. cap. 2. text. 14. diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum, asseritque esse tres substantias.

16. Sed duabus prioribus auctoritatibus non est multum inueniendum; nam prima non est ad rem; ibi enim loquitur Arist. de numeris non materialiter, sed formaliter sumptis, & quod intendit non est, totum distingui à suis partibus, sed senarium formaliter sumptum, qua ratione idem est, ac discretio sex vnitatum, non coalescere ex duobus ternarijs formaliter sumptis, id est, ex duobus discretionibus trium vnitarum; sed esse discretionem sex vnitarum, quæ est discretio omnino specie distincta, & nullo modo includens discretionem trium vnitarum, quas pro formali dicunt duo ternarij. 16. Ad secundam autem facile respondere possunt aduer-

sarij, intelligi de partibus absque vnione. Sic enim verum est, syllabam *Ba*, non esse *b*, & *a*. nam præter *b*, & *a*, dicit ipsa vnio vnionem. Quem sensum satis clarè indicauit Aristot. dicens ibidem, quod syllaba *Ba*, non est compositum, sicut acceruus, id est, per solam aggregationem absque vnione. Et fundari præterea potest hæc solutio in alia simili locutione Aristot. 7. Metaph. cap. de vnitate definitionis (cuius loco primo citato meminit Scotus) vbi dicit, totum per accidens, quod ex accidenti, & subiecto resultat (puta, *album*) non esse suas partes, sed aliquid aliud; nam sicut omnes fateri tenentur, hunc locum intelligi de partibus absque vnione (nam, si partes sint vnitæ ita, vt albedo inhæreat, informetque subiectum, fatetur ibidem Arist. *album* esse suas partes) ita pariformiter dicere possunt aduersarij, syllabam *Ba*, ex Aristot. non esse *b*, & *a*, separata, & absque vnione, secus verò si coniuncta, & vnita accipiantur.

17. Tertia tamen auctoritas efficax mihi videtur in contrarios: nam id, quod respondent, scilicet, Arist. numerasse totum per se physicum, & essentiale, vt membrum distinctum à materia, & forma; eò quod totum istud præter materiam, & formam includit vnionem, quæ quiddam distinctum est à materia, & for-

ma, non solum diuissim, sed cōiunctim sumptis, nō satisfacit: Arist. etenim non solum enumerauit materiam, formam, & compositum, vt mēbra distincta; sed etiam addidit esse tres substantias distinctas: quod vltimum non potest de toto verificari ratione vnionis, sed ratione tertiæ entitatis substantialis, quæ ex vnione materiæ, & formæ resultat. Et hoc non solum in nostra sententiā; quæ affirmat, vnionē formaliter sumptam esse relationem, & accidens, sed etiam in sententiā aduersariorum, quæ sustinet, vnionem, etsi non sit relatio, & accidens, non esse substantiā, sed modum substantialem.

18 Efficacissimè probatur hæc sententiā rationibus Scoti. Prima est, quia, si totū per se physicum, essentialē non esset quædam tertia entitas, seu natura ex vnione materiæ, & formæ resultans, sed potius consisteret in materia, & forma vnitis, sequeretur (contra commune Philosophorum placitum) nihil discriminis esse inter totum per se, & totum per accidens. Sequela patet; nam sicut totum per accidens dicitur, quia simpliciter est plura, & solum secundum quid vnum, scilicet, ratione vnionis istorū plurium; ita in opposita sententiā necessariò fatendum est, totum per se simpliciter esse plura, scilicet, materiam, & formam, & solū secundum quid vnum, scilicet,

licet, ratione vnionis horum plurium.

19 Nec valet vulgaris solutio, scilicet, differentiam inter totum per se, & totum per accidens stare in hoc, quod licet vtrumque non sit aliud præter partes vnitas, tamē in toto per se partes vniantur, tanquā per se actus, & per se potentia; secus verò in toto per accidens. Nā inquiri ab his auctoribus, An vniri partes, vt per se actus, & per se potētia sufficiat ad hoc, vt totū ex eis resultans sit quædam tertia entitas in se vna (licet non simplex, sed ex partibus composita) an non, sed potius maneat partes simpliciter plura, & solum secundum quid vnum, scilicet, ratione vnionis? Si dicant primū, habemus intētum; si secundum, argumētum manet in sua vi, scilicet, totum per se non distingui à toto per accidens in ratione intrinseca, & constitutiua totius per accidens, qualis est, esse plura simpliciter; & solum differentia illius ab alijs totis per accidens cōsistet in hoc, quod vnitas secundum quid, quæ cōuenit ipsi ratione vnionis, sit maior in isto, quàm in alijs: quæ differentia non extrahet illud à sphaera totius per accidens; (quæ in hoc, quod est esse plura simpliciter consistit) sicuti neque extrahit totum, quod ex substantia, & accidenti confurgit, à ratione totius per accidens, quod vnitas secundum quid, quæ con-

uc-

uenit ipsi ratione vnionis suarū partium, sit maior, quàm vnitas secundum quid, quæ cōuenit accuo lapidum ex vnione suarū partiū; eò quod cum ista maiori vnitate stat, quod simpliciter sit plura; in quo ratio totius per accidens consistit.

20 Secunda ratio est. Causa realis, siue extrinseca, siue intrinseca sit, realiter distinguitur à suo effectu. (Aliàs idem posset realiter se ipsum causare, & à se ipso in suo esse intrinseco realiter dependere, quod vt absurdum, & omnium Philosophorū consensui oppositum reijcitur). Aug. 1. de Trinitate c. 1. sed partes essentielles totius per se physici (materia, scilicet, & forma) vt vnitas, sunt causæ reales intrinseca prædicti totius, cum ipsa realiter intrinsecè constituent, & componant, & non aliter quàm vnitas: ergo prædictæ partes, vt vnitas realiter distinguntur à prædicto toto.

21 Ad hanc rationem respondent aduersarij, duobus modis posse intelligi partes essentielles, vt vnitas, causare realiter totum per se physicū; primò collectiue sumptas; secundò sumptas diuissimè. Si collectiue sumantur, dicunt, partes essentielles, vt vnitas, non esse causam totius, neque illud intrinsecè componere. At si sumantur diuissimè, esse causam totius, illudque intrinsecè componere affirmant. Ex hoc autem minimè sequitur (subdunt) partes simul sumptas,

& vnitas distingui realiter à toto, sed solum vnquamquam partē, adhuc vt vnitam, à toto realiter distingui. Porro rationē causæ esse tribuendam partibus vnitis diuissimè sumptis probant, quia hæc intercedunt duæ causalitates, vna materialis, quæ solum competit materiæ; & altera formalis, quæ solum competit formæ.

22 Sed hæc solutio vim argumenti nō infringit; licet enim verissimum sit, quamlibet partem, vt vnitam, esse causam totius, illudque cōponere diuersis, atque vnicuique proprijs causalitatibus. Tamen quis nō videat, vnquamquam partem diuissimè, & quasi seorsim consideratam nō esse causam totius totalē, & adæquatā; sed solum partialem, & inadæquatā. Causa enim totalis, & adæquata totius ambæ partes non solum vnitas, sed simul sumptæ sunt. Cōcludit ergo argumentū distinctionē realem inter totū, & suas partes vnitas, non solum diuissimè, & seorsim, sed etiā collectiue, & simul sūptas cōsideratas.

23 Ex his etiam patet, qualiter sit occurrendum Martino, qui alijs verbis conatus est argumentum factum enervare: dicit enim, enustiationem hanc, omnes partes simul sumptas, & vnitas causant, seu componunt totum, duplicem habere sensum; vnus est distributus, & alter copulatus. Primus est, cum attributum, causant, seu componunt,

nunt, taliter accomodatur omnibus partibus, quod dispertitur singulis. Secundus est, cum collectioni solum attribuitur, non singulis collectis. Exemplificat in his enuntiationibus, *omnes ciues sunt ciuitas; omnes ciues sunt fortes*; in quarum prima, attributum *ciuitas*, non singulis ciuibus seorsim, ac distributum impertitur, sed collectioni tantum: in secunda verò attributum *fortes*, non tam ciuium collectioni, quam singulis collectis singillatim, ac dispersum applicatur.

24 Hoc notato respondet, quod, si in præfata enuntiatione *omnes partes copulatum*, & non distributum supponantur, enuntiatione est falsa; nam omnes partes vnitæ copulatum suppositæ non causant, seu componunt totum, sed potius sunt ipsum totum, seu compositum. At si omnes partes distributè supponantur, enuntiatione est vera; sed sic non significatur ratio causæ inter collectionem partium vnitarum, & totum, sed inter singulas partes cõmuni vnione cõponentes, & totum compactum; & consequenter, neque arguitur distinctio realis inter totum, & partes vnitas simul sumptas, sed inter totum, & quamlibet partem ex vnitis seorsim, & disiunctim sumptam.

25 Huic, inquam, solutioni facile occurret, si Martinio suggeras, in prædicta enuntiatione

vnitæ causant, seu componunt totum) attributum *causant*, seu *componunt* posse dupliciter accipi; primo pro causalitate partiali, & inadæquata; secundo pro causalitate totali, & adæquata. Si primo modo sumatur, nulli dubium est, ad veritatem prædictæ enuntiationis requiri, vt *omnes partes non copulatum*, sed potius distributum supponatur; siquidè hoc, quod est, causare partialiter, & inadæquatè, non collectioni partium, sed potius singulis partibus collectis seorsim, & diuisiue cõuenire potest. At si sumatur secundo modo, falsum omnino est, ad veritatè prædictæ enuntiationis requiri, quod *omnes partes distributum*, & non copulatum supponantur, sed potius requiritur oppositum; siquidem hoc, quod est, causare, seu componere totum, vt causam totalem, & adæquatam non singulis partibus seorsim, & diuisiue accomodari potest; sed potius collectioni omnium partium vnitarum. Cõcludit ergo ratio Scoti, rationem causæ partialis, & inadæquatæ inter singulas partes vnitas, & totum compactum, & rationem causæ totalis, & adæquatæ inter omnes partes simul sumptas, & vnitas, & totum resultatans; & consequenter distinctionem realem inter totum, & omnes illius partes vnitas, non solum distributum, sed etiã si copulatum supponantur.

26 Non me latet Hurtado, §. 8. con-

8. contendere in causis intrinsicis nõ dari causam totalem, sicut datur in extrinsecis; atq; discriminis rationem assignat, §. 7. scilicet, quod causæ extrinsecæ non causant effectum communicando se illi formaliter, & includendo se in illo, sicut causant causæ intrinsecæ, quæ ideò causæ essentialis effectus denominantur. Exemplificat in acervo lapidum, respectu cuius etsi singuli lapides sint causæ partiales; tamen omnes collectiue sumpti non sunt causa illius totalis, & adæquata, sed potius acervus ipse, vt nos etiam profiteamur.

27 Sed, cum omnis causæ partialis dicatur relatiue non solum ad aliam compartialem, sed etiam ad causam totalem; quæ ex collectione vtriusque partialis coalescit, ita implicatorium erit, dari in aliquo genere causandi (siue intrinsecè, siue extrinsecè) causas partiales sine causâ totali. quæ ex collectione partialium coalescat, ac est implicatorium, dari vnũ relatiuum sine termino suæ relationis. Aut ergo neget Hurtado, materiam, & formam vnitas esse seorsim sumptas causas partiales intrinsecas entis naturalis, aut si hoc concedit, veritate conuictus, non renuat etiam fateri, materiam, & formam vnitas simul sumptas esse causam intrinsecam totalem; & adæquatam entis naturalis; quia in opposito non minor est.

contradictio (vt dixi) quàm dari correlatiuum sine termino suæ relationis.

28 Ea autè, quibus nititur, frivola sunt, nõ discriminè inter causas intrinsecas, & extrinsecas, cuius meminit, non probat, ex collectione causarum partialium intrinsecarum non resultare vnã totalem, & adæquatam causam intrinsecam. Sed quod probat, est, effectum causarum intrinsecarum, etsi distinguatur realiter ab eis, tam diuisim, quàm copulatum sumptis; sed non vt omnino condistinctum, sicuti distinguitur effectus causarum extrinsecarum ab ipsis causis extrinsecis tam disiectim, quàm copulatum sumptis.

29 Exemplum autem acervi lapidum non est ad rem; siquidem lapides non dicuntur causare acervum, quia ex eis intrinsecè, & essentialiter conflatur aliqua tertiæ entitas, seu natura per se vna, quæ acervus denominetur; sicut ex materia, & forma intrinsecè, & essentialiter conflatur tertiæ entitas, seu natura per se vna, quæ dicitur, vel ignis, vel signum, &c. Sed quia expositione lapidum in tali, vel tali situ resultant, tanquam ex fundamentis, & terminis relationes coexistentiæ prædictorum lapidum in tali, vel tali situ, quæ sunt, quæ pro formali, & per se significato dicit acervus, & à quibus lapides existetes in tali, vel tali situ formaliter acervus,

denominantur. Imò addo, respectu resultantiæ, seu causalitatis istarum relationum non solum dari causas partiales (scilicet, singulos lapides existentes in tali, vel tali situ) sed etiam dari causam totalem, & adæquatam (scilicet, collectionem prædictorum lapidum.) Vnde apparet exemplum, si in aliquo tenet, potius militare contra Hurtado.

30 Tertia ratio pro nostra sententia est. Mutatio substantialis est per se vna: ergo terminus per se illius debet esse aliqua substantia per se vna. Sed hæc substantia non est materia; (cum hæc generationi supponatur, atque ortu, interituque sit immunis) neque etiam potest esse forma; (vt constat ex Arist. 7. Metaph. text. 26. & 27 & insuper, quia etiam si forma præsupponeretur producta per aliam actionem, vt contingit in generatione hominis, eiusque resurrectione; actio, per quam vniretur materiæ, & resultaret totum, non minus esset generatio substantialis, ac quando per eandem actionem producit forma, & vnitur materiæ) & multò minus potest esse vnio; nam in sententia aduersariorum vnio materiæ, & formæ non est substantia, sed modus substantialis; in nostra autem sententia vnio est relatio prædicamentalis extrinsecus adueniens. Nec demum potest esse materia, & forma vnita;

nam materia, & forma vnita non sunt vnum per se, sed per accidens, cum sint plura simpliciter, & solum secundum quid vnum: (vt latius numer. 18. & 19. ponderauimus) erit ergo quædam tertia entitas, seu natura ex materia, & forma coalescens (ipsum scilicet compositum) ab omnibus supradictis realiter distincta.

31 Quarta, & vltima ratio est; quia, si totum physicum essentialiter non esset quædam tertia entitas, seu natura ex vnione materiæ, & formæ resultans, & essentialiter coalescens, sed potius esset (vt aduersarij contendunt) materia, & forma vnita, sequeretur, non esse assignabile subiectum, cui per se propriæ passionis, & operationes speciei competere. Sequela patet; nam ridere, generare, texere, &c. per se primò non conueniunt materiæ, neque formæ, vt de se notum est, & expressè docuit Arist. 1. de Anima cap. 4. text. 64. & lib. 3. c. 4. dicens, intelligere esse solius animæ, texere verò, & ædificare non animæ, sed compositi. Neque etiam dici potest, quòd conueniat materiæ, & formæ vnitis, quia manifestum est, propriam passionem esse vnus entis, & operationem vnus speciei prouenire ab ente vno. Materia autem, & forma, adhuc vt vnita, non sunt simpliciter vnum ens; sed potius simpliciter plura, & solum secundum

dum quid vnum, vt sæpè dictum est.

32 Restat, argumentis in contrarium factis satisfacere. Ad auctoritates dicimus, locutiones illas esse veras in sensu, non identitatem, sed causam indicantem; idem enim valet apud Arist. *Quemadmodum pupilla, & visus est oculus, ita anima, & corpus est animal*, ac dicere; quemadmodum ex pupilla, & visu componitur oculus, ita ex anima, & corpore componitur animal. Item apud D. Aug. *homo nihil aliud est, quam anima, & corpus*, æquiualeat huic; homo nihil aliud includit, vt partem essentialem sui, quam animam, & corpus. Et demum apud D. Athan. *Sicut anima, & caro vnus est homo, &c.* Idem est, ac si diceremus, sicut ex anima, & carne vnus constituitur homo, &c.

33 Ad præcipuam rationem responderetur, totum non distinguendum à partibus, vt omnino condistinctum, sed vt includens ab incluso. Et ad probationem, qua conabantur aduersarij ostendere, non distinguendum à partibus, vt includens ab incluso, concessa maiori negamus minorem, scilicet, non esse ex cogitabilem entitatem aliquam realem, quam dicat totum præter partes eius simul sumptas, & vnitas; nam dicimus, totum per se physicum essentialiter dicere se ipsum, id est, quandam tertiam entitatem etsi intrinsicè includentem partes, distin-

ctam tamen à partibus, adhuc vnitis, & simul sumptis.

34 Quod vt clarius percipiatur, aduertendum est, quod, cum dicimus, totum per se physicum essentialiter distinguendum à suis partibus, simul sumptis, & vnitis, non debemus intelligere, hanc distinctionem conuenire toti per aliquam sui partem; quia implicationem inuoluit, totum distinguendum realiter à partibus per ipsasmet partes, quas intrinsicè includit. Neque etiam debemus intelligere, hanc distinctionem realem conuenire toti ratione alicuius formæ realis superuenientis partibus, simul sumptis, & vnitis, quæ sit distincta ab ipso toto, & in ipso toto includatur, tanquam aliquid ipsius. Nam (vt bene aduertit Scotus in 3. d. & q. 2. §. *Quantum ad 3.*) illa tertia entitas, quam totum dicit præter partes vnitas, & simul sumptas, non est aliqua forma, quæ superueniat partibus vnitis ipsas quali informans, & actuans ad hoc, vt ex ipsa, & partibus vnitis, & simul sumptis resultet totum; aliàs in homine præter animam intellectiuam, esset alia forma perfectior constituens eum in esse hominis, quod est absurdum. Neque etiam est aliqua forma requisita ad hoc, vt ex materia, & forma, quæ est altera pars compositi, resultet vnum per se, eò quòd ex materia, & forma,

quæ est altera pars compositi non fieret vnum per se, nisi per aliquam aliam formam vniētē illas partes; nam (præter processum in infinitum, qui ex ista positione sequeretur, quippe necessario foret assignanda alia forma, per quam ista secunda forma vniretur tam materię, quàm formæ partiali ad hoc vt ex ipsis resultaret vnum per se; & sic in infinitum) manifestum est, vltra formam, quæ perficit materiam, & dicitur forma partialis, non esse necessarium ad hoc, vt resultet vnum per se ex materia, & forma, ponere aliam formam, per quam vniantur; siquidem materiam, & forma partialis se habent, vt per se potentia, & per se actus: quæ sunt requisita ab Arist. 8. Metaph. text. 15. ad resultantiam vnus per se; sed hæc tertia entitas est ipsa entitas totius, quæ ex vnione partium resultat, & dici potest forma totius eo quòd in ipsa tota essentia, & quidditas totius consistit.

35 Debemus ergo intelligere, hanc distinctionem realem conuenire toti ex suamet entitate; quia scilicet consistit totum in quadam entitate reali, quæ per se est vnum quid; partes verò simul sumptæ, & vnitas non sunt per se vnum quid, sed potius simpliciter sunt plura, licet partialia, & in quantum vnitas sunt quasi in via, & actuali fluxu ad hoc, vt ex ip-

sis vnum quid per se conflatur, & constituatur, scilicet ipsum totum.

36 Ex isto prænotato liquido patet, quàm friuolæ sint, & quàm in æquiuoco laborent rationes, quibus vtuntur aduersarij ad probandum, non esse excogitabilem entitatem aliquam realem, quàm dicere possit totum præter eius partes simul sumptas, & vnitas. Vnde in forma respondemus. Ad primum falsum esse positum in rerum natura partibus, atque earum vnione, & secluso quocumque alio poni totum; nam vterius requiritur, quòd ponatur quædam tertia entitas, quæ ex vnione partium resultat, & conflatur; nam in hac consistit ipsum totum formaliter; nam in vnione partium, seu in partibus vnitis solum consistit causaliter, & quasi in via.

37 Ad confirmationem negamus paritatem, & meritò quidem; nam cum nõ eodem pacto totum per accidens, & totum per se ex partibus coalescant (hoc enim coalescit ex suis partibus, vt vnum quid simpliciter; illud verò vt simpliciter plura) quàm aptè ex hac posteriori compositione infertur, totum per accidens nihil aliud esse, quàm partes eius vnitas; ita inaptè ex compositione priori idem de toto per se inferetur.

38 Ad secundum dicimus, quòd

quòd prædicta inuestigatio rectè procederet ex suppositione, quòd nos affirmaremus, totum per se distingui à partibus vnitis non se ipso, & per suamet entitatem, sed per aliquam entitatem distinctam ab ipso toto, & quæ in ipso includeretur, tanquam aliquid ipsius; tamen cū affirmemus distingui à partibus vnitis suamet entitate, impertinenter inuestigatur, quid sit hæc entitas, an modus? an res? an accidens? an substantia? nam dicimus, esse ipsum totum, quòd manifestum est, esse substantiam compositam, & completam, & vnum ex tribus membris, in quæ Arist. omnem substantiam distribuit.

39 Ad primum ex inconuenientibus, quæ in tertia ratione adducuntur, negamus sequelam: & ad probationem eius concessa maiori negamus minorem; nã materia per vnionem ad formam ante aduentum tertiæ entitatis, quæ ex vnione materię, & formæ resultat, nõ præintelligitur ens in actu cõpleto, & perfecto; cum ens in actu cõpletum, & perfectum solum sit totum, seu tertia illa entitas, quæ ex vnione materię, & formæ resultat; sed præintelligitur quasi in via, & tēdentia ad ens in actu completo, & perfecto.

40 Ad secundum inconueniens negamus sequelam: ad probationem dicimus, procedere ex praua intelligētia sententiæ Scoti. Imaginatur enim

aduersarij, qui hac, & similibus vtuntur probationibus, entitatem illam realem, per quam nos dicimus, totum per se physicum essentialē distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, non esse ipsum totum, sed quendam formam superuenientem partibus vnitis, ipsas informantē, & vnionem distinctam realiter ab ipso toto, & in ipso inclusam, tanquam aliquid ipsius. Qua falsa imaginatione supposita, optime inferunt, quòd in quolibet composito esset duplex compositio essentialis; imò esset cõpositio essentialis in infinitum: quòd idem prior ipsis intulerat Scotus (vt ex num. 34. constat) si autem aduersarij hanc falsam deponerent imaginationem, & aduerterent, in sententia nostra entitatem istam realem, per quam totum distinguitur à suis partibus simul sumptis, & vnitis, non esse distinctam à toto, sed esse ipsummet totum, quòd ex vnione partium resultat, perciperent, quàm inaniter hac, & similibus obiectionibus laborant; cum luce clariùs appareat, entitatem realem, quæ ex vnione partium essentialium resultat, non facere compositionem cum ipsis partibus vnitis, sed potius esse ipsum compositum, quòd ex vnione partium resultat.

41 Ad tertium inconueniens negamus etiam sequelam; & ad

& ad probationem responde-
tur ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. §.
Ad questionem litt. M. & d. 12. q.
2. §. *Respondeo*, litt. A. ad hoc vt
sine implicatione vnum possit
existere sine alio non suffice-
re, quod sit absolutum, & rea-
liter ab eo distinctum; sed etiā
requiri, quod sit prius natura
alio; nam si sit natura poste-
rius, id est, essentialiter ab illo
dependens, non poterit absque
implicatione existere sine illo;
vt patet in creatura, quæ etiam
si sit quid absolutum, & reali-
ter distinctum à Deo; nihilo-
minus implicat existere sine
Deo; eo quod sit posterior natura
Deo, ab eoque essentialiter
dependens: constat autem,
totum non esse prius natura
suis partibus essentialibus, sed
potius posterius, ab ipsisque es-
sentialiter dependens.

42 Sed obijcies: ergo saltem
sequeretur ex distinctione rea-
li totius a suis partibus simul
sumptis, & vnitas, quod possent
absque implicatione partes si-
mul sumptæ, & vnitas existere
sine toto; siquidem partes si-
mul sumptæ, & vnitas non so-
lum sunt, quid absolutum rea-
liter distinctum à toto, sed etiā
prius natura illo. Responderetur
negando sequelam; nam, cum
vniones materiæ, & formæ
(quales sunt receptio, & infor-
matio) sint causalitates funda-
mentales, & remotæ, vel sal-
tem conditiones per se, & es-
sentialiter requisitæ ad esse ista

rum causalitatum; quibus me-
dijs totum actualiter causatur,
& conflatur ex materia, & for-
ma, ita implicabit esse vnitas
materiæ, & formam, & non
resultare totum; ac implicat es-
se causam realem actualiter
causantem, & producentem
effectum, & non poni in rerum
natura effectum per eam cau-
satum, & productum.

43 Vnde optimè annotauit
Scotus in priori loco ex cita-
tis, litt. N. doctrinam, quam ex
ipso num. 41 retulimus, scili-
cèt, *omne absolutum realiter distin-*
ctum, & prius natura alio possit abs-
que implicatione existere sine illo, ef-
se veram, & intelligendam,
quantum est ex natura sua in-
trinsèca; nam si accedat, quod
sit necessaria, & inuitabilis
causa illius (vt accedit mate-
riæ, & formæ respectu totius;
quando ab extrinseco effici-
ti actualiter vniuntur, vel con-
seruantur vnitas) non poterit
existere sine alio, non obstan-
te, quod sit quid absolutum di-
stinctum realiter, & prius natu-
ra illo. Exemplificauit in rela-
tionibus rationis, quæ in sunt
essentiæ diuinæ per actum in-
tellectus diuini, sine quibus nō
potest esse diuina essentia, non
obstante, quod sit quid abso-
lutum distinctum ab his rela-
tionibus, & prius natura illo;
eō quod accedit habere intel-
lectum, qui est causa necessa-
ria, & inuitabilis istarum re-
lationum. Et etiam exemplifi-

ca.

cavit in celo, cui ex Aristot 8.
Physicorum, & 9. & 12. Me-
taph. repugnat esse sine motu,
non obstante, quod sit quid ab-
solutum realiter distinctum, &
prius natura motu; eō quod ac-
cedit habere intelligentiam, à
qua (ex mente Aristotel.) ne-
cessario, & inuitabiliter mo-
uetur.

44 Ad vltimam rationē con-
cessa maiori negamus mino-
rem; & ad probationem dici-
mus, hominem non idēō dūta-
xat dici vnum simpliciter, quia
constat ex per se potentia, & ex
per se actu; sed quia ex per se
potentia & ex per se actu, ex
quibus constat, resultat vnum
quid simpliciter; quo pacto nō
se habent materia, & forma, vt
præcisè vnitas, si absque resul-
tantia tertiæ entitatis conside-
rantur. Neque Arist. loco ibi
citato docuit, per se potētiam,
& per se actum esse vnum quid
per se, & simpliciter, sed ex per
se potentia, & ex per se actu v-
num quid per se, & simpliciter
resultare. Ad confirmationem
respondemus, etsi vnio, quæ
est inter partes totius per se phy-
sici essentialis, maior sit, quàm
vnio, quæ est inter partes totius
artificialis; tamen hinc nō re-
ctè colligi partes totius per se
physici essentialis vnitas esse
vnum quid simpliciter, sed ex
vnione ipsarum vnū quid sim-
pliciter resultare: quod nō cō-
tingit in vnione partium totius
artificialis.

45 Est autem aduertendum,
Philippum Fabrum theore-
matē 21. longè aliter, ac nos,
sententiam Scoti, quā ample-
xi sumus, explicuisse. Distin-
guit enim inter partes vnitas,
antequàm transcant per gene-
rationem in tertiam entitatem
totius, & postquàm per gene-
rationem transactæ, & conuer-
sæ sunt in tertiam entitatē to-
tius. Et in primo sensu docet,
totum distingui à partibus vni-
tis, in posteriori verò affirmat,
totum nō distingui à partibus,
sed potius partes vt sic, esse ip-
summet totum, in quod transac-
tæ, & conuersæ sunt.

46 Sed auctor iste nō est au-
diendus, nā præterquàm quod
supponit, partes essentielles, sci-
licet, materiæ, & formā non
esse actu, & formaliter; nā affir-
mat, per generationem amit-
tere proprias entitates, & tran-
sire, seu conuerti in tertiā enti-
tatem totius: quod plusquàm
absurdum est. Tum quia iam
productio totius essentialis phy-
sici nō esset generatio, sed po-
tius conuersio, seu transubstā-
tiatio materiæ, & formæ in to-
tum essentialē physicum. Tum
etiam quia alias non esset cō-
positum, nec verè dici posset
constans ex materia, & forma;
siquidem ad hoc, vt aliquid di-
catur verè compositum, & cō-
stans partibus per se, requisitū
est, quod partes actu, & forma-
liter sint in ipso. Præter hoc,
inquam, etiam reputo falsissi-
mum.

num eius vltimum assertum; (scilicet, partes, vt sunt in toto, transacta iam generatione, non distingui realiter ab illo, sed esse ipsum totum formaliter) nam ex hac positione sequeretur, non posse corrumpi totum, quin ad eius corruptionem etiam corrumperentur partes: nam impossibile est, quod aliquid corrumpatur, & quod id, quod est idem realiter cum illo, sine corruptione maneat. Hæc autem sequela non solum est contra Scotum, qui ideo probat (inter alias rationes) totum distingui realiter à partibus, quia contingere potest, quod corrumpatur totum, partibus incorruptis manentibus; & exemplificat in corruptione hominis. Sed etiam ex ipsa sequeretur, quod in corruptione hominis vel non manerent anima, & corpus, sicut nequema ner ipsa entitas hominis, vel quod si manerët, hoc esset per nouam creationem animæ, & nouam generationem corporis. Quæ omnia sunt absurda.

SECTIO II.

Discutitur quæstio de toto per se physico integrali.

HÆc difficultat discutitur propter aliquos auctores, qui etsi nobiscum teneant, totum per se physicum essenziale non consistere in collectione, & vnione partiū,

sed in quadam tertia entitate ex collectione, & vnione partium resultante, & consequenter totum per se physicum essenziale esse entitatem realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, & vnitis; de toto tamē per se physico integrali oppositum sustinent. Ita Ferrara, & Faber locis sect. 1. citatis, Zimara in theorematibus propositione 75. & Ioannes à Neapoli in quolib. 2. q. 7.

48 Et probari potest. Primò, quia ideo totum physicum essenziale non consistit in collectione & vnione partium, sed in quadam tertia entitate ex tali collectione resultante, distincta ab omnibus partibus simul sumptis, & vnitis, quia partes totius physici essentialis ad inuicem comparatæ se habent, vt per se potētia & per se actus; quæ ex Arist. 8. Metaph. text. 15. sunt requisita in partibus ad hoc, vt ex eis resultet vnum per se. Sed partes totius physici integralis non se habent, vt per se potentia, & per se actus: ergo totum physicum integrale nō poterit consistere in aliqua tertia entitate ex collectione, & vnione suarum partium resultante, distinctaque ab omnibus suis partibus simul sumptis, & vnitis, sicut consistit totum physicum essenziale; sed potius in collectione, & vnione prædictarum partium, non secus ac propter eandem rationem consistit in collectione, & vnio-

vnione totum accidentale. 49 Secundò, quia, si totum physicum integrale consisteret in aliqua tertia entitate distincta à suis partibus simul sumptis, & vnitis, sequeretur duo inconuenientia. Primum est, quod per solam diuisionem substantiæ integralis corrumperetur substantia integralis; siquidem corrumpetur illa tertia entitas, in qua totum physicum integrale consistit, quod totum est substantia integralis. Hoc autem apparet absurdum, quia pariformiter dicendum esset, quod si substantia integralis, quæ diuiditur, esset materia prima, corrumpetur materia prima integralis: quod est contra id, quod ex Aristotel. disput. 3. quæst. 8. statuimus, scilicet, materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem.

50 Secundum inconueniens est, quod ab aliquo tertio integrali ponderante præcisè vnā librā, remoueretur pondus vnus libræ, & tamen adhuc ponderaret vnā librā: quod videtur impossibile. Sequelam probant, quia si prædictum totum integrale est ponderans vnā librā, necessarium est, quod quælibet eius medietas ponderet dimidiam librā; deinde diuidatur illud totum; tunc in opposita sententia, quæ dicit esse, quid distinctum à suis

partibus, dicendum est necessariò, quod corrumpatur illud totum, & consequenter, quod auferatur pondus vnus libræ, quod ponderabat illud totum; & tamen cum quælibet illius medietas ponderet dimidiam librā, adhuc duæ medietates ponderabūt vnā librā, si cut prius quā totū corrūperetur 51 His tamen non obstantibus tenendum est, totum physicum integrale non consistere in collectione, & vnione suarum partium, sed in tertia quadam entitate, quæ ex collectione, & vnione suarum partiū medijs indiuisibilibus resultat, & consequenter distingui realiter à suis partibus simul sumptis. & vnitis, non secus, ac totum physicum essenziale. Ita expressè Scotus in 2. d. 16. q. vnic. §. *Alia opinio*, liter. F. Pitigianus in annotationibus ad quæstionē 19. physicam Scoti, Conimbricenses lib. 1. c. 2. q. 1. art. 3. & cæteri in sect. 1. pro nostra sententiā citati, exceptis Fabro, & Ferrarienti. Fundamentū est, quia, cū ex vnione partium integraliū, quæ fit medijs indiuisibilibus, non minùs vnū per se integrale resultat, ac resultat vnum per se essenziale ex vnione, qua se ipsis, & immediatè partes essentielles coniunguntur, duæ priores rationes Scoti, quibus in sectione præcedenti vti sumus ad probandum, totum physicum essenziale consistere in quadā tertia entitate distincta

realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, idem prorsus conuincunt de toto physico integrali respectu suarum partium; vt cuilibet intuenti erit manifestum.

52 Vnde ad rationem in primo argumento adductam respondetur; ex eo quòd partes integrales adinuicem comparatæ non se habeant vt per se potentia ad per se actum, sicut se habent partes essentielles, in ferri quidem, non posse ex ipsarum immediata vnione vnū per se resultare, sicut resultat ex vnione, qua se ipsis, & immediatè vniantur partes essentielles: tamen cum hoc optimè stare, quòd ex vnione, qua medijs indiuisibilibus substantiabilibus vnūtur, vnū per se integrale resultet; siquidem partes istæ comparatæ ad indiuisibilia se habent, vt per se potentia ad per se actum; vt latius q. 2. n. 7. explicuimus.

53 Ad primum ex duobus inconuenientibus responderetur, quòd, cum vnū per se, quod ex vnione partium integraliū substantiālium resultat, non sit aliquid substantiale nouum in esse actualis quidditatis (sicut est vnū per se, quod resultat ex vnione partium essentialiū) sed in esse actualis integritatis, non infertur ex nostra sententia, per diuisionem substantiæ integralis corrumpi aliquam substantiam in esse actualis quidditatis, sed solum in esse

actualis integritatis; quod nullum est inconueniens. Et per idem responderetur ad instantiam de materia prima, scilicet, in casu, quòd substantia integralis, quæ diuiditur, esset materia prima, corrumpetur quidē materia prima quoad esse actualis integritatis, nō verò quoad esse actualis quidditatis: in quo nullum inuoluitur inconueniens; nam materia prima solum dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis quoad esse actualis quidditatis, non vero quoad esse actualis integritatis.

54 Ad secundum inconueniens negamus sequelam: ad probationem dicimus, quòd, cum toti integrali ponderanti vnā libram conueniat ponderare prædictam libram non ratione integritatis, per quam in esse totius integrantis constituitur, sed ratione partium, ex quibus integratur, non sufficit ad corruptionem pōderis prædictæ libræ, quòd corrumpatur totum quoad esse totius integralis; sed etiam requiritur, quòd corrumpantur partes, ex quibus integratur, & ratione quarū competit illi pōderare; nam, si corrupto toto integrali in esse totius, maneat partes, vt cōtingit in diuisione illius, manebit etiam pondus prædictæ libræ, licet non in toto integrali (quia iam non est) tamen in partibus illius, quæ adhuc manent.

QVÆ.

QVÆSTIO IV.

Vtrum viuentia habeant certos terminos magnitudinis, & paruitatis?

INON est quæstio de eo, quod de potentia absoluta potest euenire; nā in ordine ad istā potentiam certū est, viuentia non habere certos, & præfixos terminos, neque magnitudinis, neque paruitatis; cōpertum est enim posse Deū sua potentia absoluta quamcūque substantiam viuentem producere, & conseruare sub quavis maiori, & maiori quantitate, & similiter sub quavis minori, & minori. Nec similiter est quæstio de eo, quod ab extrinseco potest euenire; nā certū est, posse ab extrinseco provenire, vt non solum viuentia, sed etiam non viuentia habeant certos, & præfixos terminos tam magnitudinis, quā paruitatis; magnitudinis v. g. quia locus, vel materia, in quo, vel ex qua augeri possunt, sunt certa, & determinata; paruitatis y erò, quia in tanta quantitate possunt resistere contrarijs, & consequenter conseruari in suo esse, in minori verò minimè. Procedit ergo quæstio de eo, quod natura sua, & ab intrinseco exiunt.

2 Et præsuppono primo, duos esse terminos tam magnitudinis, quā paruitatis; alium

intrinsecum; extrinsecum alium. Terminus intrinsecus magnitudinis dicitur illa quantitas, sub qua ita potest conseruari, seu generari substantia, vt sub maiori non possit; qui propterea appellari solet *maximum*, quod sic. Terminus verò extrinsecus magnitudinis dicitur illa quantitas, sub qua substantia non potest conseruari, vel generari, benè tamen sub quacumque minori; qui propterea appellari solet *minimum*, quod non, id est, minima quantitas illarum magnarum, sub quibus substantia, neque generari, neque conseruari potest. Terminus intrinsecus paruitatis dicitur illa minima quantitas, sub qua ita generari, vel conseruari potest substantia, vt sub minori nō possit; qui propterea dicitur *minimum*, quod sic. Terminus verò paruitatis extrinsecus dicitur illa quantitas, sub qua non potest generari, vel conseruari substantia; benè tamen sub quacumque maiori; qui propterea appellari solet *maximum*, quod non, id est, maxima quantitas illarum minimarum, sub quibus substantia, neque generari, neque conseruari potest.

3 Secundo præsuppono, cōmune esse rebus tam accipientibus esse, quā amittentibus esse, incipere accipere, vel amittere esse in instanti. Cū enim ad instans non sequatur aliud instans, sed tempus diui-

sibile; (vt libr. 6. dicemus) in tempore autem diuisibili secluso instanti non sit assignabilis prima pars, nam quævis est in infinitum diuisibilis; hinc est, aut nullam nos posse determinare mensuram, in qua res incipiant accipere, vel amittere esse; vel hanc mensuram necessariò futuram esse aliquod instans; siquidem in tempore, quod est mensura motus, solum est determinabile aliquod primum instans; non verò aliqua prima pars.

4 Verum enim verò, quia inter res, quæ accipiant esse, quædam habent esse in eodem instanti, in quo incipiunt accipere esse; vt sunt, quæ producuntur in instanti; quædã verò non, sed tempore, quod immediate sequitur ad instans inceptionis, vt sunt, quæ producuntur successiuè. Et similiter inter res, quæ amittunt esse, quædam non habent esse in instanti, in quo incipiunt amittere esse; vt sunt, quæ desinunt successiuè, quædam vero non, sed in tempore, quod immediate antecedit ad instans desitionis, vt sunt, quæ desinunt esse in instanti. Hinc est, vt Philosophi duplicè assignent modum in rebus tã incipiendi habere esse, quã incipiendi amittere esse; vnum intrinsecum, & extrinsecum alium.

5 Modum intrinsecum incipiendi habere esse dicunt habere res, quando in eodem instanti, in quo incipiunt habere

esse, simul sunt; & sic dicuntur incipere esse per primum sui esse, de illisque verificatur, nunc est res, & tempore immediato non erat. Modum verò extrinsecum incipiendi habere esse dicunt habere res, quando in instanti, in quo incipiunt habere esse, nondum sunt, sed erunt tempore immediato ad illud instans, & sic dicuntur incipere esse per vltimum sui esse, atque de eis verificatur; nunc non est res, & tempore immediato erit. Pariformiter modum intrinsecum incipiendi amittere esse dicuntur habere res, quando in instanti, in quo incipiunt amittere esse, adhuc sunt; & sic dicuntur incipere non esse per vltimum sui esse, & de illis verificatur; nunc est res, & tempore immediato non erit. Modum verò extrinsecum incipiendi amittere esse dicuntur habere res, quando in instanti, in quo incipiunt amittere esse, simul non sunt; & sic dicuntur incipere non esse per primum sui esse; de illisque verificatur; nunc non est res, & tempore immediato erat.

6 Tertio præsuppono, non eodem modo augeri non viuentia, ac augentur viuentia; nam viuentia augentur ab intrinsecum per intusumptionem læguescēte in dies calore naturali potētiae nutritiæ ex reactione alimētōrū, & simul influente parte principe (scilicet corde) in alias loco distas spiritus

vi;

vitales. At verò non viuentia augentur ab extrinsecum per iuxta positionem consimilis substantiæ absque dispendio virtutis naturalis; & absque necessitate influxus alicuius partis principis in alias loco distas. Vtrumque optimè exemplificat Martinius disput. 4. q. 2. *Disputando* 3. primum in accretione hominis, quæ fit in nutritione; secundum in accretione aquæ, & cuiuscūque alterius elementi seu mixti inanimati, quæ fit per iuxta positionem.

7 His prænotatis, communis, & recepta doctrina est, omnia viuentia ab intrinsecum, & ex natura sua postulare, tam ad suam generationem, quàm conseruationem certos, & præfixos terminos, tam paruitatis, quàm magnitudinis. Ita Aristor hic text. 36. & libro 4. de generatione animalium cap. 4. circa medium, & 2. de anima text. 4. vbi inter inanimata, & animata hoc ponit discrimen, quod inanimata (vt est ignis) natura sua non habent terminum certum suæ accretionis, secus verò animata. Verba Philosophi adducam, atque expendam quæstione sequente. Arist. secuntur Scotus 1. Physic. q. 12. & 13. cæterique Philosophi, & Theologi, quos refert Rub. tract. de terminis rerum naturalium q. 1. num. 84.

8 Et in primis viuentia ab intrinsecum, & natura sua exposcere certos, & præfixos termi-

nos versus paruitatem, nec posse generari, aut conseruari in minori, & minori quantitate, inde ostenditur, quod viuentia peccant organizationem partium, & membrorum teste Arist. 2. de anima c. 1. & 4. vt pedes ad ambulandum, oculos ad videndum, &c. dispositionemque potentiarum, & sensuum in ordine ad varias operationes exercendas. Sed hæc omnia ab intrinsecum, & natura sua expostulant determinatam extensionem substantiæ: ergo non poterunt dari in minori, & minori. Quæ ratio non solum probat integrum viuens ex natura sua postulare certum, & præfixum terminum versus paruitatem, sed etiam hoc exposcere quantumque illius partem ex organicis; cum etiam quævis pars ex organicis natura sua petat determinatam dispositionem, & extensionem partium ad hoc, vt operari, saltem instrumentaliter, possit.

9 Deinde etiam exposcere viuentia ab intrinsecum, & ex natura sua certos, & præfixos terminos versus magnitudinem; nec posse generari, aut conseruari in maiori, & maiori quantitate, probatur ex discrimine numer. 6. assignato inter augmentum viuentium, & non viuentium. Cum enim viuentia augeantur per intusumptionem interuentu caloris naturalis potētiae nutritiæ, & influente

parte principe (scilicet, corde) spiritus vitales in partes loco dispartitas; tantum poterunt membra illius augeri, quanta fuerit virtus tam caloris naturalis potentiae nutritivae, quam illius partis principis (scilicet, cordis) influentis spiritus vitales in alias partes dispartitas. Sed virtus tam caloris naturalis potentiae nutritivae, quam illius partis principalis influentis spiritus vitales in alias partes dispartitas est determinata, & habens terminum in sua actuivitate, ultra quem progredi non potest, teste Arist. 1. de caelo tex. 116. neque ex augmento vivens fit efficacior, sed potius in dies languescit ex reactione alimentorum: ergo etiam erit determinatum, & habens terminum augmentum, seu accretio omnium viventium.

10 His accedit experientia, qua experimur, nunquam hominem, aut hirundinem crevisse in magnitudinem montis, etiam si diu vivant, & quotidie nutriantur; neque unquam visus est homo, aut equus tam parvus, ac pulex, seu formica: ergo signum est, quod viventia omnia exposcunt, tam in sua generatione, quam in sua conservacione certos, & praefixos terminos, tam magnitudinis, quam parvitatis.

11 Sed quia (vt nu. 2. praenotauimus) duo sunt termini tam magnitudinis, quam parvitatis; alius intrinsecus, & extrinsecus alius, non immerito dubitant auctores, an hic certus, &

praefixus terminus tam magnitudinis, quam parvitatis, quem dicimus ex natura sua exposcere viuentia, sit intrinsecus, id est, maximum, & minimum, quod sic? an solum extrinsecus, id est, minimum, & maximum, quod non? 12 Paulus Venetus capite praesente absolute affirmat, hos certos, & praefixos terminos magnitudinis, & parvitatis, quos viventia in sua generatione, & conservacione exposcunt, non esse intrinsecos, sed extrinsecos. E contra vero Rubius, Martinus, & alij sustinent, viventia non solum in statu naturalis dispositionis, sed etiam in statu praeternaturalis dispositionis, & consequenter absolute certos, & praefixos terminos, tam magnitudinis, quam parvitatis, non extrinsecos, sed intrinsecos postulare. Fundamentum Martini est, quia termini extrinseci tunc solum veniunt designandi, cum nequeunt designari intrinseci absque incommodo. Ex eo autem, quod viventibus, adhuc in statu praeternaturalis dispositionis, termini intrinseci magnitudinis, & parvitatis designentur, nullum existimat incommodum oriri.

13 Nobis autem cum communiori sententia distinguendus est duplex status, in quo esse, & conservari possunt viuentia; unus, quem appellant naturalis dispositionis, & convenit illis via generationis, estque ille, quem habent viventia,

tia, sub illa quantitate, quam vi facultatis altricis bene se habentis obtinere possunt. Alter vero, quem appellant praeternaturalis dispositionis, & convenit illis via corruptivonis, estque ille, quem habent viventia (ratione alicuius noticiu extrinseci ducentis in interitum) sub maiori, vel minore quantitate, ac est illa, quam alias haberent ex vi facultatis altricis bene se habentis. Et si sermo sit de esse, & conservacione viventium, non simpliciter, sed in statu naturalis dispositionis, dicendum est requirere ad hoc esse, seu conservacionem terminos intrinsecos, tam magnitudinis, quam parvitatis. At, si sermo sit de esse, & conservacione simpliciter, & adhuc in statu praeternaturalis dispositionis, dicendum est, viventia exposcere terminos tam magnitudinis, quam parvitatis, non intrinsecos, sed extrinsecos.

14 Priorem partem huius asserti intendunt Arist. & Scotus locis nu. 7. citatis, atque ipsam probant rationes, quas nu. 8 & 9. adduximus. Aut enim nihil probant, aut probant, terminos parvitatis, & magnitudinis, quos exigunt viventia via generationis, & in statu naturalis dispositionis, esse intrinsecos. Et nunc confirmari potest contra Venetum a priori, & a posteriori.

15 A priori, quia, cum viven-

tia producantur in instanti, incipient habere esse intrinsecum, & per primum sui esse (vt ex nu. 4. & 5. constat.) Modò sic. Viventia (vt cum communi sententia admittit Venetus) non possunt gigni sub quavis quantitate, sed sub certa, & determinata, tam versus magnitudinem, quam versus parvitatem. Sumatur ergo quantitas, in qua propter eius magnitudinem vivens generari non possit, minuaturque continue quoad usque viventis generationi apta sit; in ista diminutione dabitur instans aliquod temporis, in quo liceat verè dicere (supposito, quod viventia incipiant, vt statutum est, intrinsecum, & per primum sui esse) nunc est vivens, & immediate antea non fuit: ergo quantitas illa, in qua genitum est huiusmodi vivens, est terminus intrinsecus magnitudinis ipsius; siquidem sub ea generari potuit, & non sub maiori; quia, si sub maiori potuisset, utique in ea prius fuisset genitum. Simili argumento potest etiam convinci, viventia via generationis intrinsecum habere parvitatis terminum, sumpta minori quantitate, in qua propter eius exiguitatem, non possit vivens generari, quae deinde continue augeatur quoad usque ad viventis generationem apta sit.

16 A posteriori vero, quia, si viventia via generationis non terminarentur, tam quoad magnitudinem, quam quoad

paruitatem, intrinsecè, sed extrinsecè, sequeretur, quod viuentia inciperent esse, non intrinsecè, & per primum sui esse, sed extrinsecè, & per vltimū sui non esse (quod, vt supponimus, est absurdum, & cōtra omnes.) Sequelam probō. Si terminarentur extrinsecè quoad magnitudinem, daretur quantitas, in qua non posset viuens generari ob suam magnitudinem, benè tamen sub quacūque minori. Si ergo illa quantitas vnus cubiti, incipiatque minui; cum motus illi diminutionis incipiat per vltimum non esse, (quia omnis motus successius sic incipit ex dictis num. 4. & 5.) dabitur instans, in quo sit verum dicere; nunc non est motus diminutionis, & immediatè post hoc erit: ergo etiam nunc nihil est diminutum huius quantitatis, & immediatè post hoc instans aliquid erit diminutū, ac proindè quantitas erit minor. Sed in quacumque minori viuens potest generari: (quia præter hoc nihil aliud deerat generationi) ergo verū erit dicere in illo eodè instanti, nunc non est viuens, & immediatè post hoc erit: quod est incipere per vltimū sui non esse; ac cōsequenter extrinsecè. Simili argumento potest probari idem inconueniens, si via generationis terminarentur viuentia quoad paruitatem extrinsecè, sumendo quantitatem vnus digiti, in qua

ob paruitatem non potest generari viuens, benè tamen in quacumque maiori, quæ successiuè augeatur, &c.

17 Posterior pars nostri asseruit, scilicet, ad hoc vt simpliciter, & adhuc via corruptionis, & in statu præternaturalis dispositionis conferuentur viuentia, etsi requirant terminos, tam magnitudinis, quam paruitatis, non tamen hos esse intrinsecos, sed extrinsecos, probari potest contra Rubiū, Martinium, & alios, tam à priori, quam à posteriori.

18 A priori, quia, cum viuentia desinant esse in instanti, incipient desinere esse extrinsecè, & per primum sui non esse (vt ex numer. 4. & 5. constat.) Modò sic. Augeatur viuens via corruptionis, & præter naturalem dispositionem vsque ad molem, in qua simpliciter conseruari non potest; in eo euentu dandum erit instans aliquod temporis, in quo verè dici potest, nunc non est viuens, & immediatè antea fuit; siquidem (vt supponimus) viuentia desinant esse extrinsecè, & per primum sui non esse: ergo in eo momento dabitur quantitas, quæ sit terminus, & nō intrinsecus sed extrinsecus versus magnitudinem huiusmodi viuentis via corruptionis, & ad conseruationem in statu præternaturalis dispositionis; siquidem sub ea esse non potest, & sub qualibet minori potest;

nam

nam si sub minori esse non potuisset, vtique sub ea prius non fuisset. Simili argumento idem conuinci potest de termino versus paruitatem, supponendo, quod minuatur viuens via corruptionis, & præter naturalem dispositionem ad eam vsque paruitatem, in qua simpliciter cōseruari nequeat; nam in eo euentu dandum erit aliquod temporis instans, in quo, &c.

19 A posteriori, quia, si viuentia via corruptionis, & in statu præternaturalis dispositionis terminarentur, tam quoad magnitudinem, quam quoad paruitatem, non extrinsecè, sed intrinsecè, sequeretur, quod viuentia desinere non extrinsecè, & per primum sui non esse, sed intrinsecè, & per vltimum sui esse; quod omnes reputant absurdum. Sequelam probō; quia, si viuentia via corruptionis habeat terminos magnitudinis, & paruitatis intrinsecos, designetur vnus homo, qui iam sit sub primo, & alius, qui iam existat sub secundo. Tunc certum est, posse primum hominem crescere per tumefactionem ex morfu viperæ, vel alterius similis causæ; & membra secundi contrahi ex aliqua causa, seu accidenti nimis frigido; & cum huiusmodi motus tumefactionis, & contractionis extrinsecè, & per vltimum non esse in-

cipiant, dabitur instans, in quo sit verum dicere, nunc non est tumefactio, seu condensatio, & tempore immediato erunt; ac per consequens dabitur etiā instans, in quo verificetur, nūc est viuens via corruptionis, & tempore immediato non erit: quod est desinere esse intrinsecè, & per vltimum sui esse; aut necessariò fatendum erit, viuentia conseruari via corruptionis in quantitate maiori maxima, vel minori minima.

20 Respondent Martinus, & Rubius, nos valdè decipi in hac probatione à posteriori, dum assumimus, ea, quæ per tumorem rarefiunt, & ex accidenti frigido condensantur, augeri, vel minui in quantitate; nam raritas, & densitas, aut sunt quædam qualitates, (vt communis fert sententia) aut diuersæ positiones partium; vt expressit Arist. categoriarum cap: 8.

21 Sed sanè ipsi potius decipiuntur; nam longè diuersum est, quod raritas, & densitas euenire non possint absque interuentu accretionis, vel diminutionis partium quantitatis; & aliud, quod raritas, & densitas consistant formaliter in accretione, & diminutione partium quantitatis: licet enim raritas, & densitas formaliter sumptæ nō consistant in accretione, seu diminutione quantitatis, sed potius (vt docuimus in

Lo.

Logica cap. de qualitate disp. vnica q. 2.) in diuersa positione partium substantiæ sub quantitate dicente actualem ordinem ad locum: quod loco citato his verbis expressit Arist. *etenim densum quidem ex eo quidpiam est, quia partes ipsius sibi ipsis propinqua sunt; rarum autem ex eo quod à se se distant.* Tamen valde allucinantur, qui existimant, has diuersas positiones partium substantiæ sub quantitate dicente actualem ordinem ad locum, in quibus formaliter raritas, & densitas consistit, posse euenire partibus substantiæ absque interuentu accretionis, vel diminutione partium quantitatis; vt cum Scotolarius in 1. lib. de ortu, & interitu ostendemus.

22 Sed quidquid sit de hoc, saltem negare non possunt aduersarij, in nutritione viuientis accrescere eius quantitatem, & per scissionem partis substantiæ diminui. Si ergo in sententia aduersariorum homo constitutus via corruptionis in termino intrinseco magnitudinis potest per tumorem rare fieri, & homo constitutus via corruptionis in termino intrinseco parvitas potest ex accidenti frigidum condensari, cur etiam non admittent, primum hominem posse per nutritionem augeri, & secundum per scissionem alicuius partis substantiæ diminui? ergo, cum motus nutritionis, & motus

scissionis partis substantiæ sint successiuè incipientes extrinsecè, & per vltimum sui non esse, idem argumentum militabit hic contra ipsos, quod militabat in motibus tumefactionis, & contractionis.

23 Ad primam ex his instantijs respondent primò, quod homo constitutus in termino intrinseco magnitudinis, si sumeret alimentum, non nutriretur illo, neque illud conuerteret in propriam substantiam; quia, cum supponatur habere maximam, illa non indigeret. Sed contra, quia, si in illo alimento introducerentur dispositiones, quæ in quolibet alimento sumpto à viuente introduci solent, est naturaliter impossibile, quod non conuertatur in substantiam ipsius viuentis: alias enim daretur materia sine forma; siquidem materia illius alimenti non posset habere formam alimenti, cum illa sit expulsa à dispositionibus contrarijs; neque formam viuentis; (vt contendunt aduersarij) neque quamcumque aliam, quia ad nullam aliam, præterquam viuentis, disposita est illa materia.

24 Secundò respondent, quod etiam si prædictus homo sumeret alimentum, & illo nutriretur, atque ipsum in propriam substantiam conuerteret, non tamen per prædictam nutritionem augetur, quia, cum haberet summam quantitatem,

quam

quam habere potest, deperderet tantam ex antiqua, quantum acquireret de nouo. Sed hoc & gratis dicitur, & oppositum ostendit experiëntia, quam videmus quotidie plures homines, qui postquam peruenerunt ad summam quantitatem requisitam via generationis, & in statu naturalis dispositionis, augentur adhuc per cibi sumptionem; quod augmentum extrahit eos ab illo statu naturalis dispositionis in viam corruptionis. Neque obstat, quod iam habent summam quantitatem, quia illa solum dicitur summa via generationis, & in statu naturalis dispositionis, non autem dicitur absolute summa, quam habere possunt.

25 Ad secundam instantiam respondent, ex eo quod ab homine constituto in termino intrinseco parvitas via corruptionis scinderetur aliqua pars substantiæ, non rectè inferri, quod desineret esse intrinsecè, & per vltimum sui esse; quoniã motus successiuus scissionis haberet vltimum indiuisibile, quod est primum non esse eius, sub quo est verum dicere, nunc primo abscissa est particula, & immediate antea non erat abscissa, sed scindebatur; & sub eodem etiam erit verum dicere, nunc corruptus est homo, & immediate antea non erat corruptus, sed corrupebatur: quod est desinere extrinsecè, & per primum sui non esse.

26 Sed quis non videat, repositionem istam allucinatorie laborare non parua. Fate-mur quippe libenter, partem carnis aliquotam, & determinatam, vt aliquotam, & determinatam incipere esse scissam intrinsecè, scilicet, in illo instanti terminatio motus scissionis; siquidem solum pro illo instanti verificari potest, partem illam aliquotam, & determinatam, prout aliquotam, atque determinatam, abscissam esse, non verò pro aliquo instanti temporis antecederis, in quo pars illa aliquota, & determinata scindebatur. Tamè cum quælibet pars aliquota, & determinata diuisibilis sit in infinitas partes proportionales, & indeterminatas, & de his partibus verificari non possit, quod incipiant esse scissæ intrinsecè, scilicet, in illo instanti terminatio motus scissionis, quia scissæ sunt tempore antecederis ad illud instans, quo durauit motus scissionis, erit necessario fatendum, incepisse esse scissas extrinsecè, non secus, ac incepit per se motus scissionis, scilicet, instanti initiatu illius motus, ita vt sicut verum est dicere nunc non est motus scissionis, & tempore immediato erit, ita similiter sit verum dicere de his partibus proportionalibus, nunc non sunt partes istæ scissæ, & tempore immediato erunt scissæ. Sed per scissionem non solum partis aliquo-

quo-

quotæ carnis, sed etiam cuiuscumque proportionalis desineret esse homo, si verum esset, quod via corruptionis haberet terminum paruitatis intrinsecum, (vt aduersarij contendunt) siquidem sub illa quantitate posset conseruari via corruptionis, & sub quacumque minori non posset: ergo concludit argumentum, quod, si in viuentibus via corruptionis daretur terminus paruitatis intrinsecus, sequeretur necessario, quod viuentia posset desinere esse intrinsecè, & per vltimum sui esse: quod est absurdum.

27 Sed contra priorem partem nostri asserti obijcit nobis Paulus Venetus. Si via generationis daretur in viuentibus terminus intrinsecus paruitatis, siue minimum, quod sic, ponamus, talem terminum esse quantitatem bipedalem. Tunc sic; omne agens naturale prius agit in propinquum, quam in remotum: ergo, cum illa quantitas bipedalis sit diuisibilis in partem priorem, & posteriorem, agens naturale, quod disponit illam materiam ad introductionem formæ viuentis, prius disponet partem sibi propinquiorem, quam remotiorem: ergo prius introducet formam viuentis in partem propinquiorem iam dispositam, quam in remotiorem nondum dispositam; ac per consequens quantitas materiæ bipedalis

via generationis non erit minima, in qua produci, & conseruari potest viuens.

28 Secundo obijcit; de facto in quavis parte minori, & minori viuentis reperitur forma eius: ergo etiam si illa pars separata esset ab alijs, posset etiã introduci, & conseruari in ea forma viuentis: ergo viuentia via generationis non habent minimum, quod sic. Probat primam consequentiam, quia non apparet maior ratio de illa parte separata ab illis, quam illis coniuncta.

29 Tertio obijcit. Si viuens positum in summa quantitate, quam dicimus sibi præfigere via generationis, sumeret alimentum, nutriretur illo. Sed in nutritione acquiritur noua pars substantiæ, atque quantitatis: ergo illa prima non erat maxima, aut concedenda est maior maxima.

30 Sed objectionibus istis facile occurret. Ad primam dicitur, quod, cum forma viuentis (scilicet, anima) sit, ex Aristot. loco supra citato, actus corporis organici vna ex dispositionibus necessarijs ad introductionem formæ viuētis in materia erit quantitas, non qualifcūque. Sed necessaria ad hoc, vt in ipsa materia sint organa, quæ eo ipso erit determinata in paruitate, quia non in quacūque parua materia possunt esse organa, quæ ad exercendas animæ operationes requi-

rua-

runtur; ac per consequens non censetur sufficienter disposita materia ad introductionem animæ, seu formæ viuētis quoad vsque qualitates, à quibus disponitur, totam illam quantitatem materiæ afficient.

31 Ad secundam negabis paritatem. Et ratio est, quia si de facto in qualibet parte materiæ viuentis reperitur eius forma, hoc est, quia illa pars alijs coniuncta reddit quantitatem materiæ sufficientem ad hoc, vt in ipsa possint esse organa quæ requiruntur in corpore viuentium ad introductionem animæ, seu formæ viuentis; quod non contingeret, si illa pars esset ab alijs separata.

32 Ad tertiam patet ex dictis, quod si viuens constitutū in summa quantitate, quam via generationis, & in statu naturalis dispositionis habere potest, sumeret alimentum, illud vtique conuerteret in propriam substantiam, & ita, si ex reactione alimenti non amitteret tantam quantitatem, quantam de nouo per nutritionem acquirat (quod sæpè contingere solet) absque dubio augmentaretur. Tamen esset iam in statu præternaturalis dispositionis, & in via corruptionis: quia haberet quantitatem maiorem illa, quam natura sua postulat via generationis, & in statu naturalis dispositionis. Vnde cum hoc benè compatitur, priorē quantitatem esse maximum,

quod sic via generationis, & in statu naturalis dispositionis: quod est nostrum assertum.

QVÆSTIO V.

Vtrum inanimata habeant certos terminos magnitudinis, & paruitatis?

1 **Q**uestio procedit (sicut præcedens) solū de eo, quod ab intrinsecò, & ex natura sua petunt inanimata. Et similiter procedit solū de terminis intrinsecis; nam saltem habere terminos extrinsecos nulli est dubium; siquidē neq; possunt ex natura sua esse, & conseruari in puncto, neque peruenire vsque ad quantitatem actu infinitam: Vnde pro termino extrinsecò paruitatis saltem habent punctum; & pro termino extrinsecò magnitudinis quantitatem infinitam.

2 Et quidem si sermo sit de termino magnitudinis, Caietanus 1. p. q. 7. art. 3. affirmat, entia inanimata homogenea (vt sunt ignis, aqua, &c ab intrinsecò, & ex natura sua postulare terminum intrinsecum. Quam sententiam secuntur Patres Carmelitani 6. Phys. disp. 27. q. 2. §. 3. & pro ipsa citant Auerroem 2. de anima cap. 4. Iandunum super 6. Phys. q. 16 & alios. Imò existimant, esse sententiam Arist. 2. de anima text. 41. vbi vniuersaliter dicit, *Exorta omnium, quæ natura*

con-

constat, est finis, tam magnitudinis, quam accretionis; & D. Tho. qui super prædictum locum lect. 8. eodem modo, ac Aristot. loquitur. Et pro eadem sententia citant D. Tho. 1. p. q. 7. art. 3. sed ibi Angelicus Doctor solū contendit, corpus naturale non posse esse secundum magnitudinem actu infinitum.

3 Fundamentum Caiet. atque horum Patrum est, quia etiam si quantitas quoad suum esse consequatur materiam, tamen quoad suam determinationem sequitur formam. Sed forma cuiuscumque entis naturalis est ex se, & ab intrinseco definita ad certam, & determinatam perfectionem: ergo & entia naturalia etiam inanimata homogenea erunt determinata ad certam, & determinatam quantitatem. Consequentiam probant.

4 Primò, quia si quantitas entium naturalium quoad determinationem sequitur formam, necessariò infertur, quòd si forma in sua perfectione est determinata, etiam quantitas entium naturalium, quæ, quoad determinationem eam consequitur, certa, & determinata sit.

5 Secundò, quia, si quantitas, quæ quoad determinationem certam, & determinatam formam consequitur, non esset determinata, effectus non proportionaretur suæ causæ contra Arist. 2. Physic. text. 37. &

38. & 7. Metaphysicæ capite de causa.

6 Tertiò, quia non ob aliam rationem omnes admittunt qualitates, quæ sunt dispositiones conseruatiuæ formæ substantialis in materia, habere certum, & determinatum terminum, nisi quia forma, cuius sunt dispositiones, habet certam, & determinatam perfectionem: ergo, cum quantitas etiam sit quædam ex dispositionibus ad conseruationem formæ substantialis in materia requisitis, idem de ipsa erit affirmandum.

7 Probant præterea Patres Carmelitani prædictam sententiam ex inconuenienti, quod sequeretur ex eo, quòd inanimata ex natura sua non haberent certum, & determinatum terminum magnitudinis, nimirum, quòd forma ignis, quæ conseruabatur in materia paruissima (scilicet, in materia vnus digiti) posset ex natura sua informare materiam quancumque etiam totius mundi: quod impossibile apparet; nã, si formæ substantiales habent determinatam spheram in agendo, multò magis in informando, siquidem informare est actus primus dependens ab ipsa in genere causæ formalis; agere autem est actus secundus dependens ab ipsa in genere causæ efficientis.

8 Sed opposita sententia, scilicet, inanimata ex natura sua

non

non exposcere terminum intrinsecum magnitudinis, sed posse in maiori, & maiori quantitate esse, & conseruari, est expressa Arist. 2. de Anima, text. 41. pro opposita sententia citato; ubi ex eo probat Aristot. ignem non esse solam causam accretionis viuētium, sed magis esse causam huius accretionis ipsas viuētium animas, quia ignis, quantum est ex se in infinitum accrescere potest; viuētia autem habent certum terminum magnitudinis, seu accretionis. Verba Philosophi sunt. *Hic autem (scilicet, ignis) concausa quidem quodammodo est, (scilicet, viuētium) non tamen simpliciter causa, sed magis anima: ignis enim augmentum in infinitum habet, quousque fuerit combustibile; natura autem constantium omnium (id est, viuētium omnium) terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti, hæc autem anima sunt, & non ignis. Quid clarius?*

9 Falluntur ergo Patres Carmelitani, dum hunc textum pro sua adducunt sententia, existimantes, in verbis illis, *natura autem constantium omnium terminus est, & ratio magnitudinis*, seu, ut ipsi secundum versionem aliam referunt, *eorum omnium, quæ natura constant, est finis tam magnitudinis, quam accretionis*, intelligere Arist. per *ly natura constantium* non solum viuētia, sed etiam inanimata. Hæc enim expositio non solum destruit ratiocinationem, quā in prædictis ver-

bis facit Aristoteles, sed etiam opponitur expositioni D. Th. lect. illa 8. ab ipsis allegata: nã sanctus Doctor ex prædictis Aristot. verbis solum colligit, dari terminum magnitudinis in viuētibus, non verò id statuit de inanimatis. Imò oppositum affirmavit, dum asserens cum ipso Arist. causam accretionis in viuētibus vsque ad istam determinatam magnitudinem non posse esse solum ignem, subdit pro ratione, *quia manifestum est, quòd ignis augmentum non est vsque ad determinatam quantitatem, sed in infinitum extenditur, si in infinitum materia combustibilis inueniatur*. Quare non immeritò ab alijs auctoribus pro sententia, quæ negat inanimatis intrinsecum magnitudinis terminum, citatur.

10 Eandem sententiam, ut Arist. loco citato, amplectitur Scotus 1. Physicorum quæst. 12. §. *Tunc ponuntur conclusiones*; & colligitur ex his, quæ docet circa terminum paruitatis inanimatorum 5. Metaph. quæst. 9. & 2 sententiarum d. 2. q. 9. in responsione argumentorum: estque recepta inter auctores tam veteres, quam recentiores; atque ipsam non leuiter suadet verba illa Prouerb. 30. *ignis nunquam dicit sufficit*. Et probari potest à priori, & à posteriori.

11 A priori, quia, si in viuētibus assignauimus terminum intrinsecum magnitudinis, hoc fuit,

fuit, quia uiuentia, cū augeantur per intusumptionem alimenti ad determinatum locū interuentu caloris naturalis, & influente parte principe spiritus vitales in parte loco dissitas, & horum virtutes in sua actiuitate determinatæ sint, ne que ex augmento uiuentis efficaciores fiant, sed potius indies læguescant, quod etiā ipsorum uiuentium augmentū sit determinatum, nec possit in infinitum abire, necessariū est. At inanimata, cū non augeantur per intusumptionem alimenti ad certum locum, sed per iuxta positionem, eorum augmentum non depēdet neque ab actione caloris naturalis, neque ab influxu alicuius partis principis in partes loco dissitas; (vt videri est in augmento, quod fit in aqua, vel igni per iuxta positionem nouæ partis aquæ, vel ignis) et si aliquando dependet ex calore potentiæ nutritiua; vt contingit cum augetur ignis per appositionem combustibilem, quæ ab igni in propriam conuertuntur substantiam, & hic calor in congressu talium combustibilem aliquid patitur; tamen parta victoria non solum restaurat ignis calorem deperditū, sed etiam hic calor accrescit, atque fit potentior ad resistendum contrarijs, & ad conuertendum in propriam substantiam plura alia combustibilia: (vt oculata

ostēdit experientia) ergo nullum apparet fundamentum, vt inanimatis, quantum est ex natura ipsorum, terminum intrinsecum magnitudinis præfigamus.

12 A posteriori verò, quia, si ignis, v.g. vel aqua haberent ex natura sua terminum intrinsecum magnitudinis, sequeretur, quod positus ignis in illo termino, si ei applicaretur stupam, non posset illam comburere, & posita aqua in prædicto termino, non possemus in ipsam nouam partem aquæ superfundere: quæ sunt planè ridicula. Sequela patet; nam, si ignis combureret stupam, & in aquam infundamus nouam partem aquæ accresceret tam ignis, quàm aqua, moles, quod supponitur impossibile.

13 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, duplicem perfectionem nos posse in forma substantiali cuiuscūque entis naturalis considerare, vnam intensiuam, quæ est perfectio entitativa, eò quod ipsam formam constituat in perfectiori gradu entis, vel specifica, vel indiuiduali iuxta naturam perfectionis intensiuæ. Et alteram extensiuam, que etiā si fiat in forma substantiali per additionem nouæ partis formæ substantialis; non tamē est perfectio entitativa, eò quod formam præexistentem non constituit in perfectiori gradu entis, sed in eodem gradu entis, quem

quem forma antea habebat, ipsam quasi diffundit, & extendit. Si sermo sit de perfectione extensiuam, falsum assumunt aduersarij in minori sui discursus, scilicet; formam substantialem cuiuscūque entis naturalis esse ex se, & ab intrinseco definitam ad certam, & determinatam perfectionem; nam sicut de ipso ente naturali inanimato nos asserimus ex se, & ab intrinseco non esse definitum ad certam, & determinatam magnitudinem, seu perfectionem extensiuam, sed posse accrescere in maiorem, & maiorem; ita idē affirmamus de partibus eius essentialibus, scilicet, materia, & forma. Si verò sermo sit de perfectione intensiuam, seu entitativa, fatemur libenter, formam substantialem cuiuscūque entis naturalis esse ex se, & ab intrinseco definitam ad certam, & determinatam perfectionem. Tamen perperam inde infertur, entia naturalia inanimata, quorum sunt formæ, debere etiam, quantum est ex se, & ratione suarum formarum, habere certam, & determinatam quantitatem; siquidem determinatio quantitatis entium naturalium non sequitur ad perfectionem intensiuam suarum formarum, sed potius ad perfectionem extensiuam.

14 Vnde ad primam probationem dicimus, quod, cum quantitas entium naturalium

quoad suam terminationem, vel non terminationem non sequatur perfectionem formæ intersuam, sed extensiuam, quæ (vt dictum est) in formis inanimatorum non habet præfixum terminum magnitudinis, potius infertur oppositum, scilicet, neque quantitatem entium naturalium inanimatorum præfixum magnitudinis terminum postulare.

15 Et ex his etiam patet, secundam probationem potius concludere pro nobis; nam, si quantitas entium naturalium quoad terminationem, vel non terminationem est effectus sequutus ad perfectionem extensiuam formarum ipsorum, cum inanimatorum formæ secundum istam perfectionem non habeant terminum magnitudinis intrinsecum, fatendum necessario est (si verum est illud Arist. affatum, *Effectus, & cause debent proportionari*) neque etiā illum habere ipsorum inanimatorum quantitatem.

16 Ad tertiam dicimus, quod, cum inter dispositiones, quæ ad conseruationem formæ substantialis inanimatorum in materia requiruntur, qualitates in sua determinatione perfectionem intensiuam, seu entitativam formæ substantialis consequantur, quæ (vt dictum est) terminum habent intrinsecum, quantitas verò perfectionem extensiuam, quæ nullo termino intrinseco definitur, quàm

aptè ex priori capite omnes colligunt, entia inanimata ab intrinseco, & ratione suæ formæ exposcere qualitates in sua intensione termino intrinseco definitas; ita ineptè ex posteriori capite inferri, eadem inanimata ab intrinseco, & ratione suæ formæ quantitatem, quæ ex sua extensione termino intrinseco præfiniatur, postulare.

17 Ad ultimam probationem respondetur, dupliciter posse intelligi, formam ignis, quæ in parvissima conservatur materia (quæ est unius digiti) posse ex natura sua informare quamcumque materiam, etiam totius mundi. Primò per additionem continuam novæ partis formæ ignis in nova parte materiæ genitæ. Et in hoc sensu nullum est inconueniens, quòd forma ignis, quæ conservatur in unius digiti materia ex natura sua possit informare quamcumque materiam, etiam totius mundi; imò hoc intendunt Arist. & D. Th. atque Prouerbiorum verba citata. Secundò non per additionem continuam novæ partis formæ ignis in noua portione materiæ genitæ, sed per extensionem illius partis formæ ignis per modum indiuisibilis existentis ad quamcumque aliam materiam ad modum inquam, quo in homine anima rationalis extenditur ad informandam nouam partem materiæ, quam in nu-

tritione acquirit. Et hoc secundò modo fatemur libèter, esse impossibile, quòd forma ignis, quæ conservatur in materia unius digiti, possit informare materiam quamcumque maiorem. Tamè hinc nihil inferitur contra nos, qui etiam si affirmemus, inanimata ab intrinseco, & ratione suæ formæ non habere terminum intrinsecum suæ magnitudinis; & consequenter posse formam ignis, quæ conservatur in materia unius digiti, ex natura sua quamcumque maiorem informare materiam, etiam totius mundi, sed non in hoc posteriori sensu, sed in priori, qui est proprius omnium formarum materialium.

18 Si verò sermo sit de termino intrinseco paruitatis, idem Caietan. loco citato sustinet, inanimata etiam homogenea (vt sunt ignis, aqua, &c.) tam ad suam generationem, quam ad conservationem ab intrinseco, & ratione suæ formæ terminum intrinsecum postulare. Et videtur esse D. Th. in 2. d. 14. q. 2. art. 1. ad 4. & in 4. d. 12. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. & ipsam defendunt ex neothericis Caberustract. 6. disp. 3. dub. 2. Conimbricenses cap. 4. huius libri q. 1. art. 7. & Patres Carmelitani loco supra citato q. 3. & ex antiquis citari solent Auerroes 6. Phys. commetò 32. & 99. Greg. in 1. d. 17. q. 2. art. 3. Durandus in 2. d. 18. quæst. 1. Ferrara hic q. 7. Soncinas 8.

Me-

Metaph. q. 3. & alij. Imò videtur esse Aristot. nam in hoc primo libro Physic. text. 38. disputans contra Anaxagoram determinat dandam fore minimam carnem, & minimam aquam.

19 Et probari solet. Primò experientia, qua experimur, quòd si ignis v. g. in minutas partes abeat, illicò extinguitur: quòd non contingeret, si ad suam conservationem ignis terminum suæ paruitatis non exigeret.

20 Secundò, quia cum quodcumque sit propter suam operationem (vt testatur Arist. 2. de Cælo cap. 3. text. 17. & 1. ethic. cap. 7.) necessariò fatendum est, unumquodque ens naturale ad suam generationem, & conservationem eam quantitatem exigere, in qua suas operationes exercere valeat. Sed dari potest quantitas tam exigua, vt sub ea, neque ignis, neque aqua possint suas operationes exercere: ergo & sub qua nequeat generari, & conservari.

21 Tertiò, quia ex opposita sententia sequeretur, quòd entia naturalia inanimata, (vt sunt ignis, aqua, &c.) inciperent esse extrinsecè, & per vltimum sui non esse: quòd affirmari non debet; nam, cum solum incipiant extrinsecè, quæ successiuè producuntur, si ignis, vel aqua inciperent extrinsecè, eorum productiones non essent instantaneæ, sed succes-

suæ, & consequenter verè, & propriè motus: quòd repugnat Aristoteli tum 5. Physicor. vbi negat, ad substantiam dari per se motum; tum 6. eiusdem tractatus, vbi docet, substantiam produci in instanti, & incipere per primum sui esse. Sequela patet, quia, si non assignatur pars determinata in ignis, vel aquæ generatione, neque etiam assignari poterit instans, in quo sit verum dicere, nunc est ignis, vel aqua, & immediatè antea non erat, sed instans, in quo sit verum dicere, nunc non est ignis, vel aqua, & immediatè post hoc erit.

22 Nihilominus verior apparet sententia, quam tenet Scotus 1. Physicorum q. 13. concl. 1. & 5. Metaph. q. 9. & in 2. dist. 2. quæst. 9. littera F. scilicet, inanimata homogenea (vt sunt ignis, aqua, &c.) ab intrinseco, & ratione suæ formæ non exposcere, neque ad suam generationem, neque ad suam conservationem terminum intrinsecum paruitatis, ac per consequens posse ex se, & seclusis contrarijs, quibus circumstat, generari, & conservari in minori, & minori quantitate. Scotum sequuntur omnes discipuli, Pitigianus in annotationibus ad quæstionem 13. primi Physicorum liter. C. Faber theoremate 36. Maior in 1. dist. 17. quæst. 16. Ochamus

in 2. d. 8. Pererius lib. 10. cap. 23. Valesius controuersia 5. Plaça disp. 3. quæst. 2. Martinus disput. 4. q. 2. Rubius in tract. de hac re q. 2. & plures alij.

23. Probatursententia ista rationibus Scoti, quæ plurimorum calculo efficacissimæ sunt. Prima est. Continuum (ex Aristot. 5. Metaph. capit. 13.) est diuisibile in partes, quarum vnaquæque potest esse hoc aliquid, id est, separata ab alijs potest existere, vt indiuiduum in illa specie. Sed quodcumque inanimatum homogeneum (v. grat. ignis, aqua, &c.) quantumvis sub parua excogitetur quæritate, est quoddam continuum: ergo potest diuidi in partes, quarum quælibet potest esse hoc aliquid, id est, separata ab alijs existere potest, vt indiuiduum in illa specie: ac per consequens non dabitur tam parua quantitas, in qua possit conservari inanimatum homogeneum, quin possit dari alia minor, & minor, sub qua etiam, quantum est ex natura sua, non possit conservari.

24. Respondent aduersarij continuum etsi ex ratione sua formali sit diuisibile in partes, quarum vnaquæque potest esse hoc aliquid; tamen ratione subiecti posse prouenire, vel quod absolutè non possit diuidi (vt contingit in corporibus ælestibus) vel quod si absolu-

tè possit diuidi, non tamen in partes quarum vnaquæque potest esse hoc aliquid; vt videri est in heterogenijs continuis, seu viuentibus, quæ etsi diuidi absolutè possint, sed nō in partes, quarum vnaquæque potest esse hoc aliquid; id est, indiuiduum illius speciei, in qua collocatur continuum heterogeniū, seu viuēs, quod diuiditur. 25. Sed licet negari non possit, posse contingere ratione subiecti, quod continuum non possit diuidi, vel absolutè, vel saltē in partes, quarū quælibet possit esse hoc aliquid (vt instantiæ adductæ manifestè conuincunt.) Tamen, vt argumēto Scoti satisfaciant aduersarij, adhuc illis restat assignare rationem, ob quam inanimata homogenea ratione subiecti non possint diuidi in partes, quarū quælibet possit esse hoc aliquid: nam ratio, quæ conuincit, continua cælestia ratione subiecti nullo modo posse diuidi, (scilicet, quia corpora cælestia sunt incorruptibilia) potius conuincit oppositum de cōtinuis inanimatis homogeneis sublunaribus; siquidem hæc sunt corruptibilia: & ratio, quæ conuincit, cōtinua heterogenia, seu viuētia ratione subiecti nō posse diuidi in partes, quarū vnaquæque possit esse hoc aliquid (scilicet, quia partes eorum non sunt eiusdem rationis cum toto) etiam conuincit oppositū de continuis inanimatis ho-

ho;

homogeneis; siquidem in his partes sunt eiusdem rationis cū toto. Manet ergo in sua vi Scotica ratiocinatio.

26. Secunda ratio Scoti (& quæ probat, sicut & præcedēs, in homogeneis inanimatis nō dari terminum paruitatis via corruptiōis) talis est. Ponatur minimus ignis, qui (secundum oppositam sententiam) dari potest, in vacuo, ita vt nullum contrarium extrinsecum potens eum corrumpere, & in se conuertere, circumstet. Tunc ille ignis minimus diuidatur ab Angelo: in hoc enim nulla apparet repugnantia, cum ille minimus ignis sit, quid continuum, & consequenter natura sua diuisibile in semper diuisibilia; neque ex parte subiecti aliquid appareat, attendendo ad naturam illius, à quo possit impediri, quod hæc diuisibilitas ad actum reducatur, vt ex dictis in ratione præcedenti constat. Modò inquiri, an ille ignis ex vi illius diuisionis Angelicæ abiret in nihilum? an diuidiretur in ignes? an in non ignes? Non potest dici, quod abiret in nihilū. Tum quia contra naturam diuisionis est, quod diuisū abeat in nihilum; in dicta enim hypothesi Angelica actio non esset diuisio, sed annihilatio vocitanda. Tum etiam, quia sicut Angelus non potest (adhuc præsupposito quocumque miraculo) actione propria aliquid

create, ita neque aliquid annihilare (requirūt enim actiones istæ virtutem infinitam in operante) vt fatentur omnes. Neque potest dici, quod diuideretur in non ignes. Tum, quia vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus componitur: partes autem integrantes, & componentes illum ignem, qui diuiditur, & resoluitur, non erant non ignes, sed potius ignes. Tum etiam, quia, si diuideretur in non ignes, vel diuideretur in partes materiæ, quæ essent informatæ alia forma substantiali; vel in partes materiæ, quæ essent denudatæ omni forma. Non potest dici hoc vltimum, quia virtute agentis naturalis (adhuc supposito illo miraculo collocationis ignis in vacuo) non potest materia denudari omni forma substantiali. Neque etiam dici potest primum, quia per solam diuisionem non possunt generari nouæ formæ substantiales. Nec valet dicere, quod tunc generarentur à corporibus circumstantibus; quia (vt supponimus) ille ignis est in vacuo, & à nullo alio corpore extrinsecō circumdatur. Superest ergo dicendum, quod ille ignis diuideretur in ignes, ac per consequens ignis datus non potest esse minimus, vt contendunt aduersarij.

27. Eodem argumento vti possumus adhuc in hypothesi, quod

f 3

quod

quod prædictus minimus ignis non esset per miraculum constitutus in vacuo, sed existens naturaliter in loco sibi debito; nam et si in dicta hypothese affirmari posset, quod partes illæ, in quas diuidiretur ab Angelo prædictus ignis, conuerterentur à corporibus circumstantibus in propriam substantiam, inducendo in illarum materias proprias formas. Tamen cum inductio harum formarum non posset fieri in instanti diuisionis, sed in tempore subsequenti, si quidem ad hanc inductionem necessarii debent præcedere in illis partibus ignis alterationes aliquæ, quibus ad recipiendas formas substantiales materię ipsarum disponerentur; & hæc, cum sint motus successiui, non possunt fieri in instanti, sed in tempore, necessario fatendum erit, toto illo tempore, quo durarent alterationes, conseruari formam ignis in illis partibus, & consequenter illam ignem, qui diuiditur, non posse esse via corruptionis minimum, quod sic, vt contendunt aduersarij.

28. Tertia ratio Scoti (& quæ probat, non dari in homogeneis inanimatis terminum in rursus eum paruitatis via generationis) sic efformatur. Si inanimata homogenea (v. grat. ignis) possent ad suam generationem minimum, quod sic, sit hoc minimum quantitas digitalis, & huic applicetur ignis

nis, siue (vt fortius fiat argumentum) ferrum candens, cui non poterit vniri ignis, qui ab ipso generatur. Tunc sic; omne agens naturale applicatum passo diuisibili prius agit in primam medietatem eius (vt potè ei propinquorem) quam in secundam: ergo imprimet ignis, seu ferrum candens primam medietati priusquam secundam dispositiones necessarias ad formam ignis introducendam: ergo prius generabitur ignis in medietate, quam in tota quantitate digitalis; ac proinde illa non erit minima quantitas requisita ad generationem ignis, vt supponunt aduersarij.

29. Respondent aliqui, illud proloquium (*agens naturale applicatum passo diuisibili*), prius agit in primam medietatem eius (vt potè propinquorem) quam in secundam) esse verum quando prima medietas passi diuisibilis est capax recipiendi formam; secus autem quando est incapax, vt ipsi iudicant esse medietatem quantitatis digitalis respectu receptionis dispositionis requisitæ ad introductionem formæ ignis.

30. Sed contra. Motus alterationis, per quem introducuntur in illa quantitate digitali dispositiones ad generationem formæ ignis requisitæ, non est minus successiuus in sua extensione per illam quantitatem, quam in sua intensio-

sio-

sione. Sed in sua intensione (eo quod successiuus est) repugnat peruenire ad secundum gradum, quin prius perueniat ad primum; ergo etiam in sua extensione (cum etiam successiuus sit) repugnat peruenire ad secundam medietatem illius quantitatis digitalis, quin prius perueniat ad primam, nisi illa sit multo maius. Propter hæc alij respondent, quod licet ignis, seu ferrum candens imprimat dispositiones ad generationem formæ ignis requisitæ prius in medietate illius quantitatis digitalis, quam in tota illa quantitate, non tamen indefequitur, quod etiam formæ ignis prius sit introducta in prima illa medietate, quam in tota ipsa quantitate; eo quod vna ex dispositionibus requisitis ad introductionem formæ ignis est tota illa quantitas digitalis, ac per consequens non iudicatur sufficienter disposita materia ad introductionem formæ ignis; quoad vltimæ dispositiones per totam illam diffundantur quantitate. Quam solutionem affirmant a nobis necessarios admittendam fore, qui simili solutione vsi sumus in quæst. præcedenti numero, 30. ad argumentum simile, quo vsus sit Paulus Venetus ad probandum viuentium generationem non ex posse et corruptum in rursus eum paruitatis via

3202

Sed quis non videat, solutionem istam principium perere; assignat enim praerogatione, ob quam non introducatur forma ignis in illa medietate materię digitalis, quæ prius est disposita, id est, quo in presenti est contenta, & nos contendimus esse falsum, scilicet, quia ignis in sua generatione, exposcit terminum in rursus eum paruitatis; scilicet, materia in digitale, & sic ex dispositionibus ad generationem requisitis, vnam obesse, quod dispositiones qualitatiuæ (vt sunt calorem summum, & sic citas propè summum) per totam illam materiam diffundantur, quod non potest esse nisi 33. Quod si nos hæc solutio non vsus sumus ad simile argumentum, quod contendebat Paulus Venetus, viuentium non exposcere via generationis terminum in rursus eum paruitatis, sed non petendo principium, si quidem illius, quod supponimus (scilicet, vnam ex dispositionibus ad generationem requisitis esse determinatam quantitatem) rationem reddimus; nam in his, quia anima, quæ est forma viuentium, ex Aristotele est actus corporis organici, & sic supponitur vni dispositione, quod materia sit organica; quod absque determinata quantitate est in paruitate, non inquiri in: in hoc signum est, quia si hoc sit pro toto, & conclusio est manifeste ratio, quæ quædam

14

vi-

viuentibus datur minimum, quod sic, est, quia forma viuentium supponit, vt dispositionem necessariam in materia, quod sit organica; cum formæ inanimatorum homogeneorum hanc dispositionem in materia non exposcant, sed sufficiant qualitates ipsis debite, quæ in quacumque parte materiæ minori, & minori reperiri possunt; profectò non apparet, ad quid in istorum generatione ab intrinseco, & quantum est ex natura ipsorum terminum paruitatis intrinsecū requiramus.

34 Ad auctoritatem Aristot. pro opposita sententia adductam optimè respondet Scotus loco Metaph. citato, §. *Contra; per illam rationem*, vers. *Ad Philosophum*, ibi Aristot. non concedere minimam quantitatem in qua caro possit generari, aut conseruari, & non sub minori, sed solùm concedit, dari minimam carnem, ex qua non possit virtute agentis naturalis quodcumque aliud generari. Loquitur enim de minimo contra Anaxagorā; qui (vt Aristot. ei imponit) asserbat, quodlibet contineri in quolibet; & hoc, quia quodlibet potest generari ex quolibet: contra quod obijcit Philosophus, quod veniant ad aliquā minimam carnem, ex qua nō possit quodlibet generari; quia illa minima caro non potest sustinere actionem cuiuscum-

que agentis naturalis: quod tamen est contra Anaxagorā, qui ponebat, quodlibet generari ex quolibet in infinitū.

35 Ad primam rationem dicimus, quod si experimur, ignem, quoties in minutas partes abit, illicò extingui, hoc non est, quia ex natura sua ad sui conseruationem requirat terminum intrinsecum paruitatis; sed quia virtus, quæ est in igni ad resistendum contrarijs circumstantibus, per sui diuisionem in partes minutas debilitatur (Virtus enim vnita fortior est se ipsa dispersa) & sic datur locus, vt à contrarijs citius superetur, & corrūpatur.

36 Ad secundam concessa maiori negamus minorē; nulla enim est quantitas tam exigua, in qua non possit ignis, aut aqua suas operationes (vt sunt calefacere, & exiccare; frigefacere, & humectare) exercere; licet propter suam paruitatem non possint à nostris sensibus percipi. Aliàs probaret argumentum, non solùm formas substantiales requirere ad suam generationē, & conseruationem terminum intrinsecum paruitatis, sed etiā hunc exposcere qualitates: quod neque aduersarij admittunt, vt in quæstione sequenti constabit.

37 Ad tertiam dicimus, ex duplici capite prouenire posse, quod productio alicuius rei permanentis sit successiua, &

con;

consequenter, quod talis res exposcat incipere extrinsecè. Primò ab intrinseco, & per se: & hoc contingit, quoties forma rei permanentis, quæ producitur, natura sua habet, vel partes intensionis habentes contrarium; (vt contingit in alteratione) vel partes extensionis quantitatiuæ dicentes ordinem ad locum (vt contingit in augmentatone.) Secundò ab extrinseco, & per accidens: & hoc contingit, quoties etsi forma rei permanentis nihil istorum habeat; inducitur tamen in subiectum quantitatiuè extrinsecum; & ideò, sicut disponens prædictum subiectum ad receptionem prædictæ formæ, partes ipsius successiue disponit ita, & quod prædicta forma successiue producat, & recipiatur in partibus illius subiecti, & non tota simul, necessarium erit. Ex primo capite verissimum est, productionem cuiuscumque substantiæ etiam inanimatæ, & homogeneæ non esse successiuam, sed instātanèam; ac per consequens prædictas substantias non exigere, quod incipiant extrinsecè, sed potius intrinsecè. Et hoc est, quod Aristot. 6. Physic. & sæpè alibi intendit. Tamen ex secundo capite productio substantiarum inanimatarum, & homogenearum successiua est; & cōsequenter substantiæ istæ postulant incipere extrinsecè; vt acatè sa-

tis docuit subtilis Doctor q. 2. sup. 5. Physicorum, & manifestè conuincit non solum ratio adducta pro nostra sententia nu. 28. sed & experientia, qua experimur, ignem in ligno quanto, non subito, sed paulatim, & successiue generari. Neque ex hoc sequitur contra Aristotelem, productionem substantiæ nō esse mutationē, sed motum; nam vt aliqua productio sit motus propriè sumptus, non sufficit, quod sit successiue ex accidenti, sed quod ex natura sua petat fieri successiue, vt latius dicam super 5. huius operis. Ex nostra ergo positione (scilicet, in inanimatis homogeneis via generationis non dari terminum intrinsecū paruitatis) etsi sequatur, inanimata ista produci successiue; & consequenter incipere extrinsecè; sed non ex primo capite, qua ratione esset inconueniens, sed ex secundo, in quo nullum apparet.

QVÆSTIO VI.

Vtrum in accidentibus detur maximum, & minimum?

HÆc quæstio solū est exagitanda de duobus accidentiū generibus (scilicet, de quantitatibus, & qualitatibus) quippè hæc solū genera accidentiū sunt, quæ per se suscipiunt magis, & minus; quātitates secundum extensionem; & secundum intensionem qualitates; reliqua verò per accidens, & ratione istorum,

2. Est autem advertendum, quod, cum inquirimus, an quantitates in sua extensione, & qualitates in sua intensione terminentur ad maximum, & minimum? tam quantitates, quam qualitates possunt duobus modis considerari. Primum, in quantum sunt dispositiones requisitæ ad conservationem entis naturalis. Secundò solum in attendendo ad id, quod natura sua, & consideratis earum entitatibus exposcunt.

3. Et quidem si in quantitatibus consideremus id, quod exposcunt, in quantum dispositiones sunt requisitæ ad conservationem entium naturalium, patet ex dictis in duabus præcedentibus questionibus, quod pacto requirant, vel non requirant terminum intrinsecum tam magnitudinis, quam parvitatis. Hæc enim difficultas coincidit cum illis.

4. Si vero exposcimus id, quod natura sua, & consideratis earum entitatibus desiderant, dicendum est, cum communi omnium sententia, quantitates continuas in sua extensione, neque habere maximum, neque minimum. Est enim utraque pars expressa Aristot. prior lib. 3. huius operis cap. 6. dum dicit, infinitum in potentia secundum accretionem non repugnare quantitati. Posterior autem hic cap. 2. text. 17. dum dicit, continuum esse in infinitum divisibile.

5. Dixi autem notanter *quantitates continuas*: nam si quantitates sint discretæ, etsi quoad magnitudinem non habeant terminum intrinsecum, sed possint in infinitum abire. (Sicut est continua) nam dato quocumque numero potest assignari maior, & maior usque in infinitum. Tamen versus parvitatem termino intrinsecò definiuntur, si quidem non potest assignari minor, seu inferior numerus, quam binarius.

6. Item in qualitatibus si id, quod exposcunt quatenus dispositiones sunt ad conservationem entium naturalium, petemus, dicendum est cum Scot. et hic cap. 12. pag. 77. §. *Secunda conclusio*, & communi omnium sententia, exposcere terminos intrinsecos tam intensiōnis, quam remissionis. Hoc constat in igni, in quo ad hoc, ut eius forma in materia conservetur, requiritur, quod habeat calorem in summo, & sic citatem propè summam. Et idem exemplificari potest cum debita proportione in alijs elementis, & in multis alijs.

7. Et ratio à priori est, quia (ut q. 5. num. 17. dicebamus) dispositiones qualitativæ, quæ ad conservationem entium naturalium requiruntur, in sua determinatiōne consequuntur ad perfectionem intensivam, seu entitativam ipsarum formarum. Sed formæ entium naturalium in prædicta perfectio

ne

ne sunt intrinsecè, tam versus magnitudinem, quam versus parvitatem, determinatæ: ergo quod etiam dispositiones qualitativæ in sua intensiōne prædictos terminos sibi præfigant, erit necessarium.

8. Advertendum tamen est, hanc assertionem esse intelligendam de qualitatibus, ut sunt dispositiones requisitæ ad conservanda entia naturalia in statu naturalis dispositionis, & (ut dici solet) via generationis; nã ad illa conservanda in statu præternaturalis dispositionis, & via corruptionis, etsi prædictæ qualitates requirant terminum, tam in sua remissione, quam in sua intensiōne, sed non intrinsecum, sed extrinsecum, ut docuit Scotus quæst. 12. citata pag. 78. §. *Quarta conclusio*, & quæst. 13. §. *Secunda conclusio*.

9. Et ratio efficax est, quia si terminus intrinsecus intensiōnis, vel remissionis, quem requirimus in his qualitatibus, non solum esset necessarius in eis ad hoc, ut sint dispositiones conservatiivæ entium naturalium in statu perfectæ dispositionis, & via generationis, sed etiam in statu præternaturalis dispositionis, & via corruptionis, sequeretur, quod nullum ens naturale posset distrahi ab isto gradu intensiōnis, vel remissionis suarum qualitarum (qui necessarius est ad ipsorum generationem) nisi in instanti

initiatio distractionis desineret simpliciter, atque absolutè esse: quod non solum est contra naturam desitionis entium naturalium, (petunt enim natura sua desinere esse simpliciter, & absolutè, non intrinsecè, & per ultimum sui esse, sicut in præsentì contingeret, sed extrinsecè, & per primum sui non esse.) Sed etiam est contra experientiam, quæ experimur, entia naturalia, tam animata, quam inanimata, etsi distraherentur, vel naturaliter, vel violenter ab illo intensiōnis, vel remissionis gradu suarum qualitarum, in quo generata sunt, non subito, & in instanti initiatio distractionis simpliciter, & absolutè perire, sed adhuc permanere per aliquod tempus distractionis, licet non in statu naturalis dispositionis, sed via corruptionis, & in statu præternaturalis dispositionis.

10. Si tamen in qualitatibus id, quod natura sua, & consideratis eorum entitatibus exposcunt consideremus, maior difficultas est inter auctores; nam prima sententia affirmat, in intensiōne qualitarum dari minimum quod sic, & hoc minimum esse gradum acquisitum in instanti initiatio alterationis sic cessivæ. Ita Toletus libro 1. de Ortu, & interitu q. 6. qui tribuit illam Averroï 8. Physicorum commento 33. Gregorio in 1. distinct. 17. quæst.

quæst. 1. art. 3. & ibidem Capreolus q. 2. art. 2.

11 Et probari potest. Primò ex Arist. qui 8. Physic. text. 16. vniuersaliter dicit, cuiuslibet rei permanentis dari prinū esse in instanti acquisitum. Sed qualitas est res permanens: ergo habet primum esse in instanti acquisitum (scilicet, primum gradum intensiōis) quod producit in instanti initiatio alterationis successiuæ. Hic ergo gradus erit minimū, quod sic in intensiōe qualitatum.

12 Secundò, quia, quādo calor remittitur per frigiditatē, incipit remoueri à subiecto extrinsecè, & per primum nō esse. (Hoc enim pacto incipiūt, quæ sunt successiuè.) Sed primum non esse exclusionis caloris est primum esse introductionis frigoris; quippè exclusio formæ corrumpendæ, & introductio generandæ simul sunt: ergo datur primum esse frigoris, ac per cōsequens minimum, quod sic.

13 Tertio, quia, si non daretur minimus gradus frigoris, seu cuiuscumque alterius qualitatis, sed dato quocūque gradu posset dari minor, & minor vsque in infinitum, sequeretur, remissionem esse motum perpetuum, & in infinitum durare. Consequens non solum est contra Arist. qui 8. Physic. text. 94. hoc solum concedit motui locali circulari; sed etiā contra experientiam, qua ex-

perimur, per calefactionē penitus in ligno remitti frigus præexistens.

14 Secunda sententia suffinet, in intensiōe qualitatum non dari maximum quod sic, id est, terminum intrinsecum magnitudinis, sed quacumque intensiōe data posse dari maiorem, & maiorem vsque in infinitum. Ita Capreolus in 1. distinct. 17. quæst. 2. art. 1. & in 3. d. 13. quæst. vnica art. 3. ad 3. Gregorius in 1. d. 17. quæst. 6. Ochamus quæst. 8. & ibidem Gabriel art. 2. & in 3. d. 13. q. vnica art. 1. Almainus quæst. 1. Scotus hic quæst. 4. & videtur esse D. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 7. & est communis inter expositores eius super 3. p. Suarez disp. 22. sect. 2. Vazq. disp. 47. à cap. 3. Valentia q. 7. pun. 2. & alij.

15 Fundamentum est, quia augmentum qualitatum simile iudicatur augmento quantitatis. Sed (vt visum est) quantitates in suo augmento nō habent terminum intrinsecū ex natura sua, & consideratis earum entitatibus: ergo neque etiam illum habere debēt qualitates.

16 Et confirmatur, quia data quacumque intensiōe in qualitate, potest Deus producere de nouo alium gradum, atque cum præexistentibus coniungere, & illam augmentare. In hoc enim nulla apparet implicatio: quia non ex parte agentis;

tis; cum sit infinitæ virtutis: neque ex parte subiecti; quia loquimur de qualitatibus secundum se consideratis; neque demum ex parte ipsarum qualitatum; cum extensio præexistens, finita sit, & secundum probabiliorem sententiam per additionem gradus ad gradum augeatur. Quod specialiter in gratia habituali dicunt esse manifestius, cum hæc sit quædam participatio diuinæ naturæ, quæ, cum sit infinita, potest in infinitum participari.

17 Tertia sententia verior, & sequenda affirmat contra primam sententiam in intensiōe qualitatum non dari minimum, quod sic, seu terminum intrinsecum paruitatis; & cōtra secundam dari maximum, quod sic, seu terminum intrinsecum magnitudinis. Priorem partem huius asserti docuit Scotus in 2. dist. 2. quæst. 9. in solutione argumentorum, vbi etiam si in principio loquatur de termino paruitatis secundum extensionem, paulò tamen inferius idem docet de termino paruitatis secundum intensiōem; & hæc pars est iam recepta, & communis in vtraque schola.

18 Posteriores verò partes docuit idem Scotus in 3. d. 13. loquens de gratia Christi Domini, §. Ad secundam quæstionem, & §. Ad primam quæstionem, quem quoad hanc partem secuntur tam antiqui, quam, neotheri-

ci expositores, Lichetus, & Tartaretus in eadem distinctione 13. Faber disp. 29. cap. 2. Quādo q. 1. art. 1. dub. 1. Pitigianus q. 1. artic. 5. Ex alijs autem tenent eandem partem noster Seraphicus Doctor in prædicta distinctione 13. art. 1. q. 2. & in 1. d. 17. 2. p. artic. 1. q. 4. Ricardus ibidem art. 2. q. 2. & in 3. d. 13. art. 1. q. 2. Durād. ibidem q. 1. Caiet. super 3. p. q. 7. artic. 11. & clarius 2. 2. q. 24. art. 7. Lorca de Incarnatione disp. 43. & 2. 2. disput. 19. Nec videtur aliena à mente D. Thom. nam 3. p. art. 9. absolute, & absque limitatione pronuntiat, gratiam Christi Domini fuisse summam, quæ potest esse. Neque loco supra citato oppositum dixi; (vt aduertit Caiet.) nam solum statuit, charitatem pro statu viæ posse in infinitum augeri quoad vsque perueniatur ad statum patriæ; nec verbum locutus est de potentia absoluta.

19 Probat autem prior pars huius sententiæ primò. (& est ratio Scoti.) In motibus non est assignabile minimum, quod sic; ergo neque in intensiōe qualitatum, quæ fit per motum. Antecedens est Arist. 6. Phys. vbi expressè docet, omne mouere præcedere mutatum esse in infinitum. Consequentia verò est euidens. Euidens enim est, in quacūq; qualitate, quæ intensiōis debere proportionari ipsi

motui ita, vt primus gradus intensiōnis correspondeat primæ parti motus, & secundus secundæ, & sic de reliquis; ac per consequens si in motu intensiōnis non est assignabile minimum, quod sic, neque etiam erit assignabile in ipsis gradibus intensiōnis, qui per motum intensiōnis producuntur.

20. Secundò; (& est ratio euer tens fundamentum oppositæ sententiæ, nimirum, minimū, quod sic, in intensiōne qualitatum esse illum gradum, qui producitur in instanti initiatiuo alteratiōnis successiuæ) in instanti initiatiuo alteratiōnis successiuæ nullus gradus qualitaris producitur: ergo dicere, quod minimum, quod sic in intensiōne qualitatum est ille gradus, qui producitur in instanti alteratiōnis successiuæ erit assertio de subiecto non supponente. Antecedens patet; nam, cum motus alteratiōnis successiuæ in omnium sententia incipiat extrinsecè, & per vltimum sui non esse, ita erit verum dicere pro illo instanti, nunc non est productio alicuius gradus qualitatis, sed tempore immediato erit, ac est verum affirmare, nunc non est alteratio successiuæ, sed tempore immediato erit.

21. Tertiò; (& est ratio ostendens à priori, quod nullus gradus v. g. caloris possit produci in instanti, & consequenter,

neque esse minimum, quod sic in intensiōne caloris) id eò aduersarij concedunt; secundum gradum caloris productum in alteratiōne intensiuæ. (Et idem est iudicium de omnibus subsequentijs) non posse produci in instanti, quia, cum sit quid continuum, est diuisibilis in infinitas partes proportionales, & præterea habet contrarium, scilicet, frigiditatem, per cuius exclusionem à subiecto ipse imprimitur. Sed primus gradus caloris, cum etiam sit quid continuum, est diuisibilis in infinitas partes proportionales, & præterea habet contrarium, scilicet, frigiditatem, per cuius exclusionem à subiecto ipse imprimitur: ergo propter eandem rationes non poterit produci in instanti.

22. Quartò; (& est ratio à posteriori demonstrans idem, ac præcedens) si ignis causare possit vnum gradum caloris in instanti, non est excogitabilis ratio, cur etiam in instanti non possit causare quemcumque alium; cum gradus isti caloris homogenei sint, id est, eiusdem rationis cum toto, quod ex ipsis integratur. Tunc inquiri, an ignis causet secundum gradū caloris in eodem temporis instanti, in quo causat primum; an in distincto temporis instanti? Si dicas, quod in eodem sequitur, quod motus intensiōnis absoluatur in instanti; quod est contra intrinsecam ratio-

nem

nem eius. Si dicas, quod in distincto; cum inter instans, & instans mediet tempus, sequerentur duo absurda. Primum, quod motus alteratiōnis nō esset continuus, sed discretus cōstans ex pluribus mutationibus instantaneis, & quietibus intermedijs. Secundum, quod agēte, & passio sufficienter approximatis non sequerentur (saltē pro illis temporibus, quæ intercedunt inter instans, & instans) actio, & passio. Ne ergo in hæc incidamus absurda, dicendum est, nullum gradū caloris produci in instanti, sed omnes produci in tempore; & consequenter in intensiōne qualitatum non dari minimum, quod sic; quod est intentum.

13. Neque ea, quæ adducta sūt pro primâ sententia multū vrgent. Ad Arist. dicimus solū esse intelligendum de substantijs, & qualitibus non habentibus contrarium, non autē de qualitibus habentibus contrariū in subiecto, in quod introducantur; nam licet hæc res permanentes sint, quia tamen successiuè acquiruntur, implicat, quod detur primum esse in instanti acquisitum, non secus, ac implicat, assignare in motu successiuo, quo acquiruntur, primam partem existentem in instanti. Quam expositionem coguntur admittere aduersarij, siquidem in extensiōne quantitatis non admittunt primum esse in instanti acquisitū; (aliàs

in extensiōne quantitatis assignandum foret minimum, quod sic) & tamen manifestum est, plures quantitates esse permanentes.

24. Quibus adde, dato, quod omnes qualitates producerentur in instanti, & quod in eis daretur primum esse in instanti acquisitum; (vt de facto contingit in lumine, & in quacunque alia, quæ non habet contrarium) non tamen inde rectè inferri, quod in intensiōne earum detur minimum, quod sic; nam illud primum esse, quod haberent in primo instanti, nō semper esset eiusdem intensiōnis, sed maioris, vel minoris iuxta vires, & actiuitatem agentis.

25. Ad secundum argumentum respondet Scotus vbi supra lit. O. quod motus intensiōnis frigoris, & motus remissionis caloris incipiunt in eodem instanti, quorum neutrius est aliquod principium; ac si diceret, motus intensiōnis frigoris, & motus remissionis caloris incipiunt in eodem instanti, vtrique tamen extrinsecò. Quæ doctrina à nullo inficiari potest; nam, cum eodem tempore, in quo intenditur frigus, remittatur calor, necessarium est, quod pro illo instanti, in quo verificatur, nunc non est remissio caloris, & tempore immediato erit, verificetur etiā, nunc non est intensio frigoris, & tempore immediato erit.

26 Ad tertiam dicimus, quòd simili argumento (si quid valeret) nos possemus cōtra aduersarios probare motum localem directum, etiam vnus leuæ, esse perpetuum, & in infinitum duraturum; siquidem in spatio vnus leuæ non est assignabilis (etiam per aduersarios) minima pars proportionabilis, sed data quacumque est dabilis minor, & minor vsque in infinitum. Respondendum ergo est tam pro nobis, quam pro ipsis, quòd etiam si non sit assignabilis tam in spatio vnus leuæ, per quod fit motus localis, quam in intensione determinata qualitatis, per quam fit motus remissionis, minima pars, seu gradus proportionalis; quia tam in spatio vnus leuæ, quam indeterminata intensione qualitatis dantur infinite partes, & infiniti gradus proportionales: tamē quia istæ partes, seu gradus infiniti non sunt aliquoti, sed potius proportionales, & quorum vnus in alio clauditur, possunt motus localis vnus leuæ, & motus remissionis intensiois determinatæ tempore finito, & determinato absolui, quia sicut in spatio finito, & determinato vnus leuæ includuntur infinite partes proportionales, & in intensione finita, & determinata qualitatis includuntur gradus proportionales infiniti; ita in motu locali vnus leuæ, & in motu remissionis intensio-

nis determinatæ (etsi termino finito, & determinato mensurentur, & absoluantur) includuntur partes motus proportionales infinite, & correspondentes partibus, seu gradibus proportionalibus infinitis.

27 Ad probandum posteriorem partem nostræ sententiæ, duo prælibanda sunt. Primum est, inter intensioem qualitatum, atque quantitatum extensionem hoc versari discrimē, quod intensio qualitatum est perfectio entitatiua ipsarum; per intensioem enim qualitatis qualitas præexistens constituitur (licet intra eandem speciem) in perfectiori gradu entis ab illo, quem ante intensioem habebat. At extensio quantitatis non est perfectio entitatiua ipsius quantitatis; per extensionem enim quantitatis pedalis ad bidedalem, quantitas pedalis præexistens non constituitur in perfectiori gradu entis (adhuc intra eandem speciem) sed in eodem gradu entis, quem antea habebat, extenditur, & quasi diffunditur ad bipedalem.

28 Secundum prælibandum est id, quod prælibauit Scotus loco citato, §. *Ad primam questionem*, videlicet, illud affirmatum Philosophi 3. Physic. text. 69. *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, id est, *quantum producibile est, tantum produci potest*, esse verum, & intelligendum in his, quorum partes sunt

sunt vnus potentie demonstratæ, qualia sunt omnia permanentia: non verò esse verum, neque intelligendum in his, quorum partes non sunt vnus potentie demonstratæ, qualia sunt omnia successiua, sed potius in his dari processum in infinitum, si aliæ infinita in potentia sint.

29 Vocat autem Scotus partes vnus potentie demonstratæ illas, quæ sic ordinantur, vt vna necessariò includat aliam, v. grat. calor, vt octo calorem vt septem, & calor, vt septem calorem, vt sex, &c. In his enim sicut demonstrari, seu assignari potest vnus gradus supremus in virtute plures inferiores continens; ita & demonstrari, seu assignari poterit vna potentia suprema ad gradum illum supremum in virtute continens plures potentias, seu gradus illos inferiores.

30 Vocat autem partes non vnus potentie demonstratæ partes, quæ non seruant necessariò hunc ordinem inter se, vt vna necessariò includat aliã; vt sunt partes successiuorum, v. grat. partes temporis, diuisiones, quibus diuiditur continuum, &c. In his enim sicut non potest assignari vna pars suprema in virtute continens alias; ita neque vna potentia ad illam assignari, aut demonstrari poterit in virtute continens potentias ad omnes alias partes.

31 Et ratio, ob quam prædictum affirmatum Philosophi sit verum, & intelligendum, quãdo partes sunt vnus potentie demonstratæ; secus verò quando non sunt, ea est, quia in his, quorū partes sunt vnus potentie demonstratæ, cum sit assignabilis vnica potentia ad supremū gradum, continens in virtute omnes alias potentias ad gradus inferiores, poterit optime vnica factioe, id est, simul tota illa potentia reduci ad actum, etiam si sit ad infinitum, dummodò sit agens virtutis infinite, à quo reduci possit. At in his, quorum partes non sunt vnus potentie demonstratæ, cum non sit assignabilis vna potentia in virtute continens omnes alias, non poterunt omnes partes vnica factioe, seu simul reduci ad actum, sed successiuè, & pars post partē. Vnde si partes essent infinite in potentia (vt cōtingit in diuisione cōtinui, & in partibus, quibus augeri potest tēpus, aut quodcūque aliud successiuū) nunquã ad actū reduci poterunt, etiam si agens sit virtutis infinite; aliàs finitum successiuè multiplicatum adæquaret, & consumeret infinitum.

32 His prælibatis, probatur posterior pars nostræ sententiæ (scilicet, in intensioe qualitatum ex natura sua, & attentis earum entitatibus dari maximum, quod sic) primò (& est ratio à priori) quia si per intē-

tionem perficiuntur qualitates entitatiuè ita, vt tantò sit qualitas entitatiuè perfectior, quãtò fuerit intensior, necessariò fatendum erit, in intensiõne qualitatum dari maximum, quod sic, id est, terminum intrinsecum magnitudinis, sub quo natura sua possint esse, sub maiori autem non possint; siquidem quæcumque qualitas creata natura sua finita est, & consequenter ex intrinseca natura sua postulat terminum intrinsecum, & finem in sua entitate, & perfectione. Hæc enim causa est, propter quam species rerum dicuntur esse sicut numeri, scilicet, quia in sua entitatiua perfectione habent determinatum gradum, ultra quem progredi non possunt, sicut neque possunt numeri. Et similiter hæc est ratio, propter quam omnes communiter cõcedunt, non posse Deum in eadem specie producere perfectius, & perfectius substantialiter indiuiduum, vsque in infinitum, nimirum, quia omnis species in sua perfectione entitatiua habet terminum intrinsecum, ultra quem progredi nequit.

33 Secundo probatur (& est ratio à posteriori) quia ex opposita sententia sequeretur, posse Deum producere qualitatem actu infinite intensam; quod (vt libro 3. videbimus) ferè omnes reputant inconueniens. Sequelam probò, quia

(vt numer. 28. dicebamus) in his, quæ sunt vnus potentiaẽ demonstratæ *quantum contingit esse in potentia*, tantum contingit esse in actu, id est, quantum producibile est, tantum potest Deus actu producere. Sed intensio qualitatum est eorum, quorum partes sunt vnus potentiaẽ demonstratæ: ergo si qualitates possunt in infinitum intendi, neque habent maximum, quod sic, poterit vtrique Deus hanc potentiam ad actũ reducere, & consequenter producere qualitatem actu infinite intensam.

34 Confirmatur, & declaratur amplius. Deus sua infinita cognitione cognoscit summam intensiõnem, in qua qualitates produci possunt. Quis hoc neget? Tunc inquirò, an ista intensio sit finita, vel infinita? Si finita, habemus intentum, scilicet, qualitates in sua intensiõne habere terminum finitum, & determinatum, ultra quem progredi non possunt. Si infinita, sequitur, Deum actu posse illam producere, quia, cũ omnes partes illius sint vnus potentiaẽ demonstratæ, poterit prædicta potentia à Deo reduci ad actum simul, & seclusa successione in productione partium, quæ in his, quorum partes non sunt vnus potentiaẽ demonstratæ, necessariò interuenire debet, & quæ est ratio in illis impediens, ne potentia, quæ est ad illa totaliter redu-

ducatur ad actum, quoties infinita est, etiam si agens sit infinita virtutis, vt videri est in diuisione continui, & in temporis extensione.

35 Non me latet, aliquos ex nostris non multum fidere huic vltimo argumento Scoti: dicunt enim, aut nihil concludere, aut etiam conuincere in extensione quantitatis permanentis dari etiam maximum, quod sic, seu terminum intrinsecum; quod est contra id, quod num. 4. ex Aristot. vt certum supponebamus. Assumptum probant: nam, cum extensio quantitatis permanentis sit eorum, quorum partes sunt vnus potentiaẽ demonstratæ, si vim habet argumentum Scoti, necessariò inferetur (inquiunt hi) admittendum fore maximum, quod sic in extensione quantitatum permanentium; nam, si non admittitur, sed potius potentia ad augeri, seu extendi in infinitum, posset Deus simul totam istam potentialitatem reducere ad actum, & consequenter producere quantitatem permanentem actu infinite extensam; quod ipsi reputat absurdum.

36 Sed auctores isti sanè falluntur; nam ex argumento Scoti, non conuincitur in quãtitatis permanentis extensione fore a signandum maximum, quod sic, sed posse Deum potẽtiam, quæ est in extensione quã-

titatis ad augeri, seu extendi in infinitum, simul reducere ad actum, & consequenter producere quantitatem permanentem actu infinite extensam; quod nos nullum reputamus inconueniens; sicut maximum reputamus, dari qualitatem actu infinite intensam; nam ex maiori extensione quantitatis non sequitur (vt num. 27. probabamus) in quantitate maior perfectio entitatiua, sicut sequitur in qualitate ex maiori qualitatis intensiõne. Sed de his in lib. 3. latius agemus.

37 Ex his patet ad fundamentum secundæ sententiæ: negamus enim id, quod assuitur, scilicet, eodem modo esse philosophandum in augmento intensiõis qualitatis, ac in augmento quantitatis extensiois; vt enim dictum est, augmentum extensiuum quantitatis non auget perfectionem entitatiuam ipsius quantitatis; sicut intensiuum qualitatis augmentum perfectionem entitatiuam ipsius qualitatis adauget.

38 Ad confirmationem dicimus, implicare, quod data summa intensiõne in qualitate, Deus producat nouum gradum, ita, vt cum præexistenibus qualitatis summè intense coniungat. Hanc autem implicationem dicimus provenire ex duobus, videlicet, quia ex vna parte intensio qualitatis talis est naturæ, vt quãtò maior sit, tantò magis auget entita-

tatiuā qualitatis perfectionē; & ex alia omnis creata qualitas, eò quòd creata, est determinatę perfectionis entitatiuę. Neque hoc minùs manifestum est in habituali gratia, quàm in alijs qualitibus; nā

etiamsi gratia sit participatio diuinę naturę, quę diuina natura infinitę perfectionis est; tamen ipsa gratia finita est, atque determinatę perfectionis non secus, ac alię qualitates.

DISPUTATIO SEXTA.

De indiuiduatione, existentia, atque subsistentia entis naturalis.

DISPUTATIO ista valdè metaphysica est, sed sanè utilis, imò omninò necessaria ad perfectam entis naturalis, ipsiusque principiorum cognitionem; quam iuxta tria, quę in titulo proponuntur, in tres secabimus quęstiones. Prima erit *de principio indiuiduationis entis naturalis*. Secunda *de existentia illius*. Tertia *de illius substantia*.

QUÆSTIO PRIMA.

De principio indiuiduationis entis naturalis.

DE principio indiuiduationis rerum singularium disputat subtilis Doctor in 2. d. 3. per sex priores quęstiones latè, luculenter, subtiliter, atque neruosè, si quis vnquam, nil ad materiam istam spectans intactum præteriens. Sunt autem duo, quę de principio indiuiduationis rerum singularium possunt desiderari. Primum, *in quo consistat*; Secundum, *unde sumatur*. Et vtręque ista difficultas exagitan-

da est de principio indiuiduationis entis naturalis, id est, substantię materialis completę, vt postea ea, quę dicta fuerint de hoc indiuiduationis principio, facillè applicari possint (seruata proportione) substantijs materialibus incompletis, substantijs spiritalibus, & naturis accidentalibus.

SE:

SECTIO I.

Explicatur, quid sit, seu in quo consistat principium indiuiduationis substantię materialis completę.

2 **C**VM ex dictis in Logica cap. de specie disp. 2. q. 1. constet, nomē *indiuiduum* dupliciter vsurpari posse, secundè scilicèt, & primè intentionaliter, & vtroque modo acceptum esse nomen concretū vnum dicens pro formali, seu per se significato; & aliud pro materiali, seu denominato; suppono ex Scoto, quòd, cum in præsentī quęrimus, quid sit, seu in quo consistat principium indiuiduationis substantię materialis completę? nomine principij indiuiduationis non intelligimus principium formale, à quo natura singularis denominetur indiuidua: quia ex ibi dictis constat, formale principium, à quo natura singularis denominatur indiuidua, seu (quod idem est) per se significatū huius nominis *indiuiduum*, si secundè intentionaliter sumatur, esse secundam intentionē, aut subijcibilitatis ad speciem, (si vt subijcibile consideretur) aut prædicabilitatis de vno: (si vt prædicabile sumatur) & si accipitur primè intentionaliter, esse vnitatem indiuidualem, de qua (& si omnes fateantur, esse propriam passionem naturę singularis, quę est, quę ab

ista vnitatem denominatur indiuidua) non modica est controversia, an formaliter consistat in solis negationibus repugnantię diuisionis in plura inferiora, & identitatis cum alio? An verò in aliqua entitate positua, cui annexę sūt tales negationes? sed intelligimus principium illud à quo natura, quę denominatur indiuidua habet, quòd sit radix, seu fundamentū proximum vnitatis indiuidualis, quę illi, tanquā propria passio cōpetit, & à qua formaliter indiuidua denominatur.

3 Hoc supposito prima sententia, quę refertur à Scoto loco citato q. 1. §. *Hic dicitur*, est eorum, qui dicebant, quòd sicut quęcumque natura specifica ex se est natura, ita ex se est indiuidua, & singularis. Vnde consequenter affirmabāt, impertinenter quęri, quid sit in naturis specificis principium indiuiduationis? cum ex sua specifica ratione, & non ratione alicuius superadditi suę specificę entitati, habeant, quòd sint radix, & fundamentum vnitatis indiuidualis, quę illis, tanquam propria passio competit, & à qua formaliter indiuiduę denominantur: sed tantum inquirēdum esse, quid sit id, à quo naturę specificę habent, quòd actu, & formaliter sint vniuersales? Hanc sententiā tribuit Lichetus in 2. d. 3. q. 6. Gotfredo quolib. 6. q. 16. &

quolib. 7. q. 5. & Ægidio, & Sua. in Metaph. disp. 5. sect. 2. n. 5. eam tribuit Nominalibus in 1. d. 2. Ochamo q. 4. & Gabrieli q. 6. 7. & 8.

4. Sed cuiuscumque sit hæc sententia merito à Scoto per totam illam quæstionem rejicitur, & impugnatur. Licet enim verum sit, omnem naturam realem à parte rei existentem esse indiuiduam, seu singularem: tamen non minus verum est, vnitatem indiuidualem; quæ est propria passio, à qua prædicta natura denominatur formaliter indiuidua, non conueniri ad naturam specificam ex se, & secudum suam rationem essentialē consideratā; sed ratione alicuius formalitatis superadditæ, quæ non sit de conceptu essentiali, & quidditatiuo illius. Aliàs (vt obiicit Scotus) nõ possemus naturam realem specificam, vt vniuersalem per intellectum considerare, quin illam conciperemus cum ratione sibi intrinsicè, & essentialiter opposita: quod est absurdum.

5. Vnde quamuis negari non possit, naturis specificis reals à parte rei cõpetere, quantum est ex se, & attentis earum intrinsicis, & essentialibus rationibus aliquam vnitatem realem; (Vnitas quippè est passio entis) tamen hanc vnitatem realem non esse vnitatem indiuidualem, seu numeralem, sed vnitatem formalem, quæ est minor vnitas, quàm indiui-

dualis; imò quantum est ex se, communis, seu indifferens ad omnes indiuiduales, non positiuè, sed negatiuè; latè demonstrat Scotus q. 1. citata, & nos ex professo docuimus in Logica disp. 1. vniuersaliū q. 3. sect. 1. & 2. Supposito ergo, quòd naturæ specificæ ex se nõ habent esse radices, & principia vnitatis indiuidualis, sed hoc illis competat ratione alicuius superadditi rationib⁹ specificis, & quidditatiuis ipsarū, relinquatur locus difficultati propositæ; quid, inquã, sit? seu in quo consistat hæc radix, seu hoc principium vnitatis indiuidualis? quod principium metaphysicum indiuiduationis appellamus.

6. Propter hæc secunda sententia esse potest, quã refert Scotus q. 2. & tribuitur à marginistis Scoti Henricho quolib. 5. q. 8. & 15. Hæc enim sententia affirmat, naturam specificam, et si ex se non sit indiuidua, sed per aliquid superadditum rationi suæ specificæ, & essentiali; tamen hoc superadditum nõ esse aliquid positiuum, sed duplicem negationem, scilicet, diuisibilitatis in plura inferiora, & idē titatis cum quocumque alio.

7. Et probari potest. Primò, quia omnis vnitas, & consequenter indiuidualis, quæ est, quã pro formali dicit indiuiduum, nihil aliud dicit, quàm prædictam duplicem negationē: ergo impertinenter quæri-

tur

tur aliquid positiuum superadditum naturæ specificæ, quod sit principium, & radix indiuiduationis illius, sed dicendum erit, naturam specificam constitui in esse indiuiduæ per prædictam duplicem negationē.

8. Secundo, quia, si natura indiuidua præter naturam specificam diceret aliquid positiuum, quòd esset in illa radix, & principium indiuiduationis, rogo, an hoc positiuum sit naturæ indiuiduæ essentialē, an accidentale? Non potest esse essentialē; aliàs sequeretur, speciem atomam diuidi per differentias essentialis, & consequenter indiuidua eiusdem speciei essentialiter differre; neque species diceret totā indiuiduorū essentiali. Quæ omnia sunt contra ea, quæ cū Porphyrio docuimus capite de specie. Imò sequeretur cõtra Arist. 7. Metaph. text. 53. quòd indiuidua possent adæquatè definitione essentiali definiti; atque de eis, vt indiuidua sunt, posset haberi sciētia. Neque etiã potest esse accidentale; aliàs sequeretur, indiuiduam naturam non esse vnū per se, sed per accidens; imò sequeretur, accidens reale non aduenire subiecto indiuiduo, sed potius constituere illud in esse talis: quæ omnia sunt absurda.

9. Tertio, quia, cum hoc positiuum sit indiuiduum, inquit, per quid indiuiduetur? Si dicas, quòd per aliud positiuum, idem inquiram de illo secundo

positiuo; & sic dabitur processus in infinitum. Si verò dicas, quòd per negationes, idē dicere operæpretiū erit de natura: 10. Tamen hæc sententia nõ solum à Scoto q. 2. citata, sed communiter ab omnibus rejicitur. Primò, qui nihil repugnat alicui per solā negationē, sed ratione alicuius entitatis positiuæ (vt potest inductione facta per omnes negationes repugnantiæ ad oculū ostendi) sed naturæ indiuiduæ repugnat diuidi in inferiora, atque identificari cū alio indiuiduo: ergo necessariò assignandū est in natura indiuidua aliquod positiuum, quod sit principium, & causa istarū negationū repugnantiæ. Sed hoc positiuum esse nõ potest natura specifica secundū se, cū naturæ specificæ secundū se nõ repugnet diuidi, atque in plura inferiora multiplicari; imò de facto à parte rei sit diuisa, & multiplicata: ergo præter naturam specificam, & præter prædictas negationes assignandum necessariò est aliquod positiuum in natura indiuidua, quod sit principium, & radix indiuiduationis illius.

11. Secundò, quia prima, seu indiuidua substantia ex Arist. 7. Metaph. text. 34. & 35. per se generatur: & ex eodem Aristot. 1. Metaph. in proœmio per se operatur, & ex hoc distinguitur à secunda substantia, cui neutrum horum conuenit per se primò: ergo ista conueniunt

niūt primæ, seu indiuiduæ substantiæ per illud, quod addit supra secundam substantiam: non autem conueniunt ista alicui formaliter per negationē: ergo prima, seu indiuidua substantia non addit tantum negationes supra secundam.

12 Confirmatur amplius. Per negationem nihil constituitur in entitate perfectiori; quam est illa entitas, quæ negationi præsupponitur. Sed prima, seu indiuidua substantia est perfectior, quam secunda teste Aristot. cap. de substantia: ergo prima, seu indiuidua substantia supra secundam non solum addit negationes, sed etiam aliquid posituum.

13 His accedit, quod auctores oppositæ sententiæ assignant pro causa, seu principio indiuiduationis indiuiduationem ipsam; quod est facere idem causam, & principium sui ipsius. Assumptum patet, nā assignant pro causa, & principio indiuiduationis negationes repugnantiæ diuisionis in plura inferiora, & identitatis cum alio; quæ sunt, in quibus in ipsorum sententiâ indiuiduatio, seu unitas indiuidualis formaliter consistit.

14 Ad primam rationem adductam pro sententia Henrici dupliciter respondet Scotus q. 2 citata, §. *Concedo igitur*. Primo absolute negat antecedens, scilicet, omnem unitatem, atque consequenter indiuidualem, quam pro formali dicit

indiuiduum, nihil aliud dicere, quam prædictam duplicem negationem. Secundo admissio, quod vnā pro formali solū diceret prædictā negationē, negat, inde inferri, id, quod denominatur vnū, nō habere aliquā causam positiuā, per quam insit ei illa duplex negatio; nā & unitas specifica pari ratione significat duplicem negationē, & tamen nullus negat, entitatem positiuam esse rationem unitatis specificæ. Imò hinc sumitur (ait Scotus) optimū argumentū pro nostra sententiâ; nam si in qualibet unitate minori unitate numerali est dare entitatem positiuam, quæ sit ratio per se illius unitatis, & illius repugantiæ ad multitudinem oppositā, maximè, vel æqualiter erit hoc dare in unitate perfectissima, qualis est unitas numeratis.

15 Ad secundam respondetur ex Scoto loco citato q. 6. §. *Ad questionem*, lit. H. & §. *Ad argumentum*, lit. O. hanc entitatē positiuam, quæ est in natura indiuidua radix, seu principium indiuiduationis, non esse accidentalem ipsimet naturæ indiuiduæ, sed esse ita intrinsecā, ac est homini differentia specifica, scilicet, rationale. Solū est discrimen, quod differētia specifica; cū sit principium nouæ essentiæ, nouæ passionis, atque operationis, dicitur formalis, & essentia lis; & cōsequenter constituta per differentias específicas dicuntur differre formaliter, & essen-

essentialiter, atque illorum genus non continere totā ipsorum essentiam: insuper sunt capacia ad æquatæ definitionis essentialis, & dari potest de ipsis scientia. At entitas positua, quæ est radix, & principium indiuiduationis, cum non sit principium nouæ essentiæ, passionis, atque operationis (solum enim requiritur ad entitatiuam distinctionē, & ad hoc, vt essentia determinetur ad esse huius, & cōsequenter ad hoc, vt possit existere, & suas operationes exercere) non dicitur differentia formalis, & essentialis, quantumvis intrinseca sit naturæ indiuiduæ, sed materialis. Et sic cessant omnia illa inconuenientia, quæ ex eo, quod esset differentia essentialis, inferebat argumentum.

16 Ad tertiam respondetur, quod sicut quantitas, quæ facit quantitatiuè extensam substantiam, non indiget aliquo alio, quo ipsamet quantitatiuè sit extensa, eo quod ipsa quantitas essentialiter est quantitatiuè extensa; & sicut actio, à qua effectus habet, quod sit dependens à sua causā, non indiget alia actione, per quam ipsa sit dependens, eo quod ipsa essentialiter est dependentia; ita hæc entitas positua, à qua natura indiuidua habet, quod sit indiuidua, tanquam à principio, & radice, non indiget alia entitate positua, à qua ipsa sit indiuidua, tanquam à prin-

cipio, & radice, eo quod ipsa essentialiter est principium, & radix indiuiduationis.

17 Supposito ergo, quod radix, seu principium indiuiduationis in substantijs materialibus completis non solum sit aliquid superadditum nature specificæ, sed etiam, quod hoc superadditū sit entitas positua, explicandū superest, quid sit, seu in quo consistat hæc entitas positua. Et sic est tertia sententia, quam refert Scotus loco citato q. 3. hanc entitatem positiuam, in qua radicē, seu principium indiuiduationis metaphysicū collocamus, esse actualem existentiam: quæ sententia hoc argumento suaderi solet.

18 Ex Arist. 7. Metaph. actus determinat, & distinguit: ergo vltima determinatio, seu distinctio (qualis est indiuidualis) erit per vltimum actū. Hic autem est existentia; quia omnis entitas cuiuscumq; prædicamenti, si consideretur vt distincta contra existentiam, semper remanet in potētia ad actū existentie: ergo determinatio, seu distinctio numerica fit per actualem existentiam; ac per cōsequens ipsa erit radix, & principium indiuiduationis.

19 Hæc sententia meritò rejicitur à Scoto, & communiter ab omnibus. Primo, quia quod non est ex se distinctum, & determinatum, non potest esse principium distinguēs, aut determinans aliud. Sed esse

existentiæ (eomodo, quo distinguitur ab esse essentiæ consideratum) non est ex se distinctum, neque determinatum: ergo neque poterit esse principium distinguens, vel determinans aliud. Minor patet; nam esse essentiæ non habet alias differentias distinguentes, & determinantes à differentiis esse essentiæ: aliàs (vt obijcit Scotus) esset necessarium ponere duas coordinationes in quocumque prædicamento, vnam essentialium, atque existentiarum aliam.

20 Secundò, illud, quod supponit coordinationem, & distinctionem alterius, non est prima ratio distinguendi, vel determinandi ipsum. Sed existentia, vt concipitur distincta ab essentia, præsupponit coordinationem, & distinctionem essentialium: ergo existentia non potest esse prima ratio, seu principium determinandi, seu indiuiduandi essentiam.

21 Quòd si dicas (inquit Scotus) existentiam præsupponere in essentiis omnem coordinationem & distinctionem præter indiuiduam, & sic posse illam causare; contra hoc obijcit tertio. In coordinatione prædicamentali sunt omnia, quæ per se pertinent ad illam coordinationem secluso quocumque alio, quod nihil est illius coordinationis; quia secundum Philosophum 1. Poster. à text. 3. 4. status est in quolibet

prædicamento, & insursum, & indeorsum: ergo sicut inuenitur supremum genus præcisè considerando illud sub ratione essentiæ, & inueniuntur genera intermedia, species, & differentia, ita etiam inuenitur infimū, scilicet, indiuiduum, abique omni existentia actuali. Quod patet euidenter (inquit Scotus) quia hic homo non plus includit formaliter existentiam actualem, quàm homo.

22 Quarto, quia existentia naturæ specificæ non est de se indiuidua, sicuti neque est ipsa natura specifica: ergo sicut queritur, per quid natura specifica determinetur ad esse huius, ita queri poterit, per quid existentia naturæ specificæ determinetur ad esse existentia huius naturæ particularis; & consequenter non poterit existentia assignari pro principio indiuiduationis, siue huius determinationis.

23 Vnde ad fundamentum oppositæ sententiæ optimè respondet Scotus admittendo antecedens, scilicet, actum determinare, & distinguere eodem modo, quo est actus, v. g. si est actus in coordinatione prædicamentali, quæ est coordinatio prædicamentorum intrinsecorum, & essentialium, determinat, & distinguit in prædicta coordinatione prædicamentali; & si est actus extra coordinationem prædicamentalem, quales sunt actus, qui non sunt in-

intrinseci, & essentialia, determinat, & distinguit extra prædictam coordinationem. Ex quo ad consequentiam dicit, non bene inferri, determinationem, & distinctionem indiuidualem prouenire ab existentia; quia etiam si determinatio, & distinctio indiuidualis sit vltima in coordinatione prædicamentali, ac per consequens debeat prouenire ab vltimo actu, sed non à quocumque vltimo, sed ab vltimo ex intrinsecis, & spectantibus ad coordinationem prædicamentalem; qualis non est existentia, cum existentia sit extra rationem intrinsecam, & essentialē rei, & consequenter præsupponens totam coordinationem prædicamentalem.

24 Quarta sententia esse potest, quæ refertur à Scoto loco citato quæst. 6. & à Marginistis, & Licheto tribuitur Gorfredo, & Egidio locis citatis numero 3. Hi enim auctores licet (vt vidimus expendendo primam sententiā) defendant, naturam specificam ex se esse indiuiduam, nihilominus affirmant, quantitatem esse rationem multiplicandi numero prædictam naturam; & consequenter quantitatem esse indiuiduationis principium. Quæ sententia (vt aduertit Scotus ibi) duplicem potest habere sensum. Primus est, quod eadem substantia materialis in se nō diuisa, nec distincta plu-

ribus quantitibus informetur, & per hoc numeretur plura indiuidua sub eadem specie. Secundus, quod substantia materialis, quæ ex se, & seclusa quantitate erat hæc, postea quantitibus informata fiat hæc, & hæc, ita quod non tantum recipiat quantitates distinctas, sed per ipsas quantitates fiat etiam ipsa substantia in sua entitate distincta.

25 Si in primo sensu accipiat hæc sententia, non solum est falsa (inquit Scotus) sed impossibilis: ex ea enim plura inconuenientia secuntur in theologia, in metaphysica, & scientia naturali.

26 In theologia; quia iam non esset proprium diuinæ naturæ, quod vna numero esset in pluribus & distinctis suppositis; siquidem hic ponitur vna natura substantialiter indistincta ratione diuersarum quantitatum existere in pluribus, & distinctis suppositis; & solum est hoc discrimen, quod natura diuina existit in pluribus suppositis reatiuis; hic autem ponitur vna natura substantialiter indistincta in pluribus suppositis absolutis: quod nō minuit; imo auget admirationem. Insuper sequeretur, non posse aliquam substantiam panis transubstantiari in corpus Christi Domini, quin tota substantia panis, quæ est in vniuerso transubstantiaretur. Sequela patet; quia panis solum transub-

stantiatur secundum substantiam; quãtitas enim illius manet, sicut antea; & secundum istam sententiam eadẽ est substantia, quã est in hoc pane, cũ illa, quã est in illo: idem autẽ non potest transubstantiari, & non transubstantiari.

27 In metaphysica, quia sequeretur, dari Platonica ideã; imò plusquam ideam Platonis. Plato enim (vt illi imponit Philosophus) posuit, ideã esse naturam per se existentem separatam sine accidentibus, in qua esset tota natura speciei, quã diceretur de quolibet indiuiduo prædicatione formalis dicente, hoc est hoc. Hęc autem sententia ponit in quolibet specie vnicam substantiã indiuisam per se existentem, quã potest de pluribus prædicari prædicatione formali dicente, hoc est hoc, licet nõ separatam ab accidentibus, sed existentem sub hoc, & illo accidenti.

28 In scientia naturali, quia sequeretur, nullam substantiam naturalem posse generari, aut corrumpi; non generari, quia si hic lapis est, erit in eo omnis substantia, quã potest esse in lapide quocumque, ac per consequens productio alterius lapidis erit quidem acquisitio noue quantitatẽ in substantia lapidis præexistente, non verò acquisitio noue substantiã lapidis: acquisitio autem noue quantitatẽ non est generatio

ex Arist. 5. Physic. & 1. de generatione. Non corrumpi, quia si isto lapide est omnis substantia, quã est in lapide quocumque manente isto lapide, manebit substantia cuiuscumque alterius lapidis, & sic manente isto, nullius alterius lapidis poterit esse corruptio, quã in desitione substantiã consistit, sed solũ erit variatio in quantitate, & qualitate substantiã lapidis.

29 Si verò in secundo sensu sententia ista accipiatur, se ipsam destruit (inquit Scotus) atque implicationem in adiecto inuoluit: nam, si natura specifica est de se hęc, & singularis, ergo sibi omninò repugnat diuidi in plura inferiora, & ita per nullam sibi superadditum potest diuidi, & plurificari. Dicere autem, naturam specificã esse de se hanc, & diuidi, vel non esse hanc per superveniẽtem quantitatẽ, est dicere contradictionem apertam.

30 His addo, data hypotesi, quòd Gottfredus, & Ægidius non sustinerent, naturam specificam esse ex se indiuiduã, sed quòd hoc illi competeret per aliquam entitatem posituam ipsi superadditam, nullo modo asserendum fore, hanc entitatem esse quantitatẽ. Ita latè defendit Scotus loco citato q. 4. & probat quatuor vijs. Primo ex identitate rationis numeralis. Secundo ex ordine substantiã ad accidens. Tertio ex

ex ratione coordinationis prædicamentalis. Et quia iste tres viæ sunt generales ad probandum nullum accidens esse principium indiuiduationis substantiã addit quartam, quã specialiter reijcit à ratione principij indiuiduationis quantitatẽ.

31 Ex identitate rationis numeralis probat, quia substantia actu existens non potest fieri de hac non hęc absque aliqua transmutatione substantiãli: (Implicat enim, quòd Petrus fiat non Petrus, si nulla mutatio substantialis fiat in ipso.) Sed substantia actu existẽs, nulla mutatione substantiali facta in ipsa, potest sine cõtradictione esse sub alia, & alia quantitate: ergo signum evidens est, quantitatẽ non esse principium indiuiduationis substantiã. Minor patet, quia non est cõtradictio in hoc, quòd Deus hanc substantiam (poller quãtitate, quam de facto habet absque ipsius substantiã corruptione, atque postea eam alia quantitate distincta informet; nec propter hoc substantia illa actu existens mutabitur mutatione substantiali, quia non erit mutatio, nisi à quantitate in quantitatẽ.

32 Et confirmatur sic ab eodem Scoto. Transubstantiato pane in corpus Christi Domini, manet eadem quantitas, quã in ipso pane præfuerat, creetur ergo alius panis, qui

ista quantitate manente afficiatur. Tunc sic, si quantitas est principium indiuiduationis substantiã, sequitur, quòd hic panis creatus sit idem numero cum pane prius genito, & transubstantiato; siquidem eadem quantitate, seu singularitate afficiuntur, ac per consequens idem numero panis erit primus terminus generationis, atque creationis; quòd Scotus merito reputat absurdum; nam duarum productionum substantialium completarum (quales sunt generatio, & creatio) non potest eadem numero substantia esse primus terminus, quia tũc per vtramque acciperet perfectum esse substantiale, cum vtraque sit completa; & ita idem bis produceretur secundum idem esse simpliciter. Et sequitur vltra (inquit Scotus) quòd idem numero panis sit transubstantiatus, & non sit transubstantiatus; quòd est implicatio. Imò sequitur, quòd nullus panis sit transubstantiatus; quòd est hæreticum. Sequela patet, nam non panis in vniuersali; (vt manifestum est) neque hic panis in singulari; quia iste panis in singulari manet post transubstantiationem, si vera est hęc sententia, quã sustinet, à quantitate habere formaliter esse hũc panem.

33 Ex ordine substantiã ad accidens sic argumentatur

Scotus, id, quod est posterior substantia, nequit esse principium indiuiduationis substantiæ. Sed quantitas est posterior substantia: nequit ergo substantia per quantitatem indiuiduari. Minor, in qua esse poterat difficultas, est Aristotelis 7. Metaph. text. 4. vbi dicit, quod substantia est prior accidente natura, definitione, & tempore.

34 Quod si respondeas ex Philosopho, substantiam, vt sic, esse priorem accidente, nõ verò substantiam, vt primam, seu indiuiduam. Contra optimè obijcit Scotus. Quandoquæ aliquod absolutè dicitur prius alio, maximè primum illius erit absque dubio prius ipso. Sed maximè primum in genere substantiæ ex Arist. capite de substantia est prima, & indiuidua substantia: ergo si ex Arist. substantia absolutè sumpta est prior accidente, id maximè verificari debet de prima, & indiuidua substantia.

35 Si respondeas secundo, quod licet prima substantia sit prior quantitate in essendo, sed non in diuidendo, & indiuiduando. Contra optimè obijcit Scotus, responsionem istam se ipsam destruere: nam si prima substantia est prior quantitate in essendo, cum esse non possit prima substantia sine indiuiduatione, necessario fatendum est, quod prima substantia sit prius in diuidua, quàm adue-

niat quantitas, & consequenter, quod non possit quantitas esse principium indiuiduationis substantiæ. Præterea omnis forma est prior composito ex Arist. 7. Metaph. text. 7. ergo si quantitas est forma, à qua habet substantia esse prima, & indiuidua, quantitas erit prior prima substantia in essendo; quod est contra solutionem. Quod si non sit quantitas forma primæ substantiæ in essendo, neque etiam erit in unitate competente primæ substantiæ, quatenus est prima substantia; siquidem quamlibet entitatem consequitur propria unitas; quia unitas non habet aliam causam propriam sui, quàm causam entitatis, cuius est unitas.

36 Demum eodem modo substantia est prior naturaliter omni accidenti, quo est subiectum omnium accidentium. (In quantum enim subiectum est, probatur esse prius definitione omni accidente, quia sic ponitur in ordine cuiuslibet definitionis per additamentum.) Sed, vt est subiectum, est hæc substantia; quia secundum Philosophum singularium effectuum sunt causæ singulares in quocumque genere causæ: ergo substantia, vt hæc, & indiuidua, est prior naturaliter omni accidenti; & consequenter nõ poterit per quantitatem, quæ accidens est, indiuiduari.

37 Ex ratione coordinationis

nis prædicamentalis idem sic demonstrat Scotus. In quacumque coordinatione prædicamentali sunt omnia pertinentia ad illam, circumscripto quocumque alio, quod non est aliquid illius coordinationis essentialiter; alias duæ coordinationes non essent subiectiuè primò diuersæ. Sed ad coordinationem prædicamenti substantiæ, quatenus est clausa superius, & inferius, sicut pertinet aliquod primum prædicatum, de quo nihil prædicatur, ita pertinet primum subiectum, cui nihil subijcitur: istud autem est substantia indiuidua, & singularis: ergo substantia non est indiuidua, & singularis per quantitatem, quæ est alterius coordinationis prædicamentalis.

38 Et confirmatur primò, quia in qualibet coordinatione prædicamentali, circumscripto quocumque alterius coordinationis, dantur aliquæ species; quis hoc neget? nullus enim sibi potest imaginari, species alicuius prædicamenti constitui in ratione talium specierum per aliorum prædicamentorum differentias: nam ex Aristotel. capite de regulis, diuersorum generum, & non subalternarum positivorum diuersæ sunt species, seu essentielles differentie. Sed de ratione speciei est, quod sit prædicabilis de pluribus differentibus numero: ergo etiam in qualibet coordinatione prædi-

camentali debent assignari, circumscripto quocumque alterius coordinationis, in diuidua, seu singularia numerosa distincta, quæ sint correlatiua talium specierum, & de quibus tales species prædicentur: aliter neque assignari poterunt species specialissimæ, de quarum intrinseca ratione est, quod sint prædicabiles de pluribus numero differentibus.

39 Confirmatur secundo: in omni coordinatione prædicamentali infimum subijcibile recipit per se prædicationem cuiuslibet prædicabilis, sicuti & primum prædicatum prædicatur per se de quo libet illius coordinationis. Sed ens per accidens, in quantum ens per accidens, nullius recipit prædicationem per se: ergo infimum subijcibile cuiuscumque coordinationis prædicamentalis (qualia sunt indiuidua illius coordinationis) non poterunt esse vnum per accidens. Sed si substantia esset indiuidua per quantitatem, indiuiduum substantiæ esset ens per accidens: aggregatum enim ex rebus diuersorum generum est ens per accidens ex Philosopho 5. Metaph. cap. de vno) ergo nulla substantia potest esse indiuidua per quantitatem. Hæ quidem rationes probant non solum de quantitate, sed & de quocumque alio accidente, non posse esse principium indiuiduationis substantiæ.

40 Ex quarta via, quæ specialiter reijcit quantitatem à principio indiuiduationis substantiæ, sic argumentatur Scotus. Si quantitas esset principium indiuiduationis substantiæ, aut illa esset quantitas terminata, aut quantitas interminata, non terminata, quia per aduersarios ista sequitur esse formæ in materia, ac per cõsequens singularitatem substantiæ, quia sicut substantia est causa eius, vt est terminata, ita hæc substantia est causa eius, vt est hæc terminata. Non item quantitas interminata, quia, cum in aduersariorum sententiâ hæc maneat eadē in genito, & in corrupto, non poterit esse causa, seu principium alicuius indiuiduationis terminatæ.

41 Si dicas; non sequitur, quia quantitas non ponitur principium indiuiduationis, nisi præsupposita specifica vnitate. genitum autem, & corruptum non sunt vnus speciei. Contra insurgit Scotus; ponamus, quod ex aqua primò generetur ignis, & postea ex igne generetur aqua, in prima aqua corrupta, & in secunda genita est eadem quantitas per aduersarios saltem interminata. Sed ista per ipsos est principium indiuiduationis, quoties præsupponitur vnitas specifica: ergo prima aqua, & secunda aqua sunt hæc aqua eadē numero: quod impossibile apparet; quippe eadem indiuiduum

numero non redit naturali actione ex 2. de Generat. & 5. Physic.

42 Preterea ad hoc, vt quantitas foret principium indiuiduationis substantiæ, oportet, quod quantitas de se esset indiuidua, & distincta numeraliter ab alio quocumque, quia quod de se non est indiuiduum, seu vnum numeraliter non potest esse alteri ratio essendi indiuiduum, seu vnum numeraliter; imò de ipso, sicuti de quocumque alio, quod de se non est indiuiduum, inquiri oportet, per quid indiuiduetur? Sed quantitas de se nõ est indiuidua, sed potius ei de se cõpetit vnitas formalis minor vnitate numerali, & communis multis negatiuè, nõ secus ac numero 4. dicebamus de quacumque natura specifica, siue substantiali, siue accidentali: ergo nequit quantitas esse principium indiuiduationis substantiæ, quin potius de ipsa, sicut & de natura substantiali, inquiri oportet, per quod indiuiduetur.

43 Quod si respondeas, quilibet entitatem ex se habere situm determinatum, & per hoc esse indiuiduum, atque distinguui numeraliter ab alia. Optime insurgit Scotus, inquirendo de quo situ loquaris, an de situ, qui est prædicamentum? an de situ, qui est differentia quantitatis, prout quantitas dicitur constare ex partibus ha-

ben-

bentibus positionem? Si de primo, falsum est hunc competere quantitati ex se, cum sit accidens posterius ipsa quantitate. Si de secundo, fateor competere, licet non omni, saltem alicui speciei quantitatis ex se, scilicet, continuæ, & permanenti. Tamen falsum est, ratione huius situs, seu positionis esse hanc speciem quantitatis indiuiduam, distinguuique numeraliter ab alia: cum hic situs sit differentia, non indiuidualis, sed specifica constituens quantitatem in esse cuiusdam speciei subalternæ, & consequenter inesse, quantum est ex se, indifferenti negatiuè ad plura indiuidua; imò ad plures species infimas, quales sunt linea, superficies, & corpus.

44 Sed contra istam resolutionem obijcit Scotus primò auctoritatem Boetij, qui 1. de Trinit. cap. 1. videtur tribuere accidentibus, & specialiter loco esse principium indiuiduationis substantiæ. Verba illius sunt. *In numero differentiam varietas accidentium facit; nam tres homines, neque specie, neque genere differunt, sed suis accidentibus: inter quæ accidentia enumerat specialiter locum dicens: quod si duobus corporibus duo loca remaneant, per hæc numeraliter distinguuntur, quia impossibile est, eundem locum fingere duobus corporibus.*

45 Ad hanc auctoritatem

respondet Scotus admittendo varietatem accidentium facere in substantia differentiam numeralem, sed non intrinsicam, & primariam, sed extrinsecam, & secundariam. In presenti autem non est sermo de principio indiuiduationis extrinseco, sed de intrinseco; de extrinseco enim verum reputamus id, quod docuit Porphyrius capite de specie, consistere in quibusdam proprietatibus accidentalibus, quarum collectio nunquam reperitur in alio.

46 Sed occurrit Scotus dicens, hanc expositionem non videri posse accommodari intentioni Boetij. Sic enim ratiocinatur Boetius. In numero differentiam varietas accidentium facit. Sed in personis diuinis nulla est varietas accidentium: ergo in diuinis nõ est differentia numeralis. Quæ ratiocinatio concluderet nihil, nisi Boetius intenderet, solis accidentibus fieri distinctionem numericam, & consequenter hanc esse intrinsicam, & primariam: si enim distinctio numerica in substantijs posset esse per aliquid aliud, quam per accidentia, non rectè ex negatione accidentium concluderet in diuinis negationem distinctionis numeralis.

47 Ad hanc instantiam his verbis respondet Scotus, *Dico, quod omnem distinctio-*

nem

nem numeralem concomitatur distinctio accidentium; & propterea ubi nulla potest esse varietas accidentium, ibi nulla potest esse distinctio numeralis. Et ex hoc patet, argumentum Boetij tenere; quia, cum non possit esse accidens aliquod in diuinis, nec accidentium varietas, ibi non potest esse distinctio numeralis, nec differentia materialis; non tamen sicut à causa præcisa negata ad negationem illius cuius est causa, sed tamquam à necessario concomitante negato ad negationem illius, quod necessario concomitatur.

48 Secundò obijcit auctoritatem Damasceni in elementario capit. 5. ubi videtur tribuere accidentibus esse principia indiuiduationis substantiæ. Verba sunt, *Omnis res. in qua differt hypostasis ab eiusdem speciei hypostasi, dicitur aduentitia differentia, & characteristica proprietas, & qualitas hypostatica: hoc autem accidens est; velut homo differt ab altero homine; quoniam hic quidem longus, hic autem breuis.* Ad hanc auctoritatem respondetur ex Scoto, duobus modis accidens sumi posse. Primò pro omni eo, quod inhæret, aut aptum est inhære; quo modo completur nouem accidentium classes. Secundò pro eo, quod non spectat ad intrinsicam rationem alicuius, etiam si sit de prædicamento substantiæ; quo pacto rationale po-

test dici accidens animali. In primo sensu falsum est, substantiam indiuiduari per accidentia. In secundo autem sensu optimè verificatur, naturam specificam per accidentia indiuiduari; siquidem differentia indiuidualis (quidquid illa sit) est extra rationem intrinsicam naturæ specificæ, quam contrahit, & indiuiduam reddit. Et in hoc sensu sumpsit Damascenus accidens, cum dixit, principium indiuiduationis esse accidens, nõ autem in priori, vt eius verba satis manifestant.

49 Tertio obijcit hanc rationem. Quod primò, & per se competit alicui, competit cuilibet alteri per rationem eius. Sed diuidi in partes eiusdem rationis est proprietas conueniens primò, & per se quantitati: (ex Aristot. 3. Metaph.) ergo conuenit alijs, scilicet, substantijs per rationem quantitatis. Talis est autem diuisio alicuius speciei in sua indiuidua; quia ista diuisio non sunt formaliter alterius rationis, sicut sunt species diuidentes genus: ergo diuisio cuiuslibet speciei in sua indiuidua conuenit ei beneficio quantitatis. Modò sic? idem est principium diuisiõis in aliqua natura, & distinctionis diuisõrum: igitur, si per quantitatem conuenit naturæ specificæ diuisio in indiuidua, quan-

quantitas erit principium distinctionis ipsorum indiuiduorum; & consequenter per quantitatem, tanquam per principium, indiuidua substantiæ erunt indiuidua.

50 Ad hanc rationem respondet subtilis Doctor negando minorem, scilicet, diuidi in partes eiusdem rationis esse proprietatem conuenientem primò, & per se quantitatis; (nam si numerus componeretur ex diuersis numeris, non obstatet rationi numeri, in quantum quantus, quod diuidetur in numeros alterius rationis) neque Philolophus hoc somniavit: solum enim docuit loco Metaphysicæ citato, *quantum esse diuisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel singulum est natum esse aliquid, & hoc aliquid.*

51 Deinde dato, quod quanto competeret, diuidi in partes eiusdem rationis, non appositè (inquit Scotus) inferitur, diuisionem speciei in sua indiuidua competere illi ratione quantitatis. Primò, quia hæc ratio diuisibilitatis inest formaliter illi, quod est diuisibile tali diuisione. Sed quantitas non inest formaliter speciei, in quantum est totum potentiale diuisibile in partes subiectiuas, quales sunt indiuidua illius: ergo quantitas non potest esse ratio diuisibilitatis speciei in indiuidua.

52 Secundò, quia diuisibilitas, quæ competit speciei respectu suorum indiuiduorum est longè alterius rationis, ac diuisibilitas, quæ competit quanto respectu partium, in quas diuiditur: ergo quod species sit diuisibilis in sua indiuidua non potest illi competere ratione quantitatis. Antecedens patet primò, quia quantum est diuisibile in partes ipsum integrantes, & quæ in ipso actu insunt, antequàm diuidatur: (vt ex verbis Aristotel. relatis est manifestum) species autem est diuisibilis in indiuidua, non tamquam in partes ipsam integrantes, & quæ actu insunt in specie, antequàm diuidatur; sed tamquam in partes subiectiuas, & quæ solum potentialiter sub specie continentur.

53 Ipsum antecedens patet secundò, quia species diuiditur in partes, in quibus ipsa species, quæ diuiditur, includitur, & de ipsis in recto prædicatur. (Homo enim includitur in suis indiuiduis, Petro, scilicet, Ioanne, &c. & de ipsis prædicatur in recto.) At quantum, nec includitur in partibus, in quas diuiditur, neque de ipsis in recto prædicatur: corpus enim, neque includitur in capite, manibus, pedibus, &c. neque de ipsis in recto prædicatur; quod etiam verum est de partibus totius

quantitatiui homogenei; licet enim post diuisionem aquæ in plures partes, de qualibet parte verificetur, quod sit aqua, sed non tota illa aqua, quæ diuisa est, sed sumpta aqua pro ratione aquæ communitam membris diuidentibus, quam ipsi diuiso.

54 Deficit præterea supra dicta ratio (vt acutè animaduertit Scotus, §. *Ad primam rationem*), in eo, quod vltimo loco assumit, scilicet, idem esse principium diuisionis, seu diuisibilitatis in aliqua natura, & distinctionis diuisorum: hoc enim falsum est; (inquit Scotus) nam natura communis diuisibilis est ex se in diuidentia, scilicet, in inferiora; non tamen diuidentia distinguuntur ex ratione naturæ communis, sed ex proprijs distinctiuis: ita enim apparet in genere; genus quippè est diuisibile secundum se in plures species, & tamen genus non est ratio distinctionis specierum, sed differentia constituentes diuersas species.

55 Præter istas quatuor sententias referri solent aliæ duæ. Prima (& quæ refertur à Scoto loco citato, quæst. 5.) sustinet, principium indiuiduationis in substantijs materialibus completis esse materiam. Pro hac citatur D. Thom. 1. part. quæst. 3. art. 2. ad 3. & quæst. 20. artic. 4. & 3. part. quæst.

77. artic. 2. & in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 1. quæstioneula 2. & de ente, & essentia, cap. 2. & plures alij. Secunda verò docet, indiuiduationis principium in prædictis substantijs esse formam. Hæc attribuitur Durando in 2. dist. 3. quæst. 2. & videtur esse Auerois 1. de Anima, cap. 7. & lib. 2. in principio, & 3. Physicorum commento 60. & 4. Physicorum commento 38. & Auicenæ 6. naturalium part. 1.

56 Sed auctores isti non contendunt, (vt aduertit Suarez 1. tomo Metaphys. disput. 5. section. 3. numero 2.) principium indiuiduationis in substantijs materialibus completis esse materiam, vel esse formam. Cum enim tam materia, quam forma sint principia essentialia, & quidditatiua substantiæ materialis, ita quantum est ex se indifferentes negatiuè erunt ad hanc, & ad illam singularitatem, ac est indifferens, seu communis negatiuè ipsa natura specifica substantiæ materialis, quæ ex ipsis essentialiter, & quidditatiuè constituitur. Sed, quod contendunt, est, materiam, vel formam esse entitatem physicam, à qua desumitur formalitas illa, in qua principium indiuiduationis metaphysicum consistit, seu (vt alij locuntur, atque in idem incidit) non loquuntur de

de principio indiuiduationis metaphysico; (de quo in præfenti est sermo) sed de physico, de quo in sectione subsequenti disputabimus, ibique sententias istas expendemus.

57 Vltima sententia vera, & à nobis sequenda sustinet, in substantijs materialibus completis, quæ denominantur indiuiduæ principium metaphysicum, seu indiuiduationis radicem esse vltimam formalitatem, seu realitatem prædictarum substantiarum materialium, à qua habent determinari ad esse harum, id est, ad esse, cui repugnat identificari cum alio, & similiter diuidi in plura, tamquam in partes subiectiuas; quæ quidem formalitas, seu realitas, non à Scoto, (vt plures comminiscuntur) sed primò à Ioanne Basolis, & postea à reliquis Scotistis hæc ceitas vocitari consuevit.

58 Itaque ex pluribus formalitatibus, seu realitatibus, quæ sunt à parte rei in eadem substantia materiali completa, v. grat. in hoc homine formalitas substantiæ, corporei, viuientis, sensibilis, rationalis, & huius, quæ formalitates in aliorum sententia distinguuntur actu solum per rationem; in sententia verò Scoti licet sint idem realiter, distinguuntur tamen actu ex natura rei formaliter; (vt ex dictis in Logica disput. 1. vniuersalium quæst. 2. constat) & quarum

prima contrahitur, & determinatur per secundam, & secunda per tertiam, & sic vsque ad vltimam; quod hæc sententia asserit, est, vltimam, quæ est, per quam cæteræ contrahuntur ad esse huius, & dicitur hæc ceitas, esse principium, seu radicem indiuiduationis in prædictis substantijs. Hæc est sententia Scoti loco citato quæst. 6 §. *Ad questionem*, ergo liter. C. quem vnanimiter omnes discipuli secuntur, atque ex alijs Suarez disput. 5. supra citata section. 2. numer. 8. qui tribuit ipsam non solum D. Thom. sed etiam Thomistis. Caietano, Soncinati, Capreolo, Herbæo, & Soto.

59 Et probari potest hæc sententia primò à sufficienti partium enumeratione; nam hoc principium est aliquid adueniens naturæ specificæ; (vt probatum est contra primam sententiam) & insuper non est duplex negatio, scilicet, identitatis cum alio, & diuisibilitatis in plura inferiora; (vt ostendimus contra secundam) neque etiam est existentia; (vt contra tertiam docuimus) neque quantitas, aut aliud accidens; (vt dictum est contra quartam) nec demum est materia, vel forma: (vt in expositione quintæ, & sextæ fuit ostensum, & auctores illarum sententiarum videntur supponere, dum materiam, vel formam appellant principium

indiuuationis non metaphysicum, sed physicum) ergo à sufficienti partium enumeratione erit vltima formalitas ex his, quæ in substantia materiali cõpleta reperiuntur, quã hæcceitatem appellamus.

60 Secundò probari potest ex comparatione ad differentiam specificam; nam non minus contrahitur natura specifica ad naturam indiuiduam per aliquam formalitatem, quàm natura generica ad naturam specificam; quia sicut natura generica est in potentia ad naturam specificam, tamquam ad aliquid per se inferius in eadem serie prædicamentali, ita & natura specifica ad naturam indiuiduam. Sed natura generica contrahitur ad naturam specificam per formalitatem positiuam eiusdem prædicamenti: ergo & natura specifica ad naturam indiuiduam. Sed hæc formalitas positua nihil aliud esse potest, quàm illa vltima formalitas, quàm hæcceitatem appellamus: (quippè omnis alia differentia, vel est specifica, vel alterius prædicamenti) est ergo principium indiuuationis in substantijs materialibus completis vltima formalitas ex his, quæ in prædictis substantijs reperiuntur, quàm hæcceitatem appellamus. Vide alias probationes apud Scotum loco citato.

61 Sed cõtra hanc Scoti sen-

tentiam obijcit Caietanus de ente, & essentia cap. 2. q. 4. omnis actus singularis præexigit potentiam singularem. Sed hæcceitas est actus singularis; ergo præexigit potentiam singularem. Sed ista potentia est natura, siue innatura ipsius indiuidui: ergo natura indiuidui est singularis ante aduentum hæcceitatis, & consequenter hæcceitas non erit primum indiuuationis principium. Maior, & minor sunt Scoti, (inquit Caietanus) & insuper probari potest maior ex 2. Physicorum cap. 3. text. 36. vbi Aristot. docet, formam singularem præexigere materiam singularem.

62 Respondetur, maiore esse veram, atque intelligendam, quoties actus non est singularitas vt cõtingit in forma respectu materiæ, quod est exemplum Aristot. & etiam in actione, vel operatione respectu potentiæ actiuæ, seu operatiuæ, qui est casus, in quo vltus est Scotus illa maiori: nam, si actus est ipsa singularitas, potius requiritur, quod potentia quam præexigit non sit singularis; aliàs nullum præstaret effectum.

63 Secundò obijcit idem Caietanus. illa, quæ sunt principia indiuuationis, sunt primò diuersa. Sed hæcceitas sortis, & Platonis non sunt primò diuersa: ergo non sunt principium indiuuationis.

Ma-

Maior est Scoti; (inquit Caietanus) minor probatur; nam id, quod conuenit magis cum vno, quàm cum alio, non est primò diuersum ab eo, cum quo magis conuenit: hæcceitas autem Platonis magis conuenit cum hæcceitate sortis, quàm cum hæcceitate albedinis, cum illæ sint substantiæ, secus autem ista.

64 Respondetur negando minorem; & ad probationem dicimus ex Scoto in 1. d. 23. q. vnic. §. Item arguo, versicul. Ad primum istorum, non quamcumque conuenientiam auferre ab aliquibus esse primò diuersa, (Aliàs differentia vltimæ præcise, & formaliter considerata non essent primò diuersa; siquidem vt sic consideratæ conueniunt in munere, seu officio faciendi differre.) Sed conuenientiam in aliquo prædicato communi, quod prædicetur de eis in quid; qualis est conuenientia, quam indiuidua dicuntur in natura specifica, & naturæ specificæ in natura generica. Cõstat autem ex dictis in Logica cap. de Æquiuocis, & c. disto. 2. q. 1. hæcceitates sortis, & Platonis, & in vniuersum omnes vltimas differentias formaliter sumptas non habere istam conuenientiam. Neque obest, quod formaliter sumptæ sint substantiæ; nam ratio substantiæ, quam formaliter sumptæ includunt, non est substantia quid, id est, potentialis, & con-

trahibilis, sed substantia qualis, id est, contrahens, & determinans; non secus, ac est ratio entis. Videantur dicta in Logica capite de substantia disput. vnica quæst. 1. num. 1. 65 Tertiò obijcit idem Caietanus. Quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri eiusdem speciei, supponit illorum distinctionem. At hæcceitas sortis conuenit sortis, & repugnat Platoni: ergo supponit distinctionem inter sortem, & Platonem, & consequenter non erit id, quo primò indiuuatur sortis, seu distinguatur numeraliter à Platone. Conclusio (inquit Caietanus) est falsa secundum Scotum. Discursus est bonus; ergo altera præmissarum est falsa; vtraque autem est Scoti; nam minor est eius conclusio; maior autem habetur ab ipso quolib. 2. ergo ex ipso falsus conuincitur Scotus.

66 Respondetur facillè distinguendo maiorem: aut enim id, quod conuenit alicui, & repugnat alteri, constituit rem, cui conuenit, in suo esse, aut conuenit rei iam in suo esse constitutæ, sicut sunt propriæ passiones, & accidentia? Si primum, maior est falsa; nam rationale conuenit homini, & repugnat equo, & tamen non supponit eorum distinctionem, sed potius eam facit. Si secundum maior est vera, (& vt sic, ab Scoto vsurpata quolibeto

citato; loquitur enim ibi de proprietatibus, seu proprijs passionibus, quæ non constituunt subiectum in suo esse, sed præsupponunt iam per differentiam essentialem in suo esse constitutum) sed minor est falsa; nam hæcetas sortis non conuenit sorti in suo esse constituto, sed potius illum in suo esse constituit: & sic ruit discursus Caietani.

SECTIO II.

Explicatur, unde sumatur principium indiuiduationis in substantijs materialibus completis.

67 **V**idimus huc usque quid sit, seu in quo consistat principium indiuiduationis metaphysicæ, substantiarum materialium; superest explicandum, quid sit in prædictis substantijs principium indiuiduationis physicum; id est, quid sit in prædictis substantijs res physica, à qua desumitur illa formalitas, seu ille conceptus obiectiuus metaphysicus, in quo rationem principij indiuiduationis constituiamus? Statutum est enim apud Philosophos, conceptus obiectiuos metaphysicos (quales sunt formalitates reales, quæ denominantur genera, vel differentia, tam specificæ, quàm indiuiduales) desumi à physica entitate rei, vel partiali, vt sunt

in substantijs materialibus, de quibus nunc loquimur, materia, & forma; vel totali, vt est totum compositum, quod ex materia, & forma conflatur. Vnde sicuti in Logica capite de differentia disput. 1. quæst. 4. inuestigauimus, unde sumatur in substantijs materialibus formalitas generis, & formalitas differentia, an à sola materia, vel forma, an à toto composito? Ita modò idem inquirimus de formalitate ista reali, in qua metaphysicum principium indiuiduationis constituiamus.

68 Prima sententia defendit, in substantijs materialibus completis principium indiuiduationis physicum, seu rem illam physicam, à qua desumitur formalitas illa realis vltima, in qua principium indiuiduationis constituiamus, esse solam materiam. Ita D. Th. locis sect. 1. numer. 55. citatis, quem plures discipuli secuntur, Caietanus de ente, & essentia cap. 2. Capreolus in 2. d. 3. Iabellus 5. Metaph. q. 15. Soncinas 7. Metaph. quæst. 33. & 34. Ferratiensis 1. contra geates cap. 21. & quàm plures alij.

69 Fundamentum huius sententia sunt aliquæ locutiones Aristot. quas adducit Scotus, q. 5. in quibus distinctionem, & identitatem numericam attribuit soli materia; quod non faceret, nisi supponeret, vt certum

tum solam materiam esse physicum indiuiduationis principium: quippè 5. Metaph. cap. 6. text. 12. dicit Aristot. *ea esse vnum numero, quorum est materia vna.* & 7. Metaph. cap. 8. text. 28. affirmat, quod *generans generat aliud propter materiam; Callias, (inquit) & Socrates diuersa quidem sunt propter materiam; idem autem specie: & eodem libro cap. 5. text. 20. & cap. 11. text. 41. ponit hæc verba; In his, quæ sunt sine materia, idem est, quod quid est, cum eo, cuius est; in conceptis verò cum materia non est idem, quod quid est, cum eo, cuius est; in quibus videtur excludere materiam à ratione quid dicitur, & tamen, cum sit aliquid in entibus, erit pars indiuidui, vel indiuiduatio totius.* Et 12. Metaph. capit. 8. text. 49. concludit, *primum motorem non posse esse nisi vnum, quia est ex pers. à materia.* Et demum 1. de Cælo capit. 9. probat, non posse esse alium mundum, quia hic mundus totam materiam rerum materialium complectitur.

70 Rationem autem nullam fatetur Suarez se inuenire pro ista sententia, quæ ad Aristot. auctoritates non reuocetur. Soncinas tamen hac vtitur. Quod est causa prima non essendi in alio, est radix principij indiuiduationis; siquidem indiuiduum in sua ratione formali includit incommunicabilitatem. Sed hoc habet ma-

teria: ergo, &c. Probo minorè; nam idè materia dicitur primum subiectum, quia non potest esse in alio.

71 Et confirmatur, quia in metaphysica coordinatione indiuiduum est primum subiectum, de eo enim omnia, quæ sunt in recta linea prædicamentali, prædicantur, & ipsum non de alijs: ergo radix, & fundamentum physicum principij indiuiduationis metaphysici erit id, quod intrè principia physica est etiam primum subiectum. Huiusmodi autem est materia: ergo.

72 Sed sententia ista non solum à Scoto q. 5. citata, & à sectatoribus eius, sed etiam ab omnibus ferè recetioribus reijcitur; & omissio inconueniente, quod ex ea sequitur, scilicet, esse impossibile, quod in vna specie Angelorū sint plures numero Angeli; siquidem omnis Angelorum species materia caret, quæ in sententia ista est sola, & præcisa entitas physica, à qua sumitur illa vltima formalitas, in qua principium indiuiduationis metaphysicum constituiamus, probari potest eius falsitas ratione, qua ibi vsus est Scotus.

73 Si sola materia esset entitas physica, à qua desumitur formalitas illa vltima, in qua metaphysicum indiuiduationis principium constituiamus, non possent multiplicari indiuidua absque multiplicatione ma-

materiæ. Hoc autem est falsum; nam genitum distinctum indiuiduum est à corrupto, & tamen eadem materia, quæ erat in corrupto, manet in genito, vel aliter, eadem materia, quæ est in genito, erat in corrupto: ergo si sola materia est entitas physica à qua desumitur formalitas vltima in qua principium indiuiduationis constituimus, sequitur, quod genitum, & corruptum nõ sint distincta numero, sed potius eadem.

74 Quod si respondeas, non sequi, quia materia non ponitur entitas physica, à qua desumitur principium indiuiduationis metaphysicum, nisi præsupposita specifica vnitatem; genitum autem, & corruptum non sunt vnius speciei. Contra arguit Scotus: (sicut sectione præcedenti argumentabamur contra quantitatem interminatam) ponamus, quod ex aqua primò generetur ignis, & postea ex igni generetur aqua, in prima aqua corrupta, & in secunda genita est eadem materia: ergo si ista est sola entitas physica, à qua desumitur principium metaphysicum indiuiduationis in his, quæ sunt eiusdem speciei, cum aquæ istæ sint eiusdem speciei, sequitur euidenter, primam aquam corruptam, & secundam genitam esse hanc eandem numero aquam: quod videtur impossibile, quia idem

indiuiduum numero non redit actione naturali, ex 2. de generatione, & 5. Physicorum.

75 Propter hanc rationem Scoti, quæ efficacissima est, fuit additum ab auctoribus huius sententiæ, materiam, non vtrumque, sed signatam quantitatem esse entitatem physicam, à qua desumitur formalitas illa, in qua indiuiduationis principium constituimus. Quid autem hac voce *signatam quantitatem* significetur tam obscurum est, vt defensores huius sententiæ in hac voce explicanda mirum in modum dissideant. Adducam celebriores expositiones.

76 Primò dixerunt aliqui, materiam signatam quantitatem nihil aliud esse, quam materiam affectam quantitate. Ita Capreolus, Soncinas, & Ferrariensis locis citatis; & videtur D Thomæ; nam de ente, & essentia cap. 2. dicit, se intelligere per materiam signatam quantitatem, *quæ sub certis dimensionibus consideratur*: & quæst. 2. de veritate art. 6. *materiam cum determinatione harum, vel illarum dimensionum.*

77 Sed stando in ista expositione, sententia, quæ affirmat, materiam signatam quantitatem esse solam, & adæquatam entitatem physicam, à qua desumitur in substantijs materialibus completis principium indiuiduationis metaphysicæ, falsa omnino est; nec leuibus

rationibus impugnari potest.

78 Primò inquirendo ab his auctoribus, cur materia, quæ ex se, & seclusa quantitate non est entitas physica, à qua desumitur metaphysicum principium indiuiduationis in substantijs materialibus completis, hoc habeat ex eo, quod actualiter informetur à quantitate? Profectò hoc ex nullo alio capite prouenire potest, nisi quod materia, quæ ex se non est indiuidua, per ipsam quantitatem indiuidua fit. Ponere autem, materiam, aut quæcumque aliam substantiam per quantitatem indiuiduari, sectione præcedenti efficaciter explosum est ex quatuor vijs à Scoto desumptis. Et modò ad hominem rejicitur; nam auctores huius sententiæ sustinent, omne accidens (& consequenter quantitatem) indiuiduari per subiectum: ergo subiectum quantitatis (quale est substantia) nõ poterit indiuiduari per ipsam quantitatem, quia committeretur circulus in ipsa indiuiduatione.

79 Secundò inquirendo ab eisdem auctoribus, an hæc quantitas, per quam signatur materia, subiectetur immediate in materia prima, an in ipso composito? Si in materia prima, consequenter dicendum erit, non solum in genito manere eandem numero materiam; quæ præfuit in corrupto, sed etiam manere eandem

numero quantitatem, qua signabatur, seu afficiebatur ista materia: & sic ratio Scoti adducta numero 73. ad probandum, materiam non esse solam, & adæquatam entitatem physicam, à qua desumitur principium indiuiduationis metaphysicum in substantijs materialibus completis, idem conuincet de materia signata, seu affecta quantitate.

80 Respondebis fortasse, in sententia, quæ sustinet, quantitatem subiectari immediate in materia prima, solum esse affirmandum, manere in genito eandem numero quantitatem interminatam, quæ præfuit in corrupto; non verò manere eandem numero quantitatem terminatam. Signationem verò quantitatis, a qua materia habet, quod ipsa sola sit entitas physica, à qua desumitur principium indiuiduationis metaphysicum in substantijs materialibus completis, non esse signationem quantitatis interminatam, sed terminatam.

81 Sed præterquam, quod sic respondentes non locuntur consequenter ad principia asserentium, quantitatem subiectari immediate in materia prima, illique esse coæquam; (Hi enim solum affirmant hoc de quantitate interminata; nõ de quantitate terminata, omnes dicunt, consequi ad esse formæ substantialis in materia) adhuc inquire potest ab his aucto-

storibus, quid intelligant per quantitatem terminatam.

82 Si enim intelligunt quantitatem certis longitudinis, latitudinis, & profunditatis terminis constantem, falso dicunt, in sententia, quæ affirmat, quantitatem immediatè subiectari in materia prima solùm esse affirmandum manere in genito eandem quantitatem interminatam, quæ præfuit incorrupto; non verò eandem quantitatem terminatam, siquidè manere potest in genito non solùm eadem quantitas, quæ fuit in corrupto, sed etiam cū eisdè terminis longitudinis, latitudinis, atque profunditatis, vt patet in eodem baculo prius viridi, & postea sicco.

83 Si autem intelligant, quantitatem affectam certis dispositionibus qualitatiuis, admitti debet in omni sententiã non manere in genito eandem quantitatem terminatam, quæ præfuit in corrupto; nam dispositiones qualitatiuæ semper sunt diuersæ in genito ab illis, quæ præfuerunt in corrupto. Tamè hoc stare nequit cum ipsorum sententia; quia (vt optimè annotauit Suarez, ipsi dicunt, quantitatem ex propria ratione, & effectu formali esse causam, ob quam materia prima est sola, & adæquata entitas physica, à qua desumitur metaphysicum indiuiduationis principium in substantiis materialibus completis: ergo non conuenit hoc

illi ratione aliarum qualitatum, seu dispositionum; alioquin non materia signata quantitate, sed materia quanta signata certis qualitibus deberet dici physicum principium indiuiduationis.

84 Si verò quantitas immediatè non subiectatur in materia prima, sed in toto composito (vt affirmat verior sententia, quam auctores isti secuntur) impertinens omninò est signatio, seu affectio quantitatis ad intrinsecam indiuiduationem, tam metaphysicam, quam physicam substantiæ materialis completæ. Quod sic conuincitur. In hac sententia prius naturaliter est, compositum esse ens aliquod substantiale, quam esse affectum quantitatis, quia quantitas singularis non afficit compositum substantiale in vniuersali, sed in singulari: ergo ante aduentum quantitatis præintelligitur in composito substantiale quidquid necessarium est ad rationem principij indiuiduationis illius, tam metaphysici, quam physici.

85 Confirmatur, & declaratur amplius. Vel quantitas (cuius signatio in materia requiritur ad hoc, vt sit physicum indiuiduationis principium) est, quæ sequitur in genito, vel quæ præcessit in corrupto? Nò quæ sequitur in genito; nam hæc iam supponit illud, vt subiectum sui, & consequenter singula-

gulare, & indiuiduum. Neque etiam, quæ præcessit in corrupto; quia, cum in hac sententia prædicta quantitas non maneat, sed corruptatur cum ipso composito præexistente, nò poterit ad indiuiduationem intrinsecam, neque metaphysicam, neque physicam compositi substantialis, quod de nouo generatur, spectare. Nulla ergo signatio, seu informatio quantitatis requiritur in materia, seu in toto composito substantiale ad illius indiuiduationem, neque physicam, neque metaphysicam.

86 Secundo dixerunt alij, materiam signatam quantitate non esse materiam affectam quantitate, sed materiam capacem huius quantitatis potius, quam illius. Itaque quantum materia natura sua sit capax quantitatis; tamen vt sic (dicunt hi auctores) non dicitur signata quantitate, nec principium physicum indiuiduationis substantiæ materialis completæ, quia indifferens est ad quancumque quantitatem, & consequenter ad quancumque formam substantialem; sed dicitur signata quantitate, & principium physicum indiuiduationis huius substantiæ materialis completæ potius, quam alterius, vt ab agente naturali per actionem præuiã ad generationem determinatur, vt sit capax huius quantitatis, & non alte-

rius, & cõsequenter huius formæ, & non illius. Per quantitatem autem intelligunt hi auctores non solum mathematicam, (vt sic dicam) sed physicam, id est, physicis qualitibus, & dispositionibus affectam. Ita philosophantur Caietanus de ente, & essentia cap. 2 q. 5. & Labellus loco citato, & ante illos Ægidius quodlib. 1. q. 5. art. 1.

87 Verum est, hanc expositionem (propter argumentum, quod subiiciam) displicuisse postea Caietano 1. p. q. 29. artic. 1. vbi asserit, materiam non dici à D. Thom. signatam quantitate, eo quòd sit capax, seu in potentia passiuã ad illam quantitatem, sed eo quòd sit præhabens hanc quantitatem, seu radix, & fundamentum illius. Sed certè Caietanus argumentis oppressus coactus fuit aliã inuestigare solutionem, sed recidit in priorè, quæ ipsi displicuerat. Si enim in sententia Caietani materia non præhabebat, aut est radix, & fundamentum istius quantitatis in genere causæ efficiētis, sed solū in genere causæ materialis, profectò idè omninò erit, materiã præhabere istã quantitatem, seu esse radicem, & fundamentum istius quantitatis; ac materiã habere capacitatem ad recipiendum istam quantitatem: est ergo eadem expositio verbis diuersis.

88 Sed etiam stando in ista expositione falsum est, materiam

riam signatam quantitate esse principium individuationis physicum, in substantiis materialibus completis. Primo, quia ideo auctores isti renuunt admittere, materiam signatam quantitate (in qua principium individuationis physicum substantiarum materialium completarum constituunt) esse materiam, ut actu afficitur, seu informatur quantitate; quia quantitas non spectat ad idem predicamentum, ad quod spectat substantia materiales completæ. Principium autem individuationis, siue physicum, siue metaphysicum (ut argumenta Scoti sectione præcedenti ad ducta ostendunt) debet spectare ad idem predicamentum, ad quod res, quæ denominatur individua, spectat. Sed capacitas, seu radix, & fundamentum respectu huius quantitatis physicæ potius, quam alterius, & consequenter respectu huius formæ substantialis potius, quam illius, ad quam materia prima determinatur ab agente naturali per actionem præuiam ad generationem, non spectat ad predicamentum, ad quod spectant substantia materiales completæ: ergo propter eandem rationem debent affirmari principium individuationis, physicum in substantiis materialibus completis non esse materiam signatam quantitate, sumpta materia signata quantitate pro materia capa-

ci, seu ut est radix, seu fundamentum huius quantitatis potius, quam alterius; & consequenter huius formæ substantialis potius, quam illius.

89 Minor huius discursus patet ex dictis disp. 3. q. 3. num. 2. ubi ex Scoto q. 20. super primum Physicorum annotauimus, potentiam subiectiuam, seu capacitatem receptiuam materiæ primæ inter alias acceptiones dupliciter posse accipi. Primo pro vi, & facultate ad recipiendas formas substantiales. Secundo non pro ista vi, & facultate, sed pro dispositionibus, quibus mediantibus hæc vis, seu facultas materiæ primæ ab agentibus naturalibus per actionem præuiam ad generationem, ultimo determinatur ad recipiendam potius istam formam, quam aliam, & consequenter istam quantitatem physicam potius, quam illam. Et licet in primo sensu potentia subiectiua, seu capacitas subiectiua materiæ primæ sit illius propria passio, & consequenter idem realiter cum illa, atque ad idem spectans predicamentum, ad quod spectat compositum substantiale. Tamen in secundo (in quo in præsentibus ab aduersariis sumitur) est quoddam accidens illius distinctum realiter ab ea, & spectans ad diuersum predicamentum, ac compositum substantiale. Cuius evidens signum esse diximus, quod capacitas ista

ista separabilis est à materia: eadem enim materia, quæ nunc est proximè capax huius formæ substantialis, seu quantitatis physicæ, & non illius, potest ab alio agente aliter disponi ita, ut reddatur proximè capax alterius formæ substantialis, seu quantitatis physicæ, & non istius.

90 Secundo, & principaliter probatur, quia materia prima prius respicit secundum suam potentiam passiuam formam substantialem, quam quantitatem physicam: (Quod negare nequeunt aduersarij, cum sustineant, accidentia non subiectari immediatè in materia prima, sed in toto composito) ergo prius etiam determinatur hæc potètia, seu capacitas passiuam materiæ primæ ad hanc formam substantialem, & consequenter ad hoc compositum substantiale, quam ad hanc quantitatem physicam: nequit ergo determinatio capacitatis materiæ primæ ad hanc quantitatem esse principium individuationis physicum substantialem completæ.

91 Et confirmatur, quia iuxta auctores oppositæ sententiæ in re ipsa materia non recipit hanc quantitatem, nisi mediantè hac forma, & quia recipit hanc formam potius, quam aliam ideo recipit hanc quantitatem potius, quam aliam: ergo similiter in determinatione potètiæ passiuæ eodem

modo debent philosophari, scilicet, ideo determinari potèntiam, seu capacitatem passiuam materiæ ad recipiendum istam quantitatem potius, quam illam, quia determinatur ab agente naturali ad recipiendum istam formam substantialem potius, quam illam. Potius ergo materia cum habitudine ad hanc formam, quam cum habitudine ad hanc quantitatem esset appellanda individuationis principium in casu, quod hoc cõpeteret materiæ, ut haberet potèntiam, seu capacitatem ad recipiendum determinatam, ut aduersarij contendunt.

92 Alij verò his difficultatibus presis benignè interpretantur D. Thomam dicunt enim, Angelicum Doctorem solum vidisse materiam signatam quantitate esse principium physicum individuationis occasionaliter, vel quoad nos. Occasionaliter quidem, quia materia est principium corruptionum, ac consequenter generationum, per quæ quotidie individuis quibusdam corruptis alia quædam substituuntur, ut consentiuntur species rerum; & quia hoc pacto multiplicatur, & multiplicata distinguuntur, ideo volunt, materiam sic dici posse occasionaliter principium individuationis physicum; materiam quidem non utcumque. Sed signatam, id est, affectam quantitate; quia materia non potest alterari physice,

cè, nisi mediâ quantitate. Quoad nos verò, quia per materiâ signatam quantitate physica, & sensibili; cognoscimus distinctionem indiuiduorum materialium inter se. Et hoc dicunt, docuisse D. Th. opusculo 32. de natura materiæ, & dimensionibus interminatis capit. 3.

93 Sed quidquid sit de mente D. Th. (sunt enim, qui dicant, expositionem istam non posse menti ipsius accommodari; quia si materiæ signatæ quantitate solum tribueret esse principium physicum indiuiduationis occasionaliter, vel quoad nos, non rectè inde inferret, in separatis à materia non posse dari in vna specie plura indiuidua) secundum hanc expositionem, sententia, quæ affirmat, materiam signatam quantitate esse physicum indiuiduationis principium, non loquitur ad rem; nam in præsentibus nos inquirimus, quid sit in re principium physicum indiuiduationis substantiarum materialium completarum? nõ verò quid sit in eis occasio multiplicandi indiuidua; aut signum, per quod à posteriori distinctionem indiuidualem in ipsis percipimus? Esset enim hæc nimis diminuta, æquivoca, aliena, & incerta principij indiuiduationis declaratio.

94 Secunda sententia affirmat, in substantijs materialibus completis physicum indiui-

duationis principium esse solam formam. Ita Durandus, & alij auctores sect. præcedenti numer. 55. citati. Imò videtur esse Arist. nam 2. de anima cap. 1. dicit, *formam esse, quæ constituit hoc aliquid*, id est, indiuiduum, & singulare.

95 Probari autem solet hæc sententia. Primò, quia differentia indiuidualis, seu metaphysicū indiuiduationis principium sumitur ab illa entitate physica, à qua indiuiduum physicum in suo esse constituitur. Sed in substantijs materialibus completis hæc est sola forma: ergo, &c. Probo minorem, nam per hanc formam singularem, v. grat. per hanc animam, Petrus constituitur in esse huius indiuidui physici, scilicet, huius hominis.

96 Secundò: ex Arist. 7. Metaph. text. 48. actus est, qui distinguit, & separat, sed respectu esse physice substantiæ materialis completæ sola forma habet rationem actus: (nam materia est pura potentia) ergo in entitate physica substantiæ materialis completæ, & indiuiduæ sola forma erit, quæ physice distinguit, & separat indiuidualiter.

97 Falsitas huius sententiæ facile ostendi potest. Primò, quia sola forma non tribuit substantiæ materiali completæ, quæ denominatur indiuidua, suum esse physicum, sed ad hoc etiam concurrunt mate-

ria:

ria: ergo sola forma non est entitas physica, à qua in prædictis substantijs desumitur Metaphysicum indiuiduationis principium. Patet consequentia, quia (vt statim dicam) metaphysicum indiuiduationis principium desumitur à tota entitate physica substantiæ materialis completæ, quæ denominatur indiuidua.

98 Secundò, quia hæc eadem numero forma, quæ in hac numero materia constituit hanc numero substantiam materialem completam, cum alia distincta numero materia constitueret aliam distinctam numero substantiam materialem completam: (Aliàs frustra requirent Theologi in resurrectione hominum ad hoc, vt resurgeret idem numero homo, quod vniuscuiusque anima coniungatur cum proprio, & indiuiduo corpore, quod antea habebat) ergo signum cuius est, solam formam substantialem in substantijs materialibus completis non esse physicum indiuiduationis principium.

99 Tertia demum sententia vera, & à nobis sequenda sustinet, principium physicum indiuiduationis in substantijs materialibus completis, esse tertiam illam entitatem compositam, quæ ex hac numero materia, & ex hac numero forma, tanquam ex partibus essentialibus physicis resultat. Hæc est

communis sententia apud recentiores, & colligitur ex his, quæ ex mente Scoti docuimus in Logica cap. de differentia disp. 1. q. 4. scilicet, formalitates illas reales, quæ denominantur genera, & differentiæ, neque desumi præcisè à materia, neque præcisè à forma, sed à tota entitate physica, quæ ex materia, & forma resultat.

100 Et probari potest. Primò à sufficienti partium enumeratione; nam si principium indiuiduationis physicum non est sola, & præcisè materia; (vt contra primam sententiã ostensum est) neque sola, & præcisè forma, (vt contra secundam fuit probatum) necessariò fatendum erit, esse tertiam entitatem compositam, quæ ex hac numero materia, & ex hac numero forma, tanquam ex partibus essentialibus physicis resultat.

101 Secundò, quia vnum est passio entis: ergo ab eodè habebit substantia materialis completa, quod sit physice vna indiuidualiter, à quo habet entitatem physicam indiuiduam. Sed entitatem physicam indiuiduam non habet substantia materialis completa à sola, & præcisè materia, neque à sola, & præcisè forma; sed à tertia entitate composita, quæ ex hac numero materia, & ex hac numero forma resultat: ergo hæc tertia entitas composita erit in substantijs mate-

x

ria:

rialibus completis principium indiuiduationis physicum.

102 Tertiò, quia formalitates, seu conceptus obiectiui metaphysici generis, speciei, & indiuiduales, ex quibus coordinatur prædicamentum substantiæ, v. g. formalitates, seu conceptus obiectiui substantiæ, corporis, viuentis, animalis, hominis, & Petri, & formalitates, seu conceptus obiectiui metaphysici differentiales, quibus in esse naturæ genericæ, specificæ, & indiuiduæ hæc omnia constituuntur, non abstrahuntur, seu desumuntur ab entitate physica, quæ reductiuè in prædicamento collocatur; sed ab entitate physica, quæ in prædicamento collocatur per se. Sed entitates physicæ materiæ, & formæ solum collocantur in prædicamento substantiæ reductiuè, tertia verò entitas physica composita, quæ ex materia, & forma resultat, collocatur in prædicamento substantiæ per se: (vt ex dictis in Logica capite de diuisione in complexorum disp. vnica quæst. 2. numer. 19. constat) ergo tertia entitas, & non præcisè materia, & forma, erit entitas physica, à qua desumitur formalitas, seu conceptus obiectiuus metaphysicus indiuidualis, & consequenter principium indiuiduationis physicum.

103 Restat, argumentis pro prima, & secunda sententia

adductis satisfacere. Sed priùs aliqua aduertenda sunt, quæ non parum conducunt ad eorum solutionem. Primum est; quòd, cum hæc tertia entitas physica (à qua dictum est desumi in substantijs materialibus completis formalitatem illam vltimam, in qua metaphysicum indiuiduationis principium constituimus) sit essentialiter composita, & coalescens ex materia, & forma, non incongruè dici potest, formalitatem illam, in qua metaphysicum indiuiduationis principium constituimus, desumi à materia, & à forma, tanquam à radicibus, seu principijs indiuiduationis physicis remotis, & inadæquatis.

104 Etsi aliquis inquirat, quod ex his duobus indiuiduationis principijs physicis remotis, & inadæquatis sit magis indiuiduationis physicæ principium? Respondetur, dupliciter nos posse appellare aliquid magis principium indiuiduationis. Primo, quia per se, & in se magis conducit ad indiuiduationem physicam, & hoc pacto optimè docuit Scotus q. 6. citata propè finem, esse magis principium indiuiduationis physicæ formam, quàm materiam, eo quòd magis, & perfectius conducit ad compositionem, & constitutionem tertiæ entitatis, quæ est principium indiuiduationis phy-

physicum proximum, & adæquatum.

105 Secundo in ordine ad nostram cognitionem, eo quòd nihil magis conducit nos in cognitionem distinctionis, & vnitatis indiuidualis, quàm illud; & hoc pacto dicimus, materiam affectam quantitate, & alijs accidentibus esse magis principium indiuiduationis, quàm formam, quia nostra cognitio incipit à sensibus; & nihil magis ducit nos in cognitionem vnitatis, vel distinctionis indiuidualis alicuius rei, quàm videre eandem, vel diuersas materias cum eadem, vel diuersis quantitatibus his, vel illis accidentibus affectis.

106 Secundo est aduertendum ex eodem Scoto ibidem liter H. & liter. Q. apud Arist. duplicem esse materiam; physicam, & metaphysicam. Materia physica est altera pars compositi naturalis perfectibilis, & potentialis. Materia metaphysica est id, quod non est de quidditate rei, contrahit tamen quidditatem ad esse huius; tales sunt differentie indiuiduales. Quæ distinctio, vt clarius percipiatur, aduertit subtilis Doctor, apud eundem Arist. duplicem esse formam; physicam, & metaphysicam. Forma physica est altera pars compositi naturalis, quæ habet rationem actus, & perficientis. Metaphysica est

quidditas totius. Sicut autem formæ physicæ correspondet materia physica, scilicet, altera pars compositi, quæ est potentialis, & perfectibilis; ita formæ metaphysicæ correspondet materia metaphysica, scilicet, id, quod est extra quidditatem totius ipsam contrahens, & determinans ad esse huius, differentie nimirum indiuiduales. Et hinc est, quòd frequentissimè Aristot. quidditatem totius appellat formam, & habens quidditatem contractam ad esse huius appellat materiam. Legatur 1. de Cælo text. 95. vbi ponit hæc verba, *Cum dico cælum, dico formam; cum dico hoc cælum, dico materiam.*

107 Rationes autem, cur Aristot. quidditatem totius appellat formam, differentiam autem indiuidualem appellat materiam, plures sunt. Prima, quia quidditas constituit rem in ratione prædicabilis; differentia autem indiuidualis in ratione subiectibilis; prædicatum autem assimilatur formæ; subiectum verò materiæ. Secunda, quia quidditas est communicabilis, differentia autem indiuidualis incommunicabilis; formæ autem proprium est multis communicari; materiæ verò ad vnumquidpiam formam contrahere, & determinare. Tertia, quia formæ proprium est perficere materiam; materiæ verò perfici à forma; differentia autem indi-

uidualis, et si contrahat, & determinet quidditatem, non tamen perficit illam, sed potius perficitur ab illa; & in hoc distinguitur à differentia specifica, quæ non perficitur, sed potius perficit genus, quod contrahit. Et hinc ortum est, ut ab omnibus Philosophis differentia quidditatiuæ (ut sunt specificæ) formales appellentur, differentia verò, quæ sunt extra quidditatē (ut sunt indiuiduales) appellentur materiales.

108. His suppositis ad auctoritates Aristotel. quibus prima fulciebatur sententia, ex recentioribus, qui nobiscum tenent, materiam adhuc signatam quantitate nō esse principium physicum indiuiduationis, Fōseca 5. Metaph. capit. 6. quæst. 4. sect. 6. & quæst. 5. sect. 4. & Suarez tomo 1. Metaph. disp. 5. sect. 3. num. 34. respondent, Aristot. numquam ex professo, & metaphysicè principium indiuiduationis investigasse, sed physico more docuisse, quo pacto ex sensibilibus vnum indiuiduum ab alio scernere possimus; & sic pro principio indiuiduationis assignasse materiam; quia (ut numer. 105. dicebamus) ex principijs inæquatis, & remotis indiuiduationis in ordine ad nostram cognitionem magis principium est materia affecta quantitate, & alijs accidentibus, quàm forma.

109. Verùm expositio ista

Aristotelicæ gloriæ multum detrahit; nam (ut ipse Suarez fatetur) valdè diminutè, & cum magna æquiuocatione Aristoteles nobis principium indiuiduationis tradidisset, si, omisso eo, quod verè, & in se est principium indiuiduationis, solum nobis tradidisset signa à posteriori unitatis, vel distinctionis indiuidualis.

110. Altiùs sanè Aristotelis mentem penetrauit Scotus dum quæst. 6. §. *Ad questionem quintam* ad primam auctoritatem ex 5. Metaph. *ea sunt vnum numero, quorum est materia vna*, respondet, ibi nomine materiæ non intelligere Philosophum materiam physicam, sed metaphysicam, scilicet, differentiam indiuidualem; atque hoc colligit ex verbis, quæ subiecit Aristotel. *specie vero vnum, quorum ratio est vna*. vbi ratio sumitur pro quidditate, quæ respectu differentia indiuidualis, cui ipsam contraponit, & quam appellauit materiam, dicitur forma, non physica, sed metaphysica.

111. Eodem pacto respondet tam ad auctoritatem ex 7. Metaph. cap. 5. quàm ad auctoritatem ex 12. Metaph. capit. 8. scilicet, nomine materiæ non intelligere Aristot. materiam physicam, sed metaphysicā differentia, videlicet, indiuidualem. Vnde supra disp. 3. quæst.

quæst. 7. numer. 22. ex professo docuimus, non rectè adduci auctoritatem illam ex 7. Metaph. cap. 5. ad probandum, materiam primam non esse de quidditate compositi substantialis; & num. 23. latè exposuimus, quomodo intelligenda sint ista verba, *In his, quæ sunt sine materia*, (id est, sine differentia indiuiduali) *idem est quid quid est*, &c. Cur autem 12. Metaph. capit. 8. dicat Aristot. primum motorem esse expertem materiæ, & inde colligat, non posse esse plures primos motores, optimè explicat Scotus dicens, esse expertem materiæ primum motorem, & consequenter non posse esse plures primos motores, quia in primo motore (scilicet, Deo) non est aliquid contrahens, ut materia, sed est de se hic sine alio contrahente; nam talis contractio non stat cum perfecta simplicitate, & ideo quidditas Dei est de se hæc.

112. Ad auctoritatem ex 7. Metaph. capit. 8. text. 28. (*generans generat aliud propter materiam*) optimè respondet Scotus, intentionem Philosophi ibi tantum esse, ideas Platonis non esse villo modo necessarias ad generationem; quia tam distinctio gignentis à genito, quàm assimilatio geniti cum generante (Quæ duo requiruntur ad generationem vniuocam) possunt haberi sine ideis. Agens enim particu-

lare ex forma sua habet, vnde assimilet sibi passum, & generans genitum; & ex materia habet, quòd sit distinctum à genito. Quod vltimum (inquit Scotus) non est intelligendum principaliter; quia, cum vnumquodque ens naturale habeat esse principaliter à forma, quàm à materia; ita & principaliter habet à forma, quàm in materia, quòd sit vñ; & consequenter indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio: sed est intelligendum appropriatione, & consequenter. *Appropriatione*, inquam, quia cum forma non solum sit distinctiua, sed etiam assimilatiua; materia autem nullo modo sit assimilatiua, quia generans non assimilat sibi genitum ratione materiæ; ideo ratio distinctiui appropriatur potius materiæ, quàm formæ. *Consequenter* verò, quia, cum generans generando necessario perficiat aliam materiam, quàm suam propriam; (Cum enim materia ipsius propria iam perfecta sit per formam suam; oportet, ut forma, quam per generationem introducit, perficiat aliam materiam) & insuper cum materia sit pars essentialis rei, necessario sequitur, quòd generans distinguatur à genito per materiam, licet non tamquam per partem principaliorē, quia hæc semper est forma. Et hac ratione (inquit

Scotus) dicitur ab Arist. materia distinctiua, & multiplicatiua indiuiduorum *appropriatione, & consequenter*, non tamen *principaliter* quantum ad æquationem.

113 Omitto vltimam auctoritatem ex 1. de Cælo, vbi docet, *non posse esse alium mundum præter hunc, quia in hoc est tota materia*: non enim adducitur à Scoto, sed ab aduersarijs, & satis incongruenter; nam ex ea solum sequitur, materiam esse partem essentialem physicam rerum naturalium huius mundi, non verò esse principium physicum totale, & adæquatum indiuiduationis rerum. Cur autem Arist. intulerit ex hoc, quòd in hoc mundo sit tota materia, nõ posse esse alium mundum, siquidem secundum fidem potest Deus creare aliam nouam materiam, ex qua, tanquam ex parte essentiali physica, & alijs nouis formis substantialibus coalesceret alius mundus? Existimo fundari in vno ex duobus erroribus, qui attribuuntur Arist. scilicet, vel quia existimabat, Deum produxisse hunc mundum ex materia æterna, & increabili; vel quia suspicabatur, Deum agere ex necessitate naturæ; & sic non posse creare plus materiæ, quàm creauit.

114 Ad rationem Soncinatis respondetur, dupliciter posse aliquid alij communicari. Primo, vt superius inferiori-

bus. Secundò, vt forma subiecto. Negatio prioris communicationis est, quam dicit indiuiduum in sua ratione formali. Sed hoc non habet materia, sed negatio secundæ communicationis est, quam habet materia, & propterquam dicitur primum subiectum. Ex quibus patet, Soncinatem maxima laborare æquiuocatione.

115 Ad confirmationem cõcilio antecedenti negamus cõsequentiã: non enim bene inferitur ex eo, quòd indiuiduum sit primum subiectum in coordinatione metaphysica, seu quod idem est, in prædicatione, debere sumi ab eo, quod est primum subiectum in compositione physica, id est, in hætionis, seu informationis: nam subiectum prædicationis, & subiectum in hætionis, seu informationis diuersæ rationis sunt, & vnum necessariò non supponit aliud; nam in simplicibus substantijs est subiectum prædicationis sine subiecto in hætionis, seu informationis. Item id, quod est subiectum prædicationis semper est perfectius prædicato: subiectum autem informationis non semper est perfectius actu, quo informatur.

116 Ad argumenta secundæ sententiæ respondemus. Ad auctoritatem Aristot. sunt, qui respondeant, per hoc aliquid non intelligere Philosophum in verbis relatis in 2. de anima capit.

pit. 1. substantiam indiuiduã, sicut intellexit in Categorijs capite de substantia, sed substantiam compositam, & completam. Ita Patius egregius Arist. interpres in suis commentarijs ad hunc locum. Sed admissò, quòd intelligat substantiam indiuiduam, responderetur Arist. affirmare, *formam esse, quæ constituit hoc aliquid*, non quia sit totalis, & adæquata radix physica, à qua desumitur principium indiuiduationis metaphysicũ in substantijs materialibus cõpletis; sed quia ex principijs remotis, & inadæquatis indiuiduationis physicæ forma est principium præcipuũ, & principalius; vt ex Scoto nu. 104. dicebamus.

117 Ad primam rationem concessã maiori negamus minorem: licet enim ex principijs physicis, ex quibus entitas physica substantiæ materialis indiuiduæ constituitur, forma sit præcipuum; tamen non ipsa sola est principium; nam ad hoc etiam concurrat materia; & sic principium physicum totale, & adæquatum indiuiduationis in his substantijs potius erit tertia entitas physica, quæ ex materia, & forma coalescit.

118 Ad secundam responderetur, formam non esse actum cõpletum, per quem distinguitur vna substantia indiuidua ab alia, sed actum incompletum; actus enim completus est ter-

tia entitas, quæ ex materia, & forma resultat, ac per consequens hæc tertia entitas erit principium indiuiduationis physicum, completum, & adæquatum.

SECTIO III.

Explicatur principium indiuiduationis in alijs rebus, quæ non sunt substantiæ materiales completæ.

119 **E**X dictis in sectionibus præcedentibus de principio indiuiduationis substantiarum materialium completarum, facillimum erit declarare principium indiuiduationis aliorum entium, scilicet, substantiarum materialium incompletarum, vt sunt materia, & forma, substantiarum spiritualium, vt sunt Angeli, & animæ; formarum accidentalium, vt sunt quantitas, qualitas, relationes, &c.

120 Dico primò. Principium indiuiduationis metaphysicũ in his omnibus est eorum hæcitas, id est, formalitas illa, per quam natura specifica cuiuslibet istorum contrahitur, & determinatur ad esse huius. Ratio sumitur ex dictis; nam (vt docet Scotus in 2. d. 3. q. 1. lit. E. & q. 7. lit. A.) quæcumque natura creata, siue substantialis, siue accidentalis, siue materialis, siue spiritualis, siue partialis, siue totalis, non est de se

hæc: (Aliàs non posset absque implicatione concipi, ut vniuersalis, quod est contra experientiam) ergo habet, quod sit hæc per aliquod superadditum ipsius quidditati, & essentia. Hoc autem superadditum nequit esse aliquid negatiuum; neque aliquid positium non spectans ad coordinationem prædicamentalem, in qua ponuntur naturæ indiuiduæ: (ut fusè probatum est in sectione prima) erit ergo vltima formalitas cuiuscumque naturæ indiuiduæ, quam hæc eicitatem appellamus; siquidem hæc est aliquid positium superadditum quidditatibus, & essentijs naturarum indiuiduarum, & spectans respectiue loquendo ad coordinationem prædicamentalem ipsarum.

121 Dico secundò. Hoc principium metaphysicum in his omnibus desumitur ab intrinseca entitate physica indiuiduali ipsorum, ac per consequens entitas indiuidua intrinseca, & physica istorum potest respectiue principium indiuiduationis appellari. Ratio est, quia, (ut supra dicebamus) cum vnum sit passio entis, ab eodem habet vnumquodque, quod sit intrinsecè vnum, à quo habet esse, quod sit intrinsecè ens.

122 Ex quibus infero primò, neque principium indiuiduationis metaphysicum huius

materia primæ posse desumi ab entitate physica huius formæ, à qua informatur, neque è contra principium indiuiduationis metaphysicum huius formæ ab entitate physica huius materia, quam informat; neque principium indiuiduationis metaphysicum alicuius accidentis ab entitate physica subiecti, in quo inhæret; quia neque forma spectat ad entitatem intrinsecam materia, neque materia ad entitatem intrinsecam formæ, neque subiectum ad entitatem intrinsecam accidentis, ut per se perspicuum est.

123 Imò addo, non solum materiam non indiuiduari à forma, sed neque à potentia subiectiua, quam dicit ad recipiendam formam; & similiter non solum formam non indiuiduari à materia, sed neque à potentia informatiua, quam dicit respectu materia: idem dico de accidenti, non solum non indiuiduari à subiecto, sed neque ab inhærentia aptitudinali, quam dicit respectu subiecti. Cuius ratio est, quia, cum istæ potentia, seu aptitudines non sint de essentia materia, formæ, & accidentis, sed potius propriæ illorum passionum, (ut ex dictis in hoc libro disp. 3. q. 3. & ex dictis in Logica capite de accidenti disp. vnica quæstione vltima constat) neque etiam spectabunt ad illorum intrinsecam

cam

entitatem, sed potius erit quid consequens ad illam cum proportione debita, scilicet, potentia, seu aptitudines istæ in communi ad entitates istorum in communi, & potentia, seu aptitudines istæ in particulari, ad entitates istorum in particulari.

124 Etsi quæras, quid sit dicendum de accidentibus relatiuis in ordine ad fundamentum, & terminum, ex quorum positione resultant? Respondetur, quod intrinsecè non indiuiduatur ab ipsis; nam etiam si ordo fundamenti ad terminum, in quo entitas intrinseca accidentium relatiuorum consistit, per se dependeat à fundamento, & termino; tamen neque fundamentum, neque terminus sunt partes intrinsecæ entitatis relationum, sed quædam illius extrinseca connotata. Quod si communiter relationes dicuntur non solum indiuiduari, sed etiam specificari à fundamentis, & terminis, hoc intelligendum est, non de principijs, tam indiuiduatiuis, quam specificatiuis intrinsecis (Hæc enim solum sunt ipsæ intrinsecæ entitates relationum) sed extrinsecis, & quoad nostram cognitionem; quæ, quia sæpè non potest attingere intrinsecam specificationem, vel indiuiduationem alicuius rei, illam venatur à aliquibus connotatis, quæ etsi sint extrinseca entitati rei; sunt tamen signa

manifestatiua specificationis, vel indiuiduationis intrinsecæ, quæ nos latet. Eodem modo explicandus est Arist. dñ dicit, accidentia specificari à subiecto.

125 Infero secundò, sub quavis Angelorum specie posse esse plura indiuidua (ut cum Scoto q. 7. citata, tenet iā vniuersa ferè Theologorum schola.) Et ratio est, quia (ut visum est) ad multitudinē indiuiduorum in eadem specie non est requisita materia physica, sed fat est, quod natura specifica ex natura sua sit communicabilis multis cum sui diuisione: quæcumque autem Angelorū natura, quantum est ex se, communicabilis est multis: (hoc enim, nec repugnare illi potest propter perfectionem; cum diuina natura infinitè perfectior sit, & tamen est multis personis communicabilis: neque propter imperfectionem; cum generabilia, & corruptibilia imperfectiora sint, & tamen sunt multis communicabilia) sed non est communicabilis multis in idēitate numerali: (quia hoc solum potest cōpetere naturæ infinitæ) ergo cum sui diuisione.

126 Infero vltimò, quantum est ex vi indiuiduationis posse optimè duo accidentia tantum numero differentia esse in eodem numero subiecto. Quod de facto contingere in relationibus, probauimus in Logica capite de ad aliquid disp.

disp. 3. q. 3. & de speciebus intentionalibus probat ipsa experientia. Quod si plures numero quantitates, aut plures numero qualitates ex his, quæ educuntur de potentia subiecti per motum, numquam reperiuntur in eodem numero subiecto, aliunde provenit, nimirum, loquendo de quantitatibus, quia quantitates natura sua sunt impenetrabiles in eodem loco; loquendo autem de qualitatibus, quæ educuntur de potentia subiecti per motum, quia (vt optimè vidit Scotus 5. Metaph. q. 7. §. *Ad quæstionem*) motus non est, nisi in mobili sit dispositio opposita formæ inducendæ, vt contraria, vel media; nam omnis motus est inter contraria, vel media ex 5. Physicorum: sed si agens inueniat in mobili formam eiusdem speciei cum forma sua, non inuenit ipsum sub dispositione opposita: ergo non mouet ipsum simpliciter inducens aliam formam, sed augebit præexistentem in mobili; & hoc, si forma illa præexistens sit imperfectior, quàm illa, quam agens posset inducere: si autem inueniat mobile sub forma æquæ perfecta formæ inducendæ ab agente non mouebit ipsum omnino.

(.9.)

QVÆSTIO II.

De existentia entis naturalis.

IN quæstione ista quatuor sunt examinanda. Primum, *quid nominibus essentia, & existentia intelligamus.* Secundum, *quo pacto essentia ab existentia distinguitur.* Tertium, *quibus rebus competat existentia?* Quartum, *An ex esse essentia, & existentia aliqua fiat compositio?*

SECTIO I.

Explicatur, quid nominibus essentia, & existentia intelligamus?

2 N Omine essentia intelligimus id, quod omnes Philosophi, & Theologi intellexerunt, scilicet, connexionem eorum prædicatorum, quæ ita per se primò necessaria sunt ad esse vniuscuiusque rei, vt sine ipsis, aut quolibet ipsorum, nõ solum non possit esse res, sed neque intelligi, seu cognosci; v.g. in homine connexionem horum prædicatorum *animal rationale* essentiam illius appellamus, quia prædicata ista, ita per se primò necessaria sunt ad esse hominis, vt sine ipsis, aut quolibet ipsorum non solum non possit esse homo, sed neque intelligi, neque cognosci.

3 Solum est aduertendum, *conne-*

connexionem istorum prædicatorum, in qua essentias rerum constituimus, posse tripliciter expectari. Primò vt est id, quod per se primò competit rei; & sic dicitur essentia. Secundò, vt est radix proprietatum essentialium, & sic dicitur natura, eo quòd proprietates essentialis ab ipsa, quasi nascuntur. Tertio, vt est id, per quod respondemus ad quæstionem factam per quid, & sic dicitur quidditas.

4 N nomine verò existentia intelligimus (si potentialis sit) formam illam, à qua essentia rerum habent formaliter esse in potentia obiectiua: & si sit actualis, formam illam, à qua essentia rerum habent formaliter esse actu, & extra causas.

5 Quod vt aliùs repetamus præsuppono, essentias rerum posse tripliciter considerari. Primò secundum se, quo pacto abstrahunt ab existentia, tã actuali, quàm potentiali, & vt sic solum dicuntur esse in potentia Logica, id est, in statu, in quo eis non repugnat connectio illorum prædicatorum, in qua illarum essentias constituimus.

6 Secundò considerari possunt, vt sunt obiecta diuinæ omnipotentia, quæ eo ipso, quòd non repugnant, potens est, illas in rerum natura producere, & ex esse virtuali, quòd habent in ipsa omnipotentia, extrahere ad esse actuale, quòd

habent, quando in se ipsis actu existunt: & vt sic dicuntur esse in potentia obiectiua: forma autem à qua dicuntur esse in hac potentia obiectiua, est existentia potentialis. Quam existentiam potentialem non existimetis consistere formaliter in denominatione extrinseca à coexistentia omnipotentia in ipsis essentijs rerum derivata; nam est quidam modus essendi ipsarum, prout sunt obiecta omnipotentia consideratarum; & formaliter consistit in relatione quadam transcendentali potentialitatis ad existendum, quam dicunt omnium rerum essentia, vt obijciuntur omnipotentia, ad ipsam omnipotentiam; non secus, ac de relatione dependentia, quam dicit omnis creatura ad Deum, philosophati sumus in Logica capite *de ad aliquid* disp. 2. q. 3. num. 23.

7 Tertio considerari possunt, vt habent esse actu, & extra causas suas, & vt sic dicuntur actualiter existere; & forma, à qua formaliter dicuntur habere hoc esse actuale, & extra causas suas, dicitur existentia actualis. Quam actualem existentiam non existimetis esse aliquod prædicatum essentialis rei, quæ actualiter existit. Aliàs, si existentia actualis esset de essentia rei actualiter existentis, existentia actualis diceretur æterna, & ingenerabilis, & incorruptibilis; non secus, ac dicuntur

cuntur essentia rerum, quæ actualiter existunt: quo nihil absurdius potest excogitari. Et confirmatur per Arist. qui 2. Post. distinguit quæstionem, an sit? à quæstione, quid sit? quod ineptè faceret, si existimasset, existentiæ esse aliquod prædicatum quidditativum, & essentiale rei, quæ actualiter existit.

8 Nec similiter existimetis, existentiam actualem esse accidens prædicamentale per se spectans ad aliquod speciale prædicamentum accidentis, (vt existimavit Auicena 5. suæ metaphysicæ; imò & aliqui Thomistæ, qui distinguentes realiter existentiam ab existentia, existentiam collocarunt in prædicamento *quando, vel quætitatis.*) Tum, quia existentia non minùs latè patet, quàm ens. Sed ens non est accidens prædicamentale, sed quid transcendens, tam ad omnia prædicamenta accidentium, quàm ad prædicamentum substantiæ: ergo & existentia. Tum etiam, quia aliàs ex essentia spectante ad prædicamentum substantiæ, & ex eius existentia nõ resultaret vnum per se; (sicut nec resultat ex substantia, & accidenti) & consequenter generatio, quæ per se terminatur ad substantiam existentem, nõ esset neque per se vna mutatio, neque substantialis appellanda; quod est absurdum.

9 Nec demum existimetis,

esse aliquem actum informantem essentiam; quia actus informans supponit, subiectum, quod informat, habere esse actu: essentia autem non supponitur ad existentiam actualem, vt habens esse actu; sed vt habens esse in potentia obiectiua, & consequenter, vt actu purum nihil.

10 Est igitur existentia actualis (vt docent noster Lichetus in 2. d. 3. q. 3. Smising tract. 1. disp. 2. q. 1. num. 43. & communiter Scotistæ), modus essendi essentia (non secus, ac numero 6. dicebamus de existentia potenciali) per se non spectans ad aliquod speciale prædicamentum, sed transcendens per omnia; reducitur verò ad prædicamentum, ad quod spectat essentia, cuius est existentia. Quæ meritò dicitur actus, non partialis, sed totalis essentia, eo quòd tota essentia, quæ priùs solùm erat in potentia obiectiua, & consequenter actu purum nihil, per ipsam trahitur, seu determinatur ad esse actu aliquid. Et quamuis communiter dicatur actus ultimus (vt videri est apud Scotum in 2. d. 3. q. 3.) intelligendum est respectu graduum essentialium cuiuscumque rei: sic enim ultimus actus est, cum adueniat essentia iam completa in sua ratione essentiali; imò & in sua ratione individuali. Cæterum respectu eorum, quæ consequuntur essentiam

tiam in individuo, siue illa sint proprietates, siue operationes, siue alia accidentia, potiùs habet rationem primi actus, quàm ultimi.

11 Ex his facilè solui possunt tres difficultates, quæ hic ab aliquibus solent exagitari. Prima, an sola essentia dicatur esse possibilis, an etiam hoc conueniat existentia? & sermo non est de possibilitate Logica, quæ in non repugnantia connexionis prædicatorum essentialium consistit: hanc enim possibilitatem patet ex numero 5. solis essentijs rerum secundùm se consideratis, & prout abstrahunt ab existentia tam actuali, quàm potenciali, conuenire: sed de possibilitate, quàm aliqui physicam appellant, & consistit in esse obiectum diuinæ omnipotentia, & propriè dicitur possibilitas obiectiua.

12 Respondetur enim, tam essentiam, quàm existentiam posse physicè possibilis denominari, seu esse in potentia obiectiua; sed cum hoc discrimine, quòd essentia dicitur possibilis vt *quo*; nam est id, quod est physicè possibile, seu, quod est in potentia obiectiua; existentia vero solùm potest dici possibilis vt *quo*; nam non est id, quod est physicè possibile, seu quod est in potentia obiectiua, sed forma, à qua essentia habet, quòd sit formaliter physicè possibilis, seu in po-

tentia obiectiua. Quod confirmari, & declarari potest ab opposito, instantia, scilicet, esse actualis, quod dicitur tam de essentia, quàm de existentia, sed diuersimodè, nã de essentia dicitur vt *quod*; essentia enim est, quæ habet esse actu: de existentia verò solùm dicitur, vt *quo*; nam existentia actualis nõ tam est id, quod est actu, quàm ipsa actualitas, seu forma, à qua essentia habet formaliter, quòd sit actu.

13 Secunda difficultas est: cur essentia rerum dicantur ingenerabiles, & incorruptibiles? Dicuntur enim, quia non repugnantia connexionis prædicatorum essentialium, in qua essentias rerum constituimus, (quæ communiter possibilitas Logica appellatur) cõpetit ipsis rebus, quarum sunt essentia, ex sua intrinseca ratione, & consequenter independenter à quacumque causa extrinseca, etiamsi inter causas extrinsecas non solùm diuinam voluntatem, sed etiam diuinum intellectum enumeres.

14 Ita subtilis Doctor in 1. d. 36. quæst. vnica liter. M. cuius verba transcribo non solùm, quia rem hanc apprime explicant; sed etiam vt appareat, quam immeritò Vazq. 1. part. disp. 104. capit. 3. Scoto attribuit oppositum, scilicet, hanc non repugnantia connexionis prædicatorum

essentialium, in qua essentias rerum constituimus, & dicitur possibilitas Logica, non competere rebus, quarum est essentia ex ratione sua intrinseca, sed ab operatione, seu cognitione diuini intellectus. Verba Scoti sunt. *Quare homini non repugnat esse, & chimera repugnat? Ratio est, quia hoc est hoc, & illud est illud; & hoc in quocumque intellectu concipiente; quia quidquid repugnat alicui formaliter, ex se repugnat ei, & quod non repugnat formaliter, ex se non repugnat. Neque est hoc fingendum, quod homini non repugnat, quia est ens in potentia, & chimera repugnat, quia non est ens in potentia; imo magis est conuerso, quia homini non repugnat, ideo possibile est potentia Logica; & quia chimera repugnat, ideo est impossibile impossibilitate opposita: & istam possibilitatem consequitur possibilitas obiectiua; & hoc supposita omnipotentia Dei, quæ respicit omne possibile, dummodo sit aliud ab illo. Tamen ista possibilitas Logica posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret. Prima igitur omnino ratio, & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnat esse, est, quia homo formaliter est homo; & hoc siue in re realiter, siue in intellectu conceptibiliter: & prima ratio, quare chimera repugnat esse, est chimera, in quantum chimera. Hæc subtilis Doctor.*

15 Nec conturbare debuit Vazq. id, quod Scotus dixit in l. d. 43. q. vnica lit. D. scilicet, ens habere, quod sit primo possibile

ab intellectu diuino; nam his verbis solum intendit Scotus assignare primum principium productiuum entis, quod ex natura sua formali habet, quod sit logicè possibile, in aliquali esse; & dicit, hoc primum principium non esse diuinam omnipotentiam. Quod inde probat, quia intellectus diuinus intelligens ea, quæ ex ratione sua formali sunt logicè possibilis, per talem intellectionem primo producit illa in esse intelligibilem, seu intellectorem; quod est quoddam esse intentionale, & diminutum; & tamen intellectus diuinus (inquit Scotus) non est formaliter potentia actiua, à qua Deus dicitur formaliter omnipotens.

16 Tertia difficultas est, an rerum essentia, prout abstrahunt ab actuali existentia, sint entia realia? Respondetur cum Scoto in l. d. 36. q. vnica, §. Ad primum principale affirmatiue; nam connexio prædicatorum essentialium, in qua essentias rerum constituimus, non competit rebus, quarum sunt essentia, per operationem intellectus, ut competit chimeris, & in vniuersum omni negationi, quoties illas ut entia positua imaginamur; sed potius ex ratione sua formali, & independenter ab omni causa extrinseca, etiamsi inter causas extrinsecas enumeres diuinum intellectum, ut nuper ex Scoto statuimus.

17 Verum, quia ens reale duplex est teste Arist. 6. Metaph. text. 4. & 9. Metaph. text. 1. actuale vnum, alterum potentiale, affirmandum est, essentias rerum, ut abstrahunt ab actuali existentia, non esse entia realia actualia nuncupandas; quia hoc illis solum competit per existentiam actualē, tamquam per formam; sed appellandas esse entia realia potentialia, seu possibilis; vel possibilitate Logica; (si tantum, ut eis non repugnat prædicta connexio prædicatorum essentialium, expectetur) vel etiam possibilitate physica, seu obiectiua. (si in quantum obijciuntur diuinæ omnipotentia, accipiantur) Et hoc est, quod alij auctores contendunt, dum dicunt, essentias rerum, prout abstrahunt ab actuali existentia, non esse simpliciter entia realia. (Hoc enim solum competit enti reali actuali) sed esse entia realia secundum quid, & cum addito diminvente, scilicet, entia realia in potentia, seu possibilis.

18 Quare non placet, essentias rerum, ut abstrahunt ab actuali existentia, absolute non ens, & purum nihil appellare (ut videtur appellare Suarez in Metaph. disp. 31. sect. 2.) Licet enim cum addito actu essentia rerum, ut abstrahunt ab actuali existentia, non ens, & purum nihil appellari debeat; quia reuera actu nihil sunt; &

hoc modo loquendi sæpè nos vtamur, & vsus fuerit Arist. 9. Metaph. cap. 3. Tamen absolute, & sine prædicto addito non debent non ens, & purum nihil appellari; (Hoc enim solum est proprium chimera, & aliarum negationum) siquid est essentia rerum, ut abstrahunt ab actuali existentia, reuera entia realia sunt, licet non actualia, & simpliciter, saltem potentialia, & secundum quid.

SECTIO II.

Explicatur, quo pacto existentia distinguatur ab essentia.

19 Sermo est de existentia, & essentia proportionaliter sumptis, hoc est de existentia actuali facta comparatione cum essentia actuali; & de existentia potentiali facta comparatione cum essentia potentiali, & habente esse in potentia obiectiua: nam si comparatio fiat inter existentiam actualem, & essentiam potentialem, & habentem tantum esse in potentia obiectiua (qua ratione dictum est, essentiam actu nihil esse) ad minus dicendum est, essentiam, atque existentiam non esse idem realiter. Tum, quia implicatione involvit, quod id, quod actu nihil est, identificetur cum eo, quod est forma essendi actu aliquid. Tum etiam, quia, quæ sunt idem realiter, nequeunt ad-

adinuicem separari; essentia verò potentialis, non solum potest separari ab actuali existentia, sed etiam per vnam æternitatem de facto fuit separata, siquidem essentia cuiusvis rei habuit esse in potentia obiectiua diuinæ omnipotentia ab æterno, & cuiusvis rei existentia actualis in tempore incæpit esse.

20 Loquendo, ergo de essentia, & existentia proportionaliter sumptis, vt certum præsuppono contra Bañez 1. part. q. 3. art. 4. dub. 2. atque aliquos alios Thomistas, neque existentiam actualē ab essentia actuali, neque existentiam potentialem ab essentia potentiali posse distinguī, vt res à re, sed ad summum, vt modus à re, cuius est modus: hoc enim constat ex dictis sectione præcedenti; vbi statuimus, existentiam actualem non esse rem, sed quemdam modum essendi, à quo essentia rerum habet formaliter, quòd sint actu; existentiam verò potentialem esse quemdam modum essendi, à quo essentia rerum habent formaliter, quòd sint in potentia physica, seu obiectiua. Et modo confirmari potest; nam, cum existentia actualis (v. gr. hominis) quid absolutum sit, si aliàs esset res ab homine distincta, nulla repugnantia posset cogitari, ob quam esse non posset sine illo: atqui repugnat, quòd existentia hominis sit in rerum

natura sine homine: ergo signum euidens est, quòd non sit res ab homine distincta.

21 Verum enimvero, quia modi sunt in duplici differentia; nam quidem sunt physici, & extrinseci rei, cuius sunt modi, vt sunt sessio, statio, vbi quatio, &c. qui eo ipso, nō sunt idē realiter cum re, cuius sunt modi, sed potius ab ea realiter distinguuntur, licet non vt res à re, saltem vt modus à re, cuius sunt modi. Alij verò metaphysici, & intrinseci, vt finitum, infinitum, necessarium, contingens, &c. qui eo ipso idētificantur cum re, cuius sunt modi, immo non sunt formalitates distinctæ à formalitate rei, cuius sunt modi, sed gradus metaphysici intrinseci prædictæ formalitatis, vt cum Scoto in 1. d. 3. q. 1. §. Quarto dicit, & d. 8. q. 2. §. Ad primam principale, docent omnes eius interpretes; imo per hoc distinguunt modos intrinsecos à differentijs, nam iste, etsi sint actus metaphysici idem realiter, cum natura generica, quam contrahunt, sunt tamen diuersæ formalitates à formalitate naturæ genericæ, vt vidimus in Logica capite de æquiuocis, &c. disp. 2. q. 3. n. 36. Hinc orta est controuersia inter Authores, an scilicet, existentia actualis (Et idem est iudicium de existentia potentiali, facta cōparatione ad essentiam potentialem) sit modus physicus, & extrinsecus respectu

actu essentia actualis, & consequenter ab ea realiter distinguatur, saltem vt modus à re, cuius est modus? An verò sit modus metaphysicus intrinsecus, & consequenter idem realiter cum illa? Imò non dicens distinctam formalitatem ab ea, quam dicit essentia actualis, sed solum gradum metaphysicum intrinsecum prædictæ formalitatis?

22 Rigidi Thomistæ constanter asserunt, existentiam actualem esse modum physicum extrinsecum essentia actualis, & consequenter ab ea realiter distinguī, saltem vt modus à re, cuius est modus: existimant enim, essentiam cuiusvis rei antecedenter ad existentiam habere actualitatem, quam ipsi actualitatem essentia vocant, ratione cuius essentia habet, quòd sit subiectum potens recipere existentiam, quæ est quædam actualitas, licet essentia actuali extrinseca, & consequenter ab ea realiter distincta, ipsam tamen essentiam vltimatē actiuans, & vltimatē constituens extra causas, seu (vt aliqui locuntur) in statu existentia; nam ante receptionem existentia essentia actualis solum erat (inquiunt) in tendentia, & in statu, quem Patres Carmelitani disput. 3. de materia prima quæst. 5. appellant statum egressionis; & est status, (vt ipsi numer. 65. explicant) quem habet

vniuscuiusque rei essentia, quando egreditur à sua causa efficienti, quasi medius inter statum puræ possibilitatis, & statum existentia actualis, quæ est vltimus terminus talis egressionis.

23 Ita philosophatur Capreolus in 1. d. 8. quæst. 1. artic. 1. Egidius d. 2. quæst. 4. art. 1. Caietanus de ente, & essentia q. 11. Ferrara 2. contra gentes cap. 52. Soncinas 4. Metaph. q. 12. Sorus 1. Physicorum q. 2. & in 4. dist. 10. q. 2. Masius libro 1. de transcendētia, & plures alij, qui dicunt esse sententiam D. Thom. 1. part. q. 3. artic. 4. & in 1. sentent. dist. 8. & de ente, & essentia capit. 5. & 2. contra gentes cap. 52. quamuis mitiores Thomistæ hoc nolint admittere; nam in prædictis locis solum docet D. Thom. compositionem ex essentia, & existentia esse propriam omnium creaturarum, etiam spiritualium: quam locutionem dicunt, non esse intelligendam de compositione reali, ad quam necessarium est, quòd essentia supponatur habere esse actuale ante aduentum existentia; & consequenter existentiam esse modum extrinsecum essentia actualis ab ea realiter distinctam: sed de compositione rationis, qualis est, quæ reperitur inter essentiam (quæ, quantum est ex se, est indifferens ad

existendum, & non existendū) & ipsam actualem existētiā: quæ compositio, est si ab intellectu fiat, tamen fundamentum eius (scilicet, essentiam, quantum est ex se, esse indifferentem ad existendum, & non existendum) ita est de intrinsecā ratione cuiusvis entis creati, ut Deo prorsus repugnet, qui est intrinsecē ens actū: & propter hanc repugnantiam dicunt, asserere Angelicum Doctorem esse propriam cuiusvis entis creati cōpositionem istam.

24. Probari solet hæc sententia. Primo, quia omne participans differt realiter à participato. (Nihil enim participat se ipsum.) Sed essentia creata participat suum esse: (Est enim ens per participationem) ergo essentia creata, & esse, seu existentia ipsius sunt realiter distincta.

25. Secundo: esse creaturæ est esse receptum in aliquo: ergo in essentia: non enim potest excogitari aliud, in quo recipiatur: ergo esse, seu existentia creaturæ distinguitur realiter ab essentia: non enim potest idem recipi in se ipso. Antecedens probat Caietanus, quia, si esse, seu existentia creaturæ non reciperetur in aliquo, non haberet, unde limitaretur, & cōsequenter esset, quid illimitatum, & infinitum. Et confirmat exemplo, albedinis, quæ,

si ponatur non recepta in aliquo, erit pura albedo, & consequenter infinita, & illimitata in ratione albedinis, ut de se (inquit) clarum est.

26. Tertiò, quia proprium est Dei, quod sit suum esse, iuxta illud Exodi *ego sum, qui sum*; & rursus, *qui est, misit me ad vos*: ergo id non debet attribui creaturis: quod tamen attribuitur, si existentiam ab essentia ipsarum realiter non distinguamus.

27. Quartò: id, quod est per se in potentia ad aliquid, & quantum est ex se, indifferens ad ipsum, vel oppositum eius, distinguitur realiter ab illo. Sed essentia creata est per se in potentia respectu suæ existentia, & ex se est indifferens ad existendum, & non existendum; si enim ex se determinaret existentiam, non posset non existere; & si determinaret non existentiam, esset impossibile, quod existeret: ergo essentia creata, & existentia eius realiter distinguuntur.

28. Quintò: id, quod conuenit alicui independenter à causa efficiente, distinguitur realiter ab eo, quod eidem conuenit dependenter à causa efficiente. Sed, connexio prædicatorum, essentialium, in qua essentias rerum constituitur, competit cuicumque rei independenter à causa efficiente; imò independenter

ter à quacumque causa extrinseca; (ut sectione 1. statuimus) existentia verò actualis non nisi dependenter à causa efficiente: ergo essentia, & existentia realiter distinguuntur. Et confirmatur; quia essentia est necessaria, existentia verò contingens; essentia abstrahit à loco, & tempore, existentia verò connotat locum, & tempus; & alia huiusmodi contradictoria de essentia, & existentia enuntiantur: ergo signum est distinctionis, aut non identitatis realis inter illa.

29. Sextò, & vltimò, quia, quando in rerum natura potest vnum manere sine altero, signum euidentis est distinctionis realis inter illa. Sed essentia actualis potest manere in rerum natura sine propria existentia actuali: ergo, &c. Minorem probant Thomistæ ex duplici fidei mysterio. Primum est Eucharistiæ; vbi dicunt, accidentia panis, & vini existere noua, & supernaturali existentia extra subiectum destructa priori, & naturali, qua existebant in subiecto. Secundum est Incarnationis diuini Verbi, vbi dicunt, humanitatem Christi Domini existere in Verbo, non propria, & connaturali existentia, sed ipsamet diuini Verbi existentia.

30. Sed his non obstantibus verissima est opposita sententia, quæ docet, existentiam

actualem (Et idem est iudiciū de existentia potenciali facta comparatione cum essentia potenciali, & prout est in potentia obiectiua) non esse modum physicum, & extrinsecū, sed potius metaphysicum, & intrinsecum essentia actualis, & consequenter non solum non esse distinctam realiter ab illa, sed nec dicere diuersam formalitatem à formalitate essentia, sed gradum intrinsecum prædictæ formalitatis (ut commune est omnibus modis intrinsecis.)

31. Hæc est sententia Scoti multis in locis, præsertim in 1. d. 3. q. v. unica, & in 2. d. 1. q. 2. & dist. 16. quæst. unica, §. *Rationes istæ*, vbi respondendo ad quoddam argumentum dicit, falsum esse, quod eodem modo se habeat operari ad potentiam, ac se habet esse ad essentiam; quia (inquit) *esse est idem realiter cum essentia non progrediens ab essentia; actus autem, vel operari est progrediens à potentia, nec est idem sibi realiter.* Et in 3. d. 6. quæst. 1. vbi ex eo probat, in Christo Domino esse duplex esse existentia, quia in ipso sunt duæ naturæ, seu essentia, & esse existentia non est re distinctum ab esse essentia. Et in 4. d. 13. q. 1. artic. 3. vers. *Ad argumenta*, vbi sic loquitur, *Dico, quod esse sit aliud ab essentia.* Et d. 11. quæst. 3. §. *Ad rationes* dicit, se non posse intel-

ligere hanc fictionem, quod esse sit, quid superueniens essentia, non compositum, si essentia est composita; nempe, quia sunt eadem res. Et ex his patet, quam merito Postnanus in 1. dist. 36. articulo. 3. conclus. 3. & Smising tract. 1. disput. 2. quaest. 1. num. 42. Suarium reprehendant, eo quod in metaphysica disp. 31. sect. 1. numer. 11. & sect. 6. numer. 9. ita intellexerit, & impugnauerit sententiam Scoti, quasi velit existentiam esse modum extrinsecum essentiae ab ea realiter distinctum, non secus, ac ubi est modus locati, & vno est modus vnit.

32 Sententiam istam Scoti secuti sunt omnes discipuli, Lichetus in 2. d. 3. quaest. 1. §. Ad questionem 5. & §. Sed si queratur, Tartaretus ibidem, versic. Modo de esse existentiae, Anronius Andreas 4. Metaph. quaest. 3. Faber theoremate 32 cap. 3. §. Ex his apparet, Postnanus, & Smising locis supra citatis. Et ex alijs noster Alexander Alēsis 7. Metaph. ad text. 22. noster Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 8. quaest. 1. & ibidem Durandus in 1. part. distinctionis quaest. 2. Gabriel, & ceteri Nominales in 3. dist. 6. q. 2. Quibus subscribunt recentiores, Suarez in Metaph. disp. 31. Vazq. tom. 1. in 3. p. disp. 72. Pererius libro 6. Physicorum cap. 15. Hurtado disp. 8. Metaphysica sect. 4. Cabe-

rus in praeludio Philosophiae dubio 3. & ferè omnes alij.

33 Et in primis existentiam actualem non esse modum physicum, & extrinsecum essentiae actualis, sed potius metaphysicum, & intrinsecum, inde ostenditur, quod alias supponeret essentiam in esse actuali; nam si non supponit in esse actuali, sed potius constituit, profectò non modus extrinsecus essentiae actualis, sed intrinsecus, & constitutiuus eius in esse actualis erit. Ponere autem, essentiam ante aduentum actualis existentiae habere esse actuale essentiae (vt aduersarij contendunt) est ponere effectum formalem sine forma: (quod implicatorium est) siquidem forma, aut quasi forma, à qua essentia habet esse actu opposito potentiae obiectivae, est sola existentia actualis, aut assignent nobis aduersarij aliam formam, aut quasi formam huius effectus.

34 Quod amplius vrgeri potest inquirendo ab aduersarijs, an illud esse actuale, quod concedunt essentijs rerum ante aduentum existentiae, & ratione cuius dicunt, essentiam esse in potentia subiectiua, seu receptiua existentiae, sit productum ab aliqua causa efficiendi? an verò sit necessarium, & improductum?

35 Si dicant hoc vltimum, incidunt in sententiam Henrichi ponentis, essentias

rerum habere esse actuale aeternum, & improductum conueniens creaturis independenter à Deo. Quae sententia apud Suarez in metaph. disp. 31. sect. 2. num. 1. & apud Vazquez 1. p. disput. 70. cap. 1. malè audit; dicunt enim, non esse tutam in fide; nam Vbaldensis libro 1. doctrinalis fidei capit. 8. inter errores Vbicleffi damnatos in Concilio Constantiensi enumerat, asseruisse, creaturas habere ab aeterno aliquod esse reale actuale distinctum ab esse Dei.

36 Et quidquid sit de hac censura sententia Henrichi non solum vt falsam reijcit Scotus in 1. dist. 36. quaest. vnica, sed etiam illam impugnant ipsi Thomistae, vt patet in Soncinate 9. metaphysic. quaest. 4. Herbæo quolib. 11. q. 1. & recentioribus expositoribus Angelici Doctoris 1. p. q. 10. art. 3. & q. 46. art. 1. Et merito, nam (vt obijcit Scotus) è medio tollit possibilitatem tã creationis, quam annihilationis, quod est satis absurdum. Sequela patet, quia cum creari sit fieri ex nihilo sui supposito, & annihilari in nihilum redigi, si ad productionem cuiuscumque creaturae necessariò essentia illius in esse actuali praesupponitur, & in desitione cuiuscumque rei necessariò essentia illius in esse actuali manet, nec alicuius rei productio, creatio; nec alicuius rei

desitio, annihilatio poterit appellari.

37 Si verò afferunt primùm, scilicet, esse actuale essentiae ab aliqua causa efficiendi esse productum, cum (ipsis etiam consentientibus) productio causae efficientis non nisi ad rem actualiter existentem, seu habentem esse extra causam terminetur, involunt implicationem, dū admittere conantur aliquod esse actuale à causa efficiente productum antecederet ad actualem existentiam.

38 Quare chimericum, atque frustraneum iudico statum illum egressionis, quem Patres Carmelitani essentiae actuali attribuunt, medium inter statum possibilitatis, & statum existentiae actualis. Chimericum iudico, quia egressio essentiae à possibilitatis statu in statum actualis existentiae (vt ipsum nomen praesert) non est status essentiae, sed via, & tendentia, qua media essentia transit ab vno statu (scilicet, possibilitatis) ad statum alium. (Scilicet actualis existentiae) iudico frustraneum, quia vel hi Patres existimant cum Henricho, hoc esse actuale essentiae esse aeternum, & improductum; & sic non erit consequens ad statum possibilitatis, qui etiam aeternus, & improductus est, sed potius concommitans. Vel existimant cum veriori sententia esse temporale, & conueniens essentiae

media productione alicuius causæ efficientis; & sic non poterit antecedere ad statum actualis existentia, cum productio causæ efficientis non possit, nisi ad essentiam actualiter existentem, seu habentem esse extra causam terminari.

39 Potest præterea probari, essentiam antecederet ad existentiam non habere esse actuale, & consequenter existentiam actualem, non esse modum extrinsecum, & physicum illius, sed potius intrinsecum, & metaphysicum ipsam intrinsecè, & metaphysicè in esse actualis essentia constituentem, ex superfluitate, quæ aliàs esset existentia; nam ad quid, quæso, necessaria erit existentia, si antecederet ad ipsam essentiam haberet esse actuale? Non enim erit necessaria, ut essentia sit actu, & formaliter extra causas; hoc enim haberet formaliter per esse essentialiter actuale, quod antecederet ad existentiam ei attribuunt aduersarij; nam esse essentiam extra causas suas, quid aliud est formaliter, quam habere in se esse actuale extractum ab esse virtuali, quod habet in causis? Neque etiam erit necessaria, ut essentia actualis sit per se; (ut contingit in substantijs completis) vel in alio; (ut contingit in formis accidentalibus) nam isti effectus formales essendi per se, & essendi in alio, non sunt effectus for-

males existentia, sed substantia, & inherentiæ.

40 Respondent Patres Carmelitani, requiri existentiam, ut essentia, quæ antedecet ad existentiam solum erat in egressione à statu possibilitatis, sistat in termino talis egressus, & consequenter sit ultimata actuata, & ultimata extra causas. Sed quis non videat, responsionem istam ipsorum met positionem euertere? Si enim essentia antecederet ad existentiam solum est in egressione à statu possibilitatis: ergo essentia antecederet ad existentiam nondum peruenit ad esse actuale (ut ipsi contendunt) sed solum est in via, & tendentia ad illud; ac per consequens, quando accedit existentia, non supponit illam in aliquo esse actuali, adhuc essentia; sed potius illam in esse actuali, & extra causas intrinsecè, & formaliter constituet. Est ergo existentia actualis non modus physicus, & extrinsecus essentia actualis, sed metaphysicus, & intrinsecus ipsam essentiam in esse actualis, & extra causas constituens.

41 Ex his probata relinquatur secunda pars nostræ sententia, scilicet, existentiam actualem (Et idem est iudicium de existentia potenciali ad essentiam potentialem comparata) non esse realiter distinctam, adhuc ut modus à re, cuius est modus, ab essentia actua-

actuali; siquidem solum possunt admittere prædictam distinctionem realem, qui dicunt, existentiam actualem esse modum physicum, & extrinsecum essentia actualis: nam, qui dicunt, esse modum metaphysicum, & intrinsecum, non solum tenentur fateri esse idem realiter, sed etiam non dicere formalitatem distinctam à formalitate essentia, sed solum gradum metaphysicum, & intrinsecum illius; aliàs existentia addita essentia variaret essentiam illius constituendo, simul cum illa aliam distinctam essentiam: (sicut facit differentia addita naturæ genericæ) quod manifestè est falsum; nam homo existens non est distinctus in essentia ab homine, prout abstrahit ab existentia considerato. Sed libet directè ipsam amplius demonstrare. Et quamuis plures rationes soleant adduci, ego tamen duplici tantum utar, altera à priori, à posteriori altera.

42 Ratio à posteriori est; quia impossibile est, (adhuc in ordine ad potentiam Dei absolutam) essentiam in esse actuali conseruari, sine actuali existentia; nam, cum esse actualis essentia sit effectus formalis existentia, si essentia conseruaretur in esse actuali, sine existentia, essentia simul esset existens, & non existens: quod est manifesta implicatio. Ridiculum enim est (in-

quit Suarez) & planè inintel- ligibile, quod quidam dicunt, essentiam scilicet, conseruatam in rerum natura sine existentia esse quidem actu ens, & extra nihil, non tamen esse formaliter in genere existentium: ergo hæc inseparabilitas, quæ ei ex intrinseca ratione cõpetit, signum euidens est identitatis realis essentia actualis cum actuali existentia. Probo consequentiã, quia ex triplici tantum capite potest provenire, quod vnum non possit (quãtum est ex intrinseca natura sua) adhuc potentia Dei absoluta conseruari sine alio, ut colligitur ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. §. *Ad quæstionem* lit. M. & d. 12. q. 2. §. *Respondeo* liter. A. vel quia sunt simul natura; (ut contingit in correlatiuis) vel quia vnum est posterius natura alio, ab ipso; essentialiter depēdens; (ut contingit in creatura respectu Dei) vel quia sunt idem realiter: (ut contingit in diuina essentia respectu tuorum attributorum) ergo, cum essentia actualis, & eius existentia non sint simul natura; (non enim sunt correlatiua) neque etiam essentia sit posterior natura, quam existentia, ab eaque essentialiter depēdēs (imò potius in sententia contrariorum, qui ponunt distinctionem realem, contingit è contra) solum restat, quod hæc inseparabilitas, quæ ei ex intrinseca ratione cõpetit, proveniat ex tertio capite, scilicet, ex idētitate reali.

43 Ratio verò à priori est, quia quidquid est realiter, & actu, se ipso est realiter, & actu; nam, si hoc haberet ab aliquo realiter distincto, se ipso esset realiter, & actu nihil. Sed essentia realis actualis habet, quòd sit actu quid reale ab existentia actuali: ergo existentia actualis est ipsamet essentia realis actualis, & non quid ab ea realiter distinctum. Et confirmatur, nam ad salvandū, existentiam actualem esse realiter distinctam ab essentia actuali coguntur aduersarij fateri, essentiam seclusa existentia habere entitatem realem actualem. Sed supra probatum est, essentiam antecedenter ad existentiam, & consequenter seclusa existentia, non habere entitatem realem actualem: ergo necessariò fatendum est, existentiam non distingui realiter ab essentia actuali. Eadem argumenta cum debita proportione applicari possunt ad probandum, existentiam potentialem non distingui realiter ab essentia potentiāli; seu habeat esse in potentia obiectiua.

44. Restat argumentis Thomistarum satisfacere. Ad primū concessa maiori negamus minore, scilicet, essentia creatam participare suū esse in sensu, qui intenditur ab aduersarijs, scilicet, ita, vt essentia creata sit participans, & ipsius esset participatum; solum enim

dicitur creatura ens per participationem, quia tam essentia actualem, quam esse, quod habet, (quæ in nostra sententia sunt idem realiter) participat à sua causa efficiēti, scilicet, à Deo. Vndè tā essentia actualis, quam esse cuiuscumque creaturæ est participans, & sola causa efficiēs (scilicet Deus) est participata. Ex quo solum infertur distinctio realis inter Deum, & creaturam; non verò inter esse, & essentiam actualem creaturæ.

45 Ad secundum negamus, ad intrinsecam rationem esse creaturarum spectare, quòd recipiatur in aliquo; quod (velint, nolint) tenentur fateri aduersarij, cum ipsi in creaturis admittant quoddam esse actuale essentia antecedenter ad existentiam, quod tamen non est receptum in aliquo. Solum enim est de intrinseca ratione esse creaturarum esse receptum ab aliquo; (scilicet à Deo) & per hoc distinguitur ab esse Dei, quod est irreceptum, atque omninò independentens ab alio. Neque ex eo, quod esse creaturarum non recipiatur in aliquo, sequitur, (vt confingit Caietanus) non habere vnde limitetur, & consequenter esse infinitum; nam, præterquam, quòd omne esse creatum ex sua intrinseca ratione est limitatum, & finitum, limitatur, & determinatur ab ipso Deo, à quo liberè

de-

dependet in suo fieri, & conseruari. Vndè fallitur Caietanus, dum dicit, quòd, si produceretur albedo non recepta in aliquo subiecto, esset infinita, & illimitata: esset enim finita, & limitata, tum ex ratione sua intrinseca; tum ex voluntate Dei, à qua inferri, & conseruari dependet. Et hoc potius ita clarum est, vt oppositum non possit ab aliquo sano intellectu imaginari.

46 Ad tertium respondetur, dupliciter posse dici, aliquid esse *suum esse*; vel quia non distinguitur realiter ab illo; vel quia habet illud omninò necessariò, & omninò independentem ab alio. In priori sensu, aliquid esse *suum esse*, non est proprium Dei, sed commune omnibus creaturis. Quid enim euidentius, quam per idē titatem quodlibet esse *suum esse*, siue ipsummet? In posteriori verò sensu esse *suum esse* est proprium Dei, qui per hoc distinguitur ab omnibus creaturis, quæ suum esse non habent necessariò, & independentem ab alio, sed potius contingēt, & dependenter à libera Dei voluntate. Et quòd illa verba Exodi, *Ego sum, qui sum*; atque illa, *Qui est, misit me ad vos*, intelligenda sint in posteriori sensu, docet Glossa Interlinealis, & Lyra, D. Hieronymus in epistola ad Marcelam, Ambrosius epistol. 39. & alij expositores.

47 Ad quartum respondetur,

probare quidem, essentiam secundum se consideratam (quæ ratione solum habet esse in potentia) non identificari realiter cum existentia actuali; non verò id probare de essentia actuali, & prout habet esse actum extra causas: licet enim essentia creata secundum se considerata sit in potentia respectu sue existentia actualis, & indifferentes ad existendum, & non existendum, sed non essentia creata actualis: hæc enim eo ipso, quòd est actualis, non est in potentia ad existendum, sed potius actu existit; nec potest ei competere non existere, nisi definendo esse actualē. Assertio verò nostra de identitate reali existentia cum essentia non est (vt in principio annotaui) de existentia actuali, facta comparatione ad essentiam secundum se consideratam, & prout solum habet esse in potentia, sed facta comparatione ad essentiam actualem, & prout habet esse actum, & extra suas causas.

47 Et eodē pacto respōdetur tam ad quintum argumentum, quā ad eius confirmationē, scilicet, probare optimè distinctionē realem, seu (vt proprius loquar) non identitatem realem inter essentiam secundum se consideratam, & quatenus solum importat connexionē prædicatorū essentialiū, & existentiam actualē; non verò inter existentia actualē, atque actualem essentiam; quæ ratione non

fo-

solum dicit connexionem prædicatorum essentialium, sed etiam esse actuale, & extra casualis cōnexionis: licet enim connexio prædicatorum essentialium, in qua essentias rerum constituimus, competat unicuique rei independenter à causa efficienti, & sit omnino necessaria, atque abstrahēs à loco, & tempore; tamen esse actuale, & extra casualis connexionis dependet à causa efficiente, & est quid contingens, & connotans tempus, & locum, non secus, ac ipsa existentia. Imò hæc omnia conueniunt essentiæ, seu connexioni prædicatorum essentialium actuali, vt *quod*; existentia verò actuali, vt *quo*, non secus, ac de esse actuali diximus sectione præcedenti nu. 12.

48 Ad sextum, & vltimum concessa maiori negamus minorem, scilicet, essentiã actualem posse manere in rerum natura sine propria existentia actuali. Et ad confirmationem dicimus, decipi aduersarios, dum existimant, in mysterio Eucharistiæ accidentia panis, & vini existere noua, & supernaturali existentia extra subiectum; hoc enim esset impossibile sine corruptione accidentium panis, & vini præexistentium, & noua eorum, quæ manent generatione; quam corruptionem, & generationem admittere in consecratione esset erroneum. Et similiter fal-

luntur aduersarij, dum existimant, humanitatem Christi Domini non habere propriã, & connaturalem existentiam, sed existere existentia diuini Verbi; aliàs, cum beatissima Virgo Maria in tempore concurrerit ad productionem illius humanitatis, & productio non terminetur, nisi ad rem actualiter existentem, existentia increata diuini Verbi esset terminus productionis temporalis, ad quam concurrir B. Virgo Maria; & consequenter non esset increata, sed in tempore producta: quod est hæreticum.

49 Melius ergo, atque principijs fidei conformius philosophatur Scotus in 3. d. 6. q. 1. & in 4. d. 12. q. 1. quem, non solum eius discipuli, sed iam ferè omnes recentiores sequuntur; Suarez 3. p. disp. 36. & tomo 2. Metaph. disp. 31. sect. 12 & Vazq. 3. p. disp. 71. dum dicit, tam accidentia sacramentalia, quàm humanitatem Christi Domini existere propria, & connaturali existentia, licet careat aliquo connaturali existentia modo, nouo, & supernaturali succedente; vel positiuo, vt est modus, seu ratio vnionis naturæ humanæ ad diuinum Verbum; vel negatiuo, vt est priuatio vnionis, seu inhærentiæ accidentium in substantia panis, & vini.

50 Nec refert, quòd apud Patres reperitur, *humanitatē Christi*

si existere in Verbo; quia etiam accidentia existunt in subiecto, & forma substantialis in materia, & tamen non per ipsam formalem existentiam subiecti, vel materiæ. Imo potius hoc, quod est existere in alio, requirit propriam vtriusque extremi existentiam; si enim existeret in alio per alterius existentiam, etiam existentia alterius existeret in alio: vnde existentia alterius supponeret, alterum existere, tamquam suæ existentia receptiuum, & ita supponeret, alterum existere, antequàm existeret.

51 Quòd si Sophonius in 6. sino actione 11. (vt aduersarij referunt) dixit: *Humanitatē, non existere, nisi vna cum Verbo existentia*, nihil contra nos; nam ista locutione solum denotare voluit, humanitatem non extitisse prius tempore in se, quàm in Verbo; non verò existentiam humanitatis, & Verbi esse vnã, & nõ plures. Quorsum enim de ea re, de qua illic vsque nulla extiterat controuersia Sophronius ageret? Quod satis manifestè ostēdunt verba Sophronij antecedentia, præmiserat queppe, *Simul caro, & simul Dei caro; simul caro animata, & rationalis, & simul Verbi Dei caro animata, & rationalis*, & subiungit, non verba ab aduersarijs relata; sed hæc: *Itaque in illo, & non in se ipsa habuit existentiam vnã*, id est, non duobus modis extitit, prius in se, & po-

stea in Verbo, sed vnico tantum modo, scilicet, in diuino Verbo; itaq; *ly vnã* non tam ad existentiam, quàm ad modum existendi debet referri.

52 Ex his liquidò patet, quàm imbecillo scipione nitatur sententia de distinctione reali existentia actualis ab actuali essentia in schola rigidorū Thomistarum trita satis. Verum, quia præter distinctionem realem strictè sumptam; (qualis est, quæ versatur inter duas res, aut saltem inter rem, & modum eius physicum, & extrinsecum, de qua huc vsque egimus) & præter distinctionem rationis ratiocinantis, (qualis est, quæ fingitur ab intellectu, nullo præsupposito in rebus fundamenta; quæ eo ipso non est doctrinalis, nec spectans ad scientias comparandas) admittunt communiter Authores quamdam quasi mediam distinctionem inter istas extremas, scilicet, quæ versatur inter duas formalitates, seu conceptibilitates, quæ etiam si sint idem realiter, vna tamen ex natura rei non est de conceptu intrinseco, & formali alterius; quamuis (vt vidimus in Logica capite de vniuersalibus, disp. 1. quæst. 2. sect. 1) Thomistæ nolint hanc distinctionem ex natura rei formalem appellare, (sicut eam Scotistæ appellamus) sed potius rationis ratiocinatæ; quã difficultatem ibi ex professo exami-

navimus. Hinc orta est difficultas inter Authores, qui inter essentiam actualem, atque actualem existentiam distinctionem realem negant, an saltem media ista distinctione distinguantur? Et idem disputari potest de existentia potenciali, ad potentialem essentiam, & habentem esse in potentia obiectiva comparata.

53 Petrus Hurtado disputat. 8. metaphysica sect. 4. subsect. 3. omnino negat, existentiam actualem ab actuali essentia, (Et idem docet de existentia potenciali ad essentiam potentialem comparata.) Hac media distinctione distingui. Sic enim loquitur num. 53. *Dico tertio, essentia & existentia, si cum proportione sumantur, sunt idem re, & ratione, neque esse duas formalitates ratione distinctas; & citat pro sua sententia Durandum in 1. d. 8. q. 2. & Gabrielem apud Suarez in metaph. disp. 31. sect. 6. num. 20. quatenus dicunt, esse, ens, & essentiam non differre secundum rem significatam, sed solum secundum modos grammaticales, sicut verbum, participium, & nomen.*

54 Fundamentum huius Authoris est, quia distinctio hæc media (sive illam rationis ratiocinatae cum Thomistis appelles; sive cum Scotistis ex natura rei formalem) solum reperitur inter duas formalitates, seu inter duas conceptibilita-

tes, quarum una à parte rei, non est de conceptu formali alterius, & quarum una potest concipi sine alia. Sed essentia, & existentia proportionate sumptæ (scilicet, essentia actualis cum actuali existentia, & essentia potentialis cum existentia potenciali) non ita se habent: ergo essentia, & existentia non sunt distinctæ media ista distinctione. Minor, in qua esse poterat difficultas, probatur; quia, cum essentia actualis constituitur in esse actualis, per existentiam actualem, & essentia potentialis in esse potentialis, per potentialem existentiam, tamquam per modos intrinsecos, non secus ac substantia, & accidens constituitur in esse substantiæ, & accidentis per modos intrinsecos essendi per se, & essendi in alio, non solum existentia actualis erit de conceptu formali essentia actualis, & existentia potentialis de conceptu formali essentiae potentialis; sed etiam non poterit concipi essentia actualis, non concepta existentia actuali, neque essentia potentialis, non concepta existentia potenciali: sicut nequeunt concipi substantia, & accidens, non conceptis modis intrinsecis essendi per se, & essendi in alio.

55 Sed in hac re dico primò; inter existentiam actualem, atque actualem essentiam (Et idem est iudicium de existentia

tia potenciali ad potentialem essentiam comparata.) datur distinctio media inter realem strictè sumptam, & distinctionem rationis ratiocinantis. In hoc asserto existimo convenire non solum Scotistas, sed etiam omnes auctores, qui negant dari inter existentiam actualem, atque actualem essentiam distinctionem realem, hoc solo expectato discrimine, quòd Scotistæ hanc mediã distinctionem ex natura rei formalem appellamus; alij verò sustinent, solum esse distinctionem rationis ratiocinatae, (vt num. 52. notabamus) Vnde Suarez in Metaph. disput. 31. sect. 6. numer. 16. non veretur affirmare, nullum esse Theologum, qui distinctionem, saltem rationis inter essentiam actualem, & actualem existentiam non admittat; quamvis non omnes eodem modo illam explicent. Et loquitur de distinctione rationis ratiocinatae, quæ est media inter realem strictè sumptam, & rationis ratiocinantis; nam de distinctione rationis ratiocinantis, cum non sit doctrinalis (vt supra dixi) nulla mentio fit in scientijs.

56 Probari solet communiter hoc assertum auctoritate, & ratione. Auctoritas est Philosophi, qui 2. Posteriorum non solum distinguit illas duas quæstiones, *an est? & quid est?* quarum prima quærit existentiam rei,

secunda verò essentiam, sed etiam text. 32. apertè dicit, *quid autem est homo; & esse hominem, aliud est; & textu sequenti, ipsum verò esse nullius est substantia, id est, essentia, nempe, quia existere non est de essentia rerum.*

57 Ratio desumitur ex doctrina, quam omnes recipiunt, & desumpserunt ex Arist. locis citatis, scilicet, existentiam ex natura sua non esse de conceptu intrinseco, & formali essentia, & consequenter nos posse, non solum cognoscere essentiam cuiuscumque rei, non cognita illius existentia, sed etiam nos posse definire essentiam absque eo, quòd in tali definitione intret existentia: eam enim distinctio media inter rigorosam realem, & rationis ratiocinantis sit illa, quæ versatur inter duas formalitates, seu conceptibilitates, quæ etsi sint idem realiter, una tamen ex natura rei non est de conceptu intrinseco, & formali alterius, & sic una potest concipi, non concepta altera; manifestè infertur ex doctrina ista, quam omnes recipiunt, existentiam, & essentiam, etsi sint idem realiter, distinguuntur tamen distinctione ista media.

58 Sed, si res attentè consideretur, probatio ista non est ad rem; quia etsi verum sit, existentiam actualem non esse de conceptu intrinseco, & formali essentia secundum se, &

& prout solum habet esse in potentia Logica considerata, idque docuisse Arist. locis citatis, & consequenter nos posse; non solum cognoscere essentiam, ut sic, non cognita illius existentia, sed etiam nos posse definire essentiam, ut sic, absq; eo, quod in tali definitione intret existentia: tamen falsum est, existentiam actualem non esse de conceptu intrinseco, & formali essentiae actualis, prout actualis est, considerata, cum per ipsam existentiam actualem intrinsece, & formaliter essentia constituitur, tamquam per modum intrinsecum, in esse actualis; (ut saepe dictum est) & consequenter falsum etiam erit, nos posse cognoscere essentiam, ut actualem, non cognita illius existentia; & multo magis nos posse illam, ut actualem definire absq; eo quod in talem definitionem intret existentia. Undelicet ex Arist. locis citatis, & ex doctrina communi ab ipso recepta optimè inferatur, existentiam actualem distingui ab essentia secundum se considerata, & prout abstrahit ab esse actualis; (Quod non est ad rem, quippe nos modò solum disputamus de distinctione existentiae actualis facta comparatione ad essentiam actualem; nam facta comparatione ad essentiam secundum se, & prout solum habet esse in potentia Logica, statim usque in principio, non est

se idem realiter.) tamen minime infertur, distingui media ista distinctione ab essentia actuali. Imò cum oppositum principium, scilicet, existentiam actualem esse de conceptu intrinseco, & formali essentiae actualis, (esto non sit de eius essentia, & quidditate) non possit à nobis denegari, maximè sumit vim fundamentum, quod adduximus ex Hurtado ad probandum, inter essentiam actualem, atque actualem existentiam non dari istam mediam distinctionem.

59 Aliter, ergo comprobandum erit hoc nostrum primè assertum; sed ad hoc necessarium est, ut prius secundum proponamus assertum. Dico ergo secundò: distinctio hæc media, quam inter essentiam actualem, atque actualem existentiam constituiamus, non est adæquata, sed inadæquata nuncupanda. Itaque sicut in Logica cap. de vniuersalibus disp. 1. q. 2. sect. 2. Loquendo de distinctione media inter realem, & rationis ratiocinantis, quæ versatur inter naturas superiores, & inferiores. v. gr. inter animal, & hominem, inter hominem, & Patrem, diximus, non esse distinctionem, adæquatam, quia, cum naturæ inferiores in suo conceptu intrinseco, & formali includant naturas superiores, saltem quoad istam partem non poterunt distingui, sed omninò identificari cum illis,

illis, sed esse distinctionem inadæquatam; quia, cum naturæ inferiores præter naturas superiores, quas intrinsece, & formaliter includunt, includant etiam rationes differentiales, de quarum conceptu intrinseco, & formali non sunt naturæ superiores, saltem quoad hanc partem erunt distinctæ ab ipsis media ista distinctione. Ita modo dicimus, distinctionem istam mediam, quam inter essentiam actualem, atque actualem existentiam constituiamus, non esse distinctionem adæquatam; quia, cum existentia actualis sit de conceptu intrinseco, & formali essentiae actualis, quoad istam conceptibilitatem actualis, non poterit essentia actualis distingui ab existentia actuali, sed prorsus erit omninò idem cum illa; sed esse distinctionem inadæquatam; quia, cum essentia actualis præter existentiam actualem, quam intrinsece, & formaliter includit, includat etiam à parte rei essentiam, de cuius conceptu intrinseco, & formali non est existentia; saltem quoad hanc partem erit distincta ab existentia media ista distinctione. In hoc secundo asserto nobiscum conuenit verbis expressis Smissing tract. 1. disp. 2. q. 1. n. 43.

60 Ex his deducitur efficax ratio pro nostro primo asserto. Si enim ad distinctionem istam mediam de qua procedit assertum, quando non est adæqua-

ta, sed inadæquata, non est requisitum, quod vnum ex extremis distinctionis non includatur in conceptu intrinseco, & formali alterius; imò necessarium est, quod includatur, (aliàs distinctio non esset inadæquata, sed adæquata nuncupanda) sed fat est, quod in extremo, in quo aliud intrinsece, & formaliter includitur, reperitur aliqua alia formalitas, seu conceptibilitas, de cuius conceptu intrinseco, & formali non sit aliud extremum; manifestè infertur, existentiam actualem (Et idem est iudiciū de existentia potentiali ad potentialem essentiam comparata) distingui prædicta distinctione media inadæquata: siquidem existentia actualis, ita est de conceptu intrinseco, & formali essentiae actualis, ut nihilominus in ipsa essentia actuali sit à parte rei, & seclusa omni intellectus operatione, aliqua formalitas, seu conceptibilitas, scilicet, ipsa formalitas, seu conceptibilitas essentiae, de cuius conceptu intrinseco, & formali non est essentia actualis.

61 Undè ad fundamentum Petri Hurtado facile respondetur, ex eo, quod existentia actualis sit de conceptu intrinseco, & formali essentiae actualis; & similiter ex eo, quod non possit cognosci essentia actualis non cognita existentia, sequi optimè, non posse existentiam

tiam actualē ab essentia actuali distinctione ista media adæquata distingui; non verò sequi, non distingui distinctione media inadæquata; siquidem ad hoc sufficit, quòd in essentia actuali sit actu, & realiter aliqua formalitas, seu conceptibilitas, de cuius conceptu intrinseco, & essentiali in primo modo dicendi per se non sit existentia actualis. Constat autem, in essentia actuali esse à parte rei, & seclusa omni intellectus operatione, huiusmodi formalitatem, seu conceptibilitatem, scilicet, ipsam formalitatem, seu conceptibilitatem essentia, quæ actualis denominatur.

62 Dico vltimò: hæc distinctio media inadæquata, quam inter essentiam, & existentiam proportionatè supras constitui mus, non est dicēda distinctio inter duas formalitates, sed inter formalitatem, & gradum ipsam intrinsecè modificantē, & consequenter inter duas conceptibilitates: nam conceptibilitas est quid superius ad formalitatem.

63 In hoc asserto conveniūt omnes Scotistæ. Et ratio à priori est, quia (vt supradictum est) existentia est modus intrinsecus essentia cum proportionē debita, scilicet, existentia actualis essentia actualis, & existentia potentialis essentia potentialis. Sed modus intrinsecus (vt ex Scoto locis num. 21.

citatis docent omnes Scotistæ) non dicit formalitatem distinctam à formalitate rei, cuius est modus; sed solum dicit gradū intrinsecum prædictæ formalitatis ipsam intrinsecè modificantem, & perfectientem, seu (quod idem est) quamdam conceptibilitatem, cuius conceptio, seu cognitio necessaria est ad perfectā cognitionem rei, cuius est modus: ergo essentia, & existentia proportionatè sumptæ, etsi distinguantur prædicta media distinctione inadæquata, sed non tamquam duæ formalitates, sed tamquam formalitas, & gradus ipsam intrinsecè modificans, seu tamquam duæ conceptibilitates, sic subordinatæ, vt vna non possit perfectè cognosci sine cognitione alterius, sed imperfectè tantum.

64 Et hinc intelligetis, cur Scotistæ distinctionem istam mediam inadæquatam inter existentiam, & essentiam, proportionatè sumptas reperitam, appellent distinctionem ex natura rei formalem negatiuam; imò eodem modo loquantur de omni distinctione, quæ versatur inter rem, & quemcumque eius modum intrinsecum, vt videri est in Licheto in 2. d. 2. q. 2. & d. 3. q. 1. & in omnibus formalistis. Appellant enim ex natura rei formalem negatiuam, non quia existunt existentiam, aut

aut quemcumque alium modum intrinsecum nō esse quid positium, sed quia modus intrinsecus non dicit distinctam formalitatem à formalitate rei, cuius est modus, sed solum quemdam gradum illam intrinsecè modificantē, seu quādam conceptibilitatem, cuius cognitio ad perfectam cognitionem rei, cuius est modus necessaria est.

65 Sed contra id, quod ex Scoto, & omniū Scotistarū sententia in hac sectione statuimus (scilicet, essentiam, & existentiam proportionatè supras distingui ex natura rei formaliter, licet inadæquatè, &c) obijciat aliquis ipsum Scotum, qui in 3. dist. 6. q. 1. §. Respondeo expressè affirmat esse solum differre ab essentia in modo concipiendi.

66 Respondetur facilè cum Postnato super primum Scoti d. 36. q. vnica art. 3. in probatione 3. conclusionis secundæ, esse dupliciter sumi posse; primo prout significat ipsam essentiam in concreto; secundò vt significat actualitatē essentia, quæ est modus eius, & dicitur comuniter existentia. Priori modo sumptum distinguitur tantum in modo concipiendi ab essentia, vt in vniuersum omne concretum distinguitur à suo abstracto. At in posteriori distinguitur (vt dictum est) distinctione ex natura rei formali, licet inadæquata, &c.

Scotus ibi sumit esse, non in posteriori sensu; imò de esse in posteriori sensu in eodem, & expressè dicit distingui ab essentia, & à subsistentia plusquam in modo concipiendi (vt legenti literam erit manifestū.) Et in eodem priori sensu existimo sumpsisse esse Durandum, & Gabrielem (quos Hurtado pro sua sententia adducebat) dum dicunt, esse, ens, & essentiam, non differre secundum rē significatam, sed solum secundum modos grammaticales verbi, participij, & nominis; & sic non rectè adduci à Hurtado in fauorem suæ sententia.

SECTIO III.

Explicatur, quibus rebus existentia comperat.

67 **E**X dictis in sectione præcedēti circa distinctionem existentia ab essentia, non erit difficilè explicare, quibus rebus existentia comperat. Nam rigidi Thomistæ, qui dicebant, existentiam actualē esse modum physicū, & extrinsecum essentia actualis in ipsaque receptum, & sic præsupponere ordine naturæ essentiam in aliquo esse actuali; & consequenter existentiam distingui realiter ab essentia actuali; consequenter debent sustinere, (vt de facto sustinent) existentiam non competere materie primæ ex se, & antequam informetur forma substantiali; liqui-

liquidem materia prima in ipsorum sententia (quam latè retulimus, atque impugnauius disp. 3. q. 2.) ex se, & antequàm informeretur forma substantiali, ita est pura potentia, vt nulum includat actum, adhuc illum essentia, quod in ipsorum sententia necessarium est ad esse subiectum capax recipiendi modum existentia.

68 Imò de formis substantialibus materialibus, quæ educuntur de potentia materia, & consequenter non producuntur per se, sed comproducentur ad productionem compositi substantialis, idem tenentur affirmare, & de facto affirmant, existentiam actualem non competere ipsis primò, & per se, sed potius primò, & per se competere toti composito substantiali, quod ex materia, & aliqua ex his formis resultat. Nã etiam si in ipsorum sententia formæ istæ substantiales essentialiter includant rationem actus informantis; tamen cum esse actuale essentia, quod requirunt ad recipiendum modum existentia, non competat ipsis essentialiter, & necessario, sicut competit ratio actus informantis; (Aliàs inciderent in opinionem Henrici, quam ipsi etiam impugnant, ponentis, essentias rerum habere esse actuale ab æterno necessario, atque independentem à Deo.) Sed potius ipsis adueniat contingenter, me-

dia scilicet, productione Dei libera; & hæc productio Dei libera per se primò non terminetur ad formas istas substantiales, sed ad totum substantiale, quod ex materia, atque aliqua ipsarum resultat; ipsum totum substantiale, & non formæ, erit, cui primò, & per se competit actualitas essentia, quæ necessaria est in ipsorum sententia ad recipiendum modum existentia; & consequenter, quod primò, & per se recipit ipsum modum existentia.

69 Vtrum autem naturis substantialibus completis (siue sint simplices, vt sunt Angelicæ, siue compositæ, vt sunt omnes materiales) prius competit substantia, quàm existentia? Dissidium est inter ipsos. Licet enim omnes affirmant, existere primò, & per se solum competere suppositis, sicuti & produci, & operari; tamen Capreolus existimat, existere primò, & per se competere suppositis, non quia existentia ordine naturæ, præsupponat ipsum suppositum constitutum, & ipsum actuet in ratione existendi; sed quia per ipsam existentiam suppositum in esse suppositi formaliter constituitur. Quo fit, vt iuxta hanc Capreoli sententiam, si præcindamus id, quod est quasi subiectum, vel receptiuum existentia, reuera non sit suppositum, sed natura; nam suppositum potius est constitutum ex na-

natura, & existentia, atque ita in istius sententia existentia erit suppositi, vt constituti; naturæ verò vt subiecti, seu potentia actuabilis.

70 At verò Caietanus affirmat, existere primò, & per se competere suppositis, & non naturis; quia existentia supponit ordine naturæ suppositum constitutum ex natura, & subsistentia; & sic suppositum est subiectum, & potentiale, quod primò, & per se recipit existentiam, & per ipsam actuatur. Quæ sententia Caietani magis recepta est inter Thomistas, & supposita distinctione reali existentia ab essentia, foret absque dubio probabilior, quia non confundit existentiam cum subsistentia, sicut confundebat Capreolus. Et quamvis ægrè possit declarari, quid faciat subsistentia circa substantialem naturam præcisè consideratam, vt essentia est, & prius natura, quàm sit existens; tamè hæc difficultas non tam militat contra conclusionem Caietani, quàm contra principium, ex quo illam colligit, de distinctione reali essentia ab existentia, quod omnes hi Thomistæ præsupponunt.

71 De naturis, seu formis accidentalibus maior lis est inter Thomistas; nam aliqui recentiores (vt refert Suárez in metaph. disp. 3. 1. sect. 11. num. 23.) verisimile credunt, naturas, seu formas accidentales nõ

habere aliam existentia, quàm subiecti, in quo inhaerent. Et probat, quia supposito, quod aliquid existat per existentiam ab eo realiter distincta, superfluum illis videtur ponere in accidentibus aliã existentiam ab existentia subiecti; cum subiecti existentia sufficiens sit ad hoc, vt per ipsam existat omnia accidentia, quæ illi realiter coniuncta sunt; præsertim cum ex Arist. 7. Metaph. in principio accidens non sit ens, sed entis ens; & cõmuniter dici solet, quod accidentis esse sit inesse, nimium, quia neque est ens, neque habet esse, nisi quatenus participat esse, seu existentiam subiecti.

72 Nihilominus peritiores, atque antiquiores Thomistæ non audent, naturis, seu formis accidentalibus propriam existentiam ab existentia subiecti distinctam denegare. Legite Caiet. de ente, & essentia c. 7. post quæstionē 16. & 1. p. q. 28. art. 2. Soncinatem 7. Metaph. q. 5. & D. Th. 3. p. q. 17. art. 2. & 4. contra gentes c. 14. & in 1. d. 3. q. 2. art. 3. & d. 20. q. 1. art. 5. Coguntur enim hoc asserere. Tum, quia forma accidentalis fieri potest in subiecto præexistenti noua actione: illa autem noua actio necessario terminari debet ad aliquod nouum esse existentia. Tum etia, quia in ineffabili Eucharistia mysterio eadem numero accidentia cõseruantur (vt fides do-

cer) sine substantia; non autem conferuntur sine existentia præexistente: (Aliàs iam non essent eadem numero) dicere autem, post consecrationem panis, & vini, etsi non maneat essentia panis, & vini, manere tamen illorū substantiales existentias, atque per illas quantitates panis, & vini, atque altera accidentia existere eadem numero (vt aliqui ausi sunt dicere) plusquam falsum est, & in Theologia improbabile: quippe iuxta sanā doctrinam, & Conciliorum definitiones, consecratione facta, sola accidentia panis, & vini manēt in Eucharistia: quod non esset verum, si etiam existentia substantiales panis, & vini remanerent.

73. Neque assertio de distinctione reali modi actualis existentia ab essentia actuali potest cogere Thomistas ad ponendum, accidentia existere per existentiam subiecti, in quo inhaerent; quis hoc ambigit? Vnde ad ea, quæ in contrarium obiecta sunt, faciliè respondent negando, esse superfluum concedere accidentibus propriam existentiam, & distinctam ab existentia subiecti: imò est valde necessarium; nam, cum existentia debeat proportionari cum essentia, cuius est existentia; & existentia subiecti non proportionetur, cum essentia accidentium (nam est substantialis) non poterit esse sufficiens ad

hoc, vt per ipsam existant accidentia. Quod si Arist. appellat accidens entis ens, non est, quia in ratione entis intrinsicè constituitur per esse sui subiecti, sed quia totum suum esse habet cum quadam habitudine transcendentali ad subiectum. Et in eodem sensu dicunt, interpretandum esse illud axioma, *accidentis esse est in esse.*

74. Nos autem, qui cum Scoto, & alijs auctoribus sustinemus, existentiam esse modum metaphysicam, & intrinsicè essentia idem realiter cum illa, solūque distingui inadæquatè distinctione illa media, (quam Thomistæ rationis ratiocinata appellat, nos verò ex natura rei formalem, licet non vt duas formalitates, sed vt formalitatem, & gradum ipsam intrinsicè modificantem;) consequenter debemus sustinere, existentiam esse inseparabilem ab essentia; (cū proportione debita, scilicet, existentiam actualem ab actuali essentia, atque existentiam aptitudinalem ab aptitudinali essentia) atque ad eò dicimus, omni entitati actuali, & habenti esse extra causas, siue sit entitas substantialis, siue accidentalis, siue completa, siue incompleta, imò etiam si non sit res, sed modus rei competere propriam, & proportionatam existentiam actualē; neque posse aliquā rē, adhuc per-

potentiam Dei absolutam, existere per existentiam alterius.

75. Solū esse posset difficultas de formalitatibus, quæ realiter identificantur in eodem individuo, v. g. de formalitatibus substantia corporeæ, viuentis, sensibilis, rationalis, quæ identificantur in Petro, vtrum illis correspondeant propria existentia? Cui dubitationi respondemus, quod, sicut non obstante, quod omnes istæ formalitates sunt à parte rei vnica, & indiuidua essentia, admittunt Thomistæ inter istas formalitates distinctionem rationis ratiocinata, & Scotistæ distinctionem ex natura rei formalem, ita dicendum est, quod etsi sit vna, & indiuidua existentia, nihilominus in ipsa admittendæ sunt plures formalitates existentia prædictis formalitatibus essentia correspondentes, & ipsarum propria adinuicem distinctæ, in sententia Thomistarum distinctione rationis ratiocinata; & in nostra sententia distinctione ex natura rei formali; nam etiam quoad hoc debet existentia cum sua essentia proportionari.

76. Ex quibus resolui potest dubium, quod hic exagitari solet, vtrum, scilicet, existentia sit simplex, an composita? Respondetur enim, adhuc quoad hoc proportionari existentiam cum essentia; nam, si essentia, cuius est existentia, est

simplex, ipsa etiam existentia simplex erit; at, si composita, composita. Quod ad eò certū reputauit Scotus, vt oppositum fictionē appellarit. *Nescio* (inquit in 4. d. 11. quæst. 3. §. 6. *Ad rationes*) *istam fictionem, quod esse est, quid superueniens essentia non compositum, si essentia est composita.* Vnde sicut essentia composita substantialis est composita ex essentijs partialibus materiae, & formæ, ita & existentia totalis, qua existit prædictum compositum, erit composita ex essentijs partialibus materiae, & formæ: & sic de reliquis.

77. Nec video, quid possit obijci contra hoc, nisi, quod obijciunt Carmelitani disput. 3. de materia quæst. 5. §. 2. num. 51. scilicet, nullam existentiam posse habere se, vt potentiam respectu alterius existentia, & consequenter ex nullis essentijs posse resultare vnum per se; quale omnes reputant existentiam compositi substantialis. Sed quàm fatilis sit ista obiectio, quantaque æquiuocatione in nomine potentia implicentur hi Patres, ostendimus disput. 3. quæst.

2. num. 42.

(.§.)

atque idem, si capax est compositionis, aliquo modo erit composita.

84 Supposito ergo ut certo, non solum in doctrina D. Thom. sed etiam in doctrina Scoti, in omni ente creato, tam materiali, quam spiritali dari aliquam compositionem ex essentia, & existentia, optimè procedit proposita difficultas, qualisnam sit ista compositio? Et sermo est (ut supra loquendo de distinctione animaduerti) de existentia, & essentia proportionate sumptis, scilicet, de existentia actuali, facta comparatione ad essentiam actualem; & de existentia potentiali ad potentialem essentiam comparatam. Nam, si sermo sit de existentia actuali, & essentia potentiali, cum hæc etsi in se, quid positum sit, ut tamen dicitur esse in potentia connotet necessariò negationem, seu priuationem existentie actualis, ita impossibilis erit compositio ex existentia actuali, & essentia, ut habet esse in potentia, ac est impossibile componere negationem, seu priuationem cum forma, cuius est priuatio, vel negatio.

85 Rigidi illi Thomistæ, qui dicebant existentiam actualem esse modum physicum, & extrinsecum essentia actualis, in ipsaque receptum; & sic supponere existentiam ordine naturæ ipsam essen-

tiam in aliquo esse actuali; atque consequenter essentiam actualem, & existentiam actualem realiter distingui, vniuersim affirmiter affirmant, compositionem ex essentia actuali, & existentia actuali esse realem. Quæ assertio, etsi suppositis horum principijs vera sit, neque ab ullo inficiari possit; tamen, quia principia, quibus nititur, falsa sunt, & à nobis iam refutata; ita & prædicta conclusio falsa erit, atque in refutatione illorum principiorum, virtualiter refutata manet.

86 Hurrado, qui per oppositum asserbat, inter essentiam actualem, atque actualem existentiam nullam dari distinctionem, adhuc rationis cum fundamento in re, consequenter debet dicere, inter essentiam actualem, atque actualem existentiam nullam dari compositionem, adhuc rationis cum fundamento in re. Quæ assertio, etsi suppositis huius auctoris principijs vera sit, tamen cum eius principia non solum ut falsa, sed etiam ut opposita omnibus Theologis supra reiecerimus, inibi & hæc conclusio, seu assertio refutata relinquitur.

87 Nos ergo, qui cum Scoto, & alijs auctoribus asseruimus, existentiam actualem esse modum metaphysicum, & intrinsecum essentia actualis, & consequenter, etsi sit idem

rea;

realiter cum illa, imò in conceptu intrinsecò, & formali essentia actualis includatur, nihilominus ab ipsa essentia actuali inadæquatè distingui distinctione quadam media inter distinctionem realem, & rationis ratiocinantis, licet non tamquam duas formalitates, saltem, ut formalitatem, & gradum intrinsecè ipsam modificantem, & perfectientem (quæ est distinctio minima inter omnes istas medias) consequenter dicimus, compositionem essentia actualis esse compositionem metaphysicam mediã inter compositionem realem, & rationis ratiocinantis, quam nos appellamus ex natura rei formalem; alij verò auctores rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re, licet non adæquatam, id est, inter duo extrema, quorum utrumque ex se, & seclusò alio habeat esse actuale; tamen inadæquatam, id est, inter duo extrema, quorum vnum constituitur in esse actuali per aliud; & similiter licet non tanta, quanta est, quæ fit ex duabus formalitatibus; (ut est compositio ex genere, & differentia) tanta tamen, quanta est, quæ versatur inter rem, & modum eius intrinsecum, quæ est minima, quæ inter prædictas medias compositiones reperitur; quod, assertum suppositis nostris principijs supra comprobatis, ita certum est, ut nescio

quo modo ab ullo possit inficiari.

88 Solum aliquis obijcere potest, sequi ex hoc dari in Deo compositionem similem ex essentia, & existentia; siquidè existentia Dei (ut probabilis sententia fert, quam ut Scoti late defendit Smising tract. 2. disp. 2. q. 1. à n. 22.) non est de eius quidditate, sed modus illius intrinsecus, eodè pacto ab essentia Dei actuali distinctus, ac distinguitur modus intrinsecus existentie actualis creaturæ ab eius actuali essentia.

89 Respondetur nihil minus; licet enim ad compositionem requiratur distinctio inter extrema componètia ad eò, ut talis iudicetur compositio, qualis fuerit extremorù distinctio; tamè non sufficit ad compositionem, sed etiã est necessariù, ut vnum ex extremis, quantum est ex intrinsecò, & essentiali ratione sua, sit in potètia ad aliud, id est, ita indifferens, ut, quantum est ex ratione sua intrinsecò, & essentiali, non repugnet esse sine alio, licet aliàs propter identitatem realem, aut alia ex causa repugnantia sit; & quia formalitas essentia creaturæ respectu modi intrinseci actualis existentie sic se habet; (Licet enim ei repugnet, postquam actualis est, ab illo separari; tamen hæc repugnantia separationis non competit illi ex vi suæ quidditativæ, & essentialis formalitatis, sed

sed

sed ratione identitatis realis, quam habet cum illo) at vero formalitati essentiae Dei hoc non cōpetit; (Repugnat enim illi separari à suo modo intrinseco existentiae actualis non solum propter identitatem, sed etiam ex vi suae quidditativae; & essentialis formalitatis) ideo deneganda est Deo compositio ex essentia, & existentia, quam concedimus creaturis. Imò, quia haec potentialitas, seu indifferentia, quae repugnat essentiae Dei, est propria, & intrinseca omnium essentiarum creaturarum, ideo dicitur D. Thom. & communiter dicunt Theologi, compositionem ex essentia, & existentia propriam creaturarum esse; Deo autem repugnare.

90 Et si aliquis roget, vtrum eodem modo sit philosophandum de compositione essentiae potentialiter existentis, & habentis esse solum in potentia obiectiva? Respondetur affirmatiue; solum est discrimen, quod sicut esse, quod habet tã essentia, quam existentia, quando solum sunt in potentia obiectiva, non est esse simpliciter, sed solum secundum quid, & cum addito *potentiale*, ita & praedicta compositio non erit simpliciter talis appellanda, sed solum secundum quid, & cum addito *potentialis*. Ita in simili de distinctione philosophatus est Lichetus in 2. d. 3. q. 1. §. *Sed si queratur*. Et quoad aliam

conditionem, quae praeter distinctionem requiritur ad compositionem, scilicet, quod vnũ ex extremis, quantum est ex intrinseca, & essentiali ratione sua sit in potentia ad aliud, (de quo numero praecedenti) colligitur manifestè ex verbis relictis ex Scoto sect. 1. num. 14. vbi expressè dicit, quod illa non repugnantia connexionis praedicatorum essentialium, in qua essentias rerum constituiamus, & ratione cuius essentiae rerum dicuntur esse in potentia Logica, ita praecedit potentiam obiectivam, quae est status, in quo convenit essentijs rerum modus intrinsecus existentiae potentialis, vt quantum est ex se, possit stare sine potentia obiectiva, & consequenter sine modo intrinseco existentiae potentialis, licet de facto ei repugnet stare sine illo ex alio capite, scilicet, quia repugnat non esse diuinam omnipotentiam, à qua vt obiectum respiciatur, & ea stante, necessitatio inest essentijs rerum modus intrinsecus existentiae potentialis, per quem in statu potentiae obiectivae formaliter constituuntur.

QVÆSTIO III.

De subsistentia entis naturalis.

1. **D**E subsistentia entis naturalis examinanda sunt. Primum, *quid sit?* Secundum,

dum, *An in creatis id, quod denominatur subsistens supra naturam individualiter existentem, dicat aliquam entitatem positivam?* Tertium, *An subsistentia sit forma simplex, vel composita?*

SECTIO I.

Explicatur, quid sit subsistentia.

2. **S**ubsistentia (vt colligitur ex Scoto quolibeto 9. §. *Descundo*) est forma, à qua aliquid denominatur subsistens, seu ens per se, sumpto ente per se pro eo, quod habet actualitatem ultimam, ita, quod non est per se ordinabile ad aliquem actum simpliciter ultra istum, quem habet, qui quidem actus vltior possit esse actus eius per se, & hoc vel primò, vel participatiue.

3. **Q**uod vt clarius percipiamus, advertit Scotus ens per se tripliciter posse dici. Primò dici potest et per se, quod existit solitariè. Qua ratione sumptum sit Arist. ens per se. Post in tertio modo per se: & in hoc sensu accidens, quando existit sine subiecto, (vt contingit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento) dicitur ens per se, id est, solitariè existens.

4. **S**ecundò dici potest ens per se, quod non inhaeret in alio, neque actu, neque aptitudine. Et in hoc sensu (dicit Scotus) quaecumque substantia non tantum composita, sed etiam ma-

teria, & forma dicitur ens per se; quia etsi forma substantialis sit in materia ipsam per se informando, sed non per inhaerentiam, quia inhaerens non est actus simpliciter, sed se eundem quid, nec cum illo, cui inhaeret, facit per se vnũ: quorum opposita conveniunt ei, quod per se informat, scilicet forma substantiali.

5. **T**ertio dici potest ens per se id, quod habet actualitatem ultimam, ita, quod per se non est ordinabile ad aliquem actum simpliciter ultra istum, quem habet, qui quidem actus vltior possit esse actus eius per se; & hoc vel primò, vel participatiue. Et in hoc sensu ens per se idem profuse est, ac natura subsistens. Et formam, à qua praedicta natura denominatur subsistens, seu per se in ista terra acceptione, appellamus subsistentiam; quae eo ipso nihil aliud erit, quam negatio communicabilitatis, seu ordinabilitatis ad vltiorem actum simpliciter, (id est substantialem) qui quidem actus vltior possit esse actus per se illius, quod ordinatur, & hoc, vel primò, vel participatiue.

6. **A**duertit autem Scotus ens per se in ista tertia acceptione (in qua dictum est, idem esse, ac subsistens) communiter appellari suppositum, vel personam. (si natura intellectualis sit.) Quod intelligendum est in creatis; vbi eo ipso, quod aliquod

quid est subsistens, seu ens per se non potest identificari cum alio ente per se, seu subsistente: & sic habet omnem incommunicabilitatem, quæ ad rationem suppositi, vel personæ necessaria est; non verò in diuinis: siquidem diuina natura etiam si, seclusis relationibus, sit ens per se in hac tertia acceptione, & consequenter propriè subsistens substantia quadam absoluta; vt docet Scotus in 1. d. 7. q. 1. & in 3. d. 1. q. 2. §. *Ad questionem*; (Ita enim est in vltima actualitate, vt non sit per se ordinabilis ad vltiorem a sumcius; nam diuinæ relationes, ad quas est ordinabilis, non sunt actus diuinæ naturæ, sed diuinarum personarum, quas constituunt; de quo latius dicitur in materia Trinitatis.) non tamen vt sic dici potest suppositum, vel persona, eo quod ratione infinitatis, quam participat, communicabilis est per identitatem tribus diuinis Personis: quam communicabilitatem excludit etiam ratio personæ, seu suppositi; non verò ratio subsistentis, seu ratio entis per se in hac tertia acceptione sumpti.

7 Porro subsistentiam consistere in prædicta negatione communicabilitatis, seu ordinationis ad vltiorem actum, &c. optimè probat Scotus in 1. d. 23. q. vnic. §. *Ad questionem*, ex Ricardo de Sancto Victo-

re, qui lib. 4. de Trinitate, cap. 22. definit personam (quæ pro formali, & pro per se significato dicit subsistentiam; & in hoc conuenit cum subsistente, seu supposito, & solum differt ab eis, quia pro materiali, & connotato dicit, non qualemcumque naturam, sed solum intellectualem) per prædictam negationem communicabilitatis; dicens: *Persona est intellectualis nature incommunicabilis existentia.* Quæ definitio non esset bona, si substantia, quam pro formali dicit persona non consisteret in prædicta negatione. Et eodem pacto illam definit Boetius libro *de duabus naturis*, & *vna Christi persona*, dum dicit: *Persona est rationalis nature individua substantia.* Vt enim Scotus animaduertit, ad hoc vt hæc definitio personæ sit bona, debet reduci ad definitionem Ricardi, ita vt *rationalis nature*, idem sit, ac *intellectualis nature*, positum in definitione Ricardi; aliàs ratio personæ solis hominibus competeret, & nō Deo, & Angelis. Et similiter *ly individua*, debet accipi pro *ly incommunicabilis* posito in definitione Ricardi: aliàs anima rationalis, & humanitas Christi Domini essent personæ; cum vtraq; sit substantia individua rationalis nature, sumpta substantia individua pro substantia singulari.

8 Verum, quia communica-

bilis, seu ordinabilitas ad actum simpliciter, qui possit esse actus per se illius, quod ordinatur, siue primo; siue participatiuè, potest esse in duplici differentia (vt in 3. d. 1. q. 1. optimè aduertit Scotus) scilicet, vt *quod*; qua ratione sunt comunicabiles, seu ordinabiles naturæ superiores ad actualitatem suorum inferiorum; & vt *quo*; qua ratione natura substantialis completa est comunicabilis, seu ordinabilis (saltem per supernaturalem potentiam Dei) ad actualitatem suppositi increati; & similiter partes entis naturalis, materia, scilicet, & forma, sunt comunicabiles, seu ordinabiles (licet non primò, saltem participatiuè) ad actualitatem totius, quod componunt. Et rursus adhuc his duobus modis tripliciter contingat communicatio, seu ordinatio ad vltiorem actum, &c. scilicet, actualiter (vt contingit in naturis superioribus, quæ actu in inferioribus existunt; & in natura humana, quæ est vnica Verbo; atque in materia, & forma, quando actualiter sunt in toto) & aptitudinaliter, (vt contingit in naturis superioribus, quando considerantur à suis inferioribus abstractæ; & in materia, & forma, si per potentiam Dei darentur separatæ) atque potentialiter, seu per non repugnantiam; vt contingit in omni natura substantiali completa individualiter existente;

quæ etsi nec actu, nec aptitudine sit comunicata, seu ordinata ad alienum suppositum; non tamen ei repugnat actu comunicari, seu ordinari: ideo dubitant auctores, an incommunicabilitas, seu inordinabilitas, in qua rationem formalem substantiæ constituimus, debeat esse opposita his omnibus communicationibus, seu ordinationibus ad actum vltiorem, &c: quæ relatæ sunt.

9 Henricus quolib. 5. existimat, incommunicabilitatem, seu inordinabilitatem oppositam soli comunicabilitati, vt *quod*, esse de ratione substantiæ. Itaque secundum Henr. omnes, & solæ naturæ sunt subsistentes, & consequenter personæ, vel suppositæ (si sint finitæ, & creatæ) quæ dicunt negationem communicationis, seu ordinationis, vt *quod* ad actum vltiorem, &c. 10 Sed Henrici sententia merito ab omnibus rejicitur: sequitur enim ex ea, nō solum formam substantiæ, & materiã primã, quædo actus existit in composito, esse subsistentes, & consequenter supposita; sed etiã hoc competeret formis accidentibus singularibus: siquidẽ omnia ista sunt incommunicabilia, seu inordinabilia ad actualitatem vltiorum inferiorum; in qua incommunicabilitate, seu inordinabilitate negatio communicabilitatis, seu ordinationis, vt *quod*, ad vltiorem actum consistit; quæ est, quæ

quæ ex mente Henr. formaliter constituit aliquid in esse subsistentis; & consequenter (si sit creatum) in ratione suppositi, vel personæ.

11 Ioannes de Neapoli (vt refert Caiet. in 3. part. q. 4. ar. 2.) sustinet de ratione subsistentiæ esse incommunicabilitatem, seu inordinabilitatem oppositam soli communicabilitati, seu ordinabilitati actuali, vt *quo*, & vt *quod*. Itaque iste Author omnes, & singulas naturas iudicat esse subsistentes, & consequenter personas, (si sint quid creatum) quæ actu non communicantur, seu ordinantur ad vltiorem actum, &c. neque vt partes ad actualitatem totius, neque vt naturæ ad actualitatem suppositi alieni; neque vt naturæ superiores ad actualitatem aliorum inferiorum.

12. Tamen hæc sententia merito reijcitur à Scoto; cum ex ea sequatur, non solum animam separatam esse subsistentem, & consequenter personam; (cum sit natura intellectualis) sed etiam esse subsistentem, & consequenter suppositum, quantitatem panis, vel vini, quæ manet post consecrationem in Eucharistia ab omni subiecto separata; siquidem nullum istorum actualiter est communicatum, aut ordinatum ad vltiorem actum, &c. neque vt *quo*, neque vt *quod*.

13. Scotus verò in 3. d. 1. q. 1. citata, solum requirit ad rationem subsistentiæ (præter hoc, quod est, quod naturæ, quibus conuenire debet, sint substantiæ) incommunicabilitatem, seu inordinabilitatem ad vltiorem actum, &c. oppositam, tam actuali, quam aptitudinali communicationi, vt *quo*, & vt *quod*. Vnde omnes, & solas naturas substantiales appellat subsistentes, & consequenter personas, vel supposita, (si sint naturæ creatæ) quæ vltra hoc, quod est esse singulares; in quo incommunicabilitas, seu inordinabilitas ad vltiorem actum, &c. vt *quod* consistit) habent, quod sint naturæ totales, & insuper, neque actu sint in alieno supposito, neque ad hoc dicant naturalem aptitudinem; in quibus incommunicabilitas, seu inordinabilitas ad vltiorem actum, &c. vt *quo*, tam actualis, quam aptitudinalis sita est.

14. Hæc Scoti sententia stando in alia (in quam ipse magis inclinatur, vt sectione sequenti dicam, scilicet, in creatis id, quod denominatur subsistens, & consequenter suppositum, vel persona, vltra naturam substantialem totalem, individualiter existentem, nullam aliam entitatem positivam includere, quæ sit radix negationum communicabilitatis, seu ordinabilitatis ad vltiorem actum, &c. quas pro formali dicit

cit subsistens, seu in quibus formaliter consistit subsistentia) verissima est, & à nobis sequenda.

15. Tamen stando in sententia, quæ affirmat, in creaturis id, quod denominatur subsistens, & consequenter suppositum, vel persona, vltra naturam substantialem individualiter existentem, includere aliquam aliam entitatem positivam, quæ sit radix negationum communicabilitatis, seu ordinabilitatis ad vltiorem actum, &c. in quibus formaliter consistit subsistentia; (quam sententiam probabilem reputat Scotus, & quæ vt talis potest defensari, vt ex dicendis sect. sequenti constabit) absque dubio dicendum est, ad rationem subsistentiæ non solum requiri incommunicabilitatem, seu inordinabilitatem ad vltiorem actum, &c. oppositam communicabilitati, seu ordinabilitati ad vltiorem actum, &c. vt *quo*, & vt *quod*, tam actuali, quam aptitudinali; sed etiam incommunicabilitatem, seu inordinabilitatem oppositam communicabilitati, seu ordinabilitati potentiali, seu per non repugnantiam. Quam doctrinam expressit Scotus loco citato, §. Per hoc ad argumenta lit. G. & exemplificauit in personis diuinis, in quibus (quia id, quod denominatur persona, præter naturam diuinam actualiter existentem, includit ali-

quid positivum, scilicet, relationem originis; quæ est radix, & fundamentum incommunicabilitatis, quam pro formali dicit persona) docet incommunicabilitatem, quam dicitur pro formali, non consistere solum in negatione actuali, & aptitudinali communicationis vt *quo*, & vt *quod*, sed etiam in negatione repugnantiam prædictæ communicationis; quod discrimen subsistentis, seu personæ præ oculis habendum est, ne in his, quæ sectione sequenti dicaturi sumus, aliquam æquiuocationem patiaris.

SECTION II.

Explicatur, an in creatis id, quod denominatur subsistens, supra naturam individualiter existentem addat aliquam entitatem positivam?

16. **D**ixi notanter in creatis: nã in diuinis id, quod denominatur subsistens subsistentia relatiua, suppositum, seu persona, addere supra naturam diuinam individualiter existentem aliquam entitatem positivam, scilicet, relationem originis, quæ sit radix negationis repugnantiam communicabilitatis, quam pro formali dicit subsistens subsistentia relatiua, suppositum, seu persona diuina, indubitatum est apud Theologos.

17. Scotus in 3. dist. 1. q. 1. §.

Ideo propter istud, & §. Non asserendo de hac re, refert duas opiniones. Vnam, quæ affirmat, id, quod in creaturis denominatur subsistens, suppositum, seu persona, vltra naturam substantialem completam, & indiuidualiter existentem, addere entitatem aliquam positivam; & consequenter negationem communicabilitatis, seu ordinabilitatis, vt quo, & vt quod ad vltiorem actum, &c. quam pro formali dicit subsistens creatum, suppositum, aut persona, non solum esse negationem actualem, & aptitudinalem, sed etiam repugnantiam. Alteram, quæ sustinet, id, quod in creatis denominatur subsistens, suppositum, seu persona, supra natura substantialem, completam, & indiuidualiter existentem, nullam entitatem positivam superaddere: & consequenter negationem communicabilitatis, seu ordinabilitatis, vt quo, & vt quod ad vltiorem actum, &c. quam pro formali dicit subsistens creatum, suppositum, aut persona, seu in qua ratio subsistentiæ formaliter consistit, solum esse negationem actualem, & aptitudinalem.

18 Est autem antiqua, & nõ modica controuersia inter discipulos Scoti; tum in explicando, quæ ex prædictis sententijs fuerit Scoti; tunc etiam in declarando, quæ ex illis maiori gaudeat probabilitate. Nam

Scotistarum quidam asserunt, non solum esse Scoti secundam sententiam, & esse veriorum, & amplectendam. Hi sunt Basolis in 3. d. 1. q. 1. art. 1. Franciscus Maironis q. 8. Ouandus q. 1. art. 3. cub. 2. Philippus Faber disp. 2. cap. 3. & nouissimè Mauritius libr. 3. metaph. sect. 4.

19 Alij verò defendunt, non solum esse veriorum primam sententiam; (quæ in schola D. Th. & apud Suarez in metaph. disp. 34. sect. 2. Vazquez tom. 1. in 3. part. disp. 31. Hurtado disp. 11. metaph. sect. 3. & communiter, apud recentiores alios recepta est) sed etiã Doctorem subtilem ipsi magis fuisse inclinatum. Hi sunt Lichetus in 1. d. 28. quæst. 2. & in 3. d. 1. q. 1. & Rada tom. 1. controuersiarum controu. 22. & tom. 3. controuers. 1. art. 3.

20 Ego verò existimo, cum Pitigiano in 3. d. 1. q. 1. quantum attinet ad mentem Scoti, re vera in secundam sententiam magis inclinasse, licet primam non reputet improbabilem, sed potius vt veram aliquando supposuisse; quantum verò attinet ad rem vtrâque sententiam esse defensibilem.

21 Primum ex his assertis, quantum attinet ad priorem partem, constat ex 3. sentent. dist. 1. q. 1. (qui est locus, vbi Scotus magis ex professo hanc quæ-

quæstionem disputauit) licet enim, §. *Ideo propter istum* ponat duas sententias vnam, quæ ponit, personam supra naturam singularem addere entitatem positivam; & alteram, quæ negat entitatem positivam addere, sed solum negationem communicationis actualis, & ipsas appellet probabiles; tamen vtramque impugnat: & §. *Non asserendo* eligit viam mediam inter istas duas, scilicet, sententiam, quæ dicit, personam, neque addere supra naturam singularem entitatem positivam; neque solum dicere negationem actualis communicationis, sed dicere duplicem negationem communicationis, vt quo, & vt quod, actualem, scilicet, & aptitudinalem, quæ est sententia, in quam dicimus Scotum magis inclinasse.

22 Neque obstat, quòd dicat, se eligere hanc mediam viam non asserendo. Tum, quia non solum refutat sententiam ponentem, personam supra naturam singularem addere entitatem positivam, sed etiam solvit rationes pro ipsa factas: rationes autem factas pro sententia, quæ affirmat, solum dicere negationem communicationis solum soluit in quantum contendunt sufficere negationem actualis communicationis ostendendo etiam esse requisitam negationem communicatio-

nis aptitudinalis. Tum etiam, quia d. 6. q. 1. §. *Concedo* loquens de subsistentia (quæ, vt dictum est, in creatis idem est pro formali, ac personalitas, seu suppositalitas) expressè dicit, supra naturam singularem, & existentem nihil addere, nisi negationem duplicis dependentiæ, seu communicationis, sicut dictum est (inquit) de personalitate d. 1. q. 1. Et eandem doctrinam vt verã supponit quolib. 19. artic. 3.

23 Quoad posteriorem verò partem constat hoc primum assertum ex loco tertij sententiarum citato; vbi §. *Ideo propter istum* expressis verbis appellat Scotus probabilem primam sententiam sustententem personam supra naturam singularem addere entitatem positivam. Tum etiam, quia in eodem 3. d. 1. quæst. 4. vt probabilius sustinet Scotus nullam esse repugnantiam in hoc, quòd suppositum, vel persona creata terminet hypostaticè naturam alienam: esset autem aperta repugnantia, si suppositum, vel persona creata supra naturam singularem solum adderet negationes, & non aliquam entitatem positivam: ergo ad hoc assertum supponere tenetur Scotus, suppositum, vel personam creatam supra naturam singularem addere entitatem positivam. Minorem probo, quia, cum suppositum, vel persona

creata solum possit terminare hanc dependentiam per id, quod addit supra naturam singularem, si id solum esset negatio, & non aliquid posituum, implicatio esset in hoc, quod suppositum, vel persona creata hypostaticè terminaret dependentiam alienæ naturæ; siquidem dependentia hæc aliquid posituum est, & implicationem involvit, quod dependentia positua habeat pro termino negationem.

24. Nec vim huius rationis evacuat id, quod respondent Faber, Mauritius, & alij, videlicet, hanc duplicem negationem, quam supra naturam singularem addit suppositum, vel persona, non esse id, quod terminaret dependentiam naturæ alienæ, sed solum rationem formalem terminandi; id autem, quod terminaret, esset natura singularis, quæ quid posituum est.

25. Hoc (inquam) vim rationis factæ non evacuat; nam sicut ad terminandum relationem realem, non sufficit, quod extremum, quod terminat, sit reale, sed etiam requiritur, quod sit realis terminus formalis, seu ratio terminandi, et quod primum, & per se, à quo dependet relatio, est terminus formalis; nam à termino totali pendet ratio formalis: ita ad terminandum relationem, seu dependentiam posituam (qualis esset,

quam diceret in subsistendo natura ab alieno supposito, seu persona creata) non sufficeret, quod terminus materialis esset posituus, sed etiam præcipuè hoc requireretur in termino formali; nam foret ratio, ob quam hoc competeret termino materiali, seu totali.

26. Secundum verò assertum (scilicet, utramque hanc sententiam esse defensabilem) non alia ratione melius probari potest, quam adducendo argumenta, quæ contra utramque afferri solent, & ipsis satisfaciendo.

27. Et quidem contra primam sententiam in primis adduci possunt rationes, quas ponit Scotus. Prima desumpta est ex inconuenienti, quod sequeretur ex eo quod subsistens suppositum, aut persona creata diceret aliquam entitatem posituam superadditam naturæ singulari, scilicet, quod daretur aliquod posituum in creatis, quod diuinum Verbum assumere non posset, quod maximum videtur inconueniens. Tum, quia iam aliqua entitas creata non esset in obedientia sui creatoris. Tum etiam, quia illa entitas non posset curari à peccato; quia secundum Damascenum libr. 3. de fide cap. 6. quod non est assumptibile, vel assumptum, non potest curari.

28. Ad hanc rationem optimè respondent Caiet. & alij, nul-

lulum esse inconueniens dari aliquam entitatem posituam in creatis (scilicet, illam, per quam natura constituitur in esse suppositi, vel personæ) quæ assumi hypostaticè ab aliqua persona diuina non possit. Et ad primam probationem dicimus, quod sicut non est inconueniens, quod natura accidentalitè non sit in potentia obedienti ad hoc, ut assumatur hypostaticè ab aliqua diuina persona, eo quod talis assumptio illi repugnat; ita censei non debet inconueniens, quod idem asseratur de illa entitate positua, quam suppositum, vel persona addit supra naturam singularem; siquidem in ipsa respectu prædictæ hypostaticæ vnionis magis aperta repugnantia reperitur, quæ in natura accidentali.

29. Ad secundam probationem negamus sequelam, & ad Damasceni auctoritatem dicimus loqui in ipsa de partibus constituentibus naturam in essetalis, ut sunt anima, & corpus. Agebat enim contra quosdam Hæreticos, qui dicebant, Verbum non assumpsisse animam, sed carnem. Contra hos ergo optimè colligit, Verbum assumpsisse animam, ex eo quod anima fuit libera à peccato, & quod non est assumptibile, non est curabile. Quod intelligendum est, quando id, quod non est assumptibile, capax est im-

mediate, & per se tam infirmitatis, quam curationis, ut est anima; nam si non est capax immediate infirmitatis, & curationis, sed ratione alterius, (ut contingit in personalitate, quæ solum est capax tam infirmitatis peccati, quam curationis ab ipso ratione naturæ, cuius est personalitas) satis ad hoc est, ut possit curari, quod sit assumptibilis illa natura, ratione cuius est capax tam infirmitatis peccati, quam curationis ab ipso.

30. Secunda ratio, etiam est desumpta ex alio inconuenienti, quod ex hac sententia sequeretur, scilicet, quod Christus Dominus non esset perfectus, & vniuocè homo cum alijs; siquidem deficeret ei aliqua entitas positua; quæ est in alijs hominibus.

31. Respondetur facile negando sequelam. Ad probationem dicimus, ad hoc, quod Christus Dominus sit perfectus, & vniuocè homo cum alijs, non esse requisitum, quod habeat subsistentiam, seu personalitatem eiusdem rationis cum illa, quam habent ceteri homines; (Alijs etiam si dicamus subsistentiam, seu personalitatem creatam esse solas negationes, non posset sustineri, Christum Dominum esse perfectum, & vniuocè hominem cum alijs; cum subsistentia, seu personalitas, quam habet Christus Dominus, sit

diuersa, imò opposita prædictis negationibus.) Sed satis esse, quòd humanitati Christi Domini, nihil deficiat ex his, quæ conueniunt humanitati aliorum hominum, siue illud conueniat, vt prædicatum essentiale prædictæ humanitatis, siue vt pars integralis, siue vt modus intrinsicus esse naturalis, & essentialis illius, vt sunt finitas, & existentia. Et ratio à priori est; quia forma, à qua Christus habet, quòd sit homo, non est personalitas hominis, sed humanitas, quam habuit Christus completissimam indiuiduam, & existentem indiuiduatione, & existentia propria.

32 Tertia ratio esse potest; quia entitas positua non potest de nouo produci sine aliqua actione noua. Sed, si Verbum, postquam assumpsit humanitatem, illam dimitteret, illa natura re vera maneret in propria subsistentia, seu personalitate, & sine noua aliqua actione: (ibi enim nulla alia esset actio noua, quam dimissio; per quam non acquiritur aliquid, sed potius perditur) ergo propria subsistentia, seu personalitas naturæ creatæ non est aliqua entitas positua superaddita naturæ singulari.

33 Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; nam in casu, quo Ver-

bum dimitteret humanam naturam, esset tunc, præter dimissionem, quædam alia noua quasi actio, per quam resultaret propria subsistentia, seu personalitas in illa natura, scilicet, emanatio propriæ subsistentiæ, seu personalitatis à natura substantiali completa indiuidualiter existente; quæ emanatio impeditur per assumptionem à Verbo; non fecus, ac in casu, quòd ab aqua calida auferretur calor, qui impedit eius frigiditatem, statim pullularet ab illa per quamdam simplicem emanationem frigiditas: & per diuisionem continui pullulant indiuisibilia terminatiua partium, quæ discontinuantur: & in sententia Thomistarum, qui tenent, passionem distinguunt realiter ab essentia, emanarent prædictæ passionem.

34 Quarta ratio est; quia videtur sequi ex hac sententia, posse Deum potentia sua absoluta conseruare naturam substantialem completam indiuidualiter existentem absque propria, vel aliena subsistentia, vel personalitate.

35 Respondetur concedendo sequelam. Neque hoc reputo inconueniens, sed necessario fatendum in hac sententia (Scio, plures oppositum affirmare) siquidem posset Deus producere prædictam naturam, absque coniunctione cum aliena perso-

so

sona, & impedire resultantiam propriæ personalitatis, non concurrente ad emanationem, per quam resultat: & insuper in hac sententia esse per se, & esse in alio (sumpto esse per se non in primo sensu ex tribus sectione præcedenti à numero 3. enumeratis, scilicet, pro existere solitariè, sed in tertio, scilicet, pro habere actualitatem ultimam ita, quòd non sit per se ordinabile ad aliquem actum simpliciter ultra istum, quem habet, &c. quod est, de quo in præsentibus est sermo) non sunt immediatè opposita; cum non priuatiuè, sed positiuè opponantur, & inter positiuè opposita assignabile sit medium, scilicet, negatio vtriusque extremi positiui.

36 Quinta denique ratio est; quia non apparet, quid esse possit hæc entitas positua; nam neque est accidens; (vt per se manifestum est) neque substantia; (Nam si esset substantia, esset vel materia, vel forma, vel compositum ex his: constat autem nihil horum esse) nec modus substantialis; nam in persona præter existentiam, quæ est entitas modalis, per quam natura singularis habet, quòd sit actu, & extra causas, nullus alius modus substantialis excogitari potest: hæc autem entitas non potest esse existentia, cum hæc entitas distinguatur realiter ab essentia actuali, secus verò existentia.

37 Respondetur, (relictis varijs sententijs, quæ de hac re esse solent) hanc entitatem esse modum quemdam substantialem aduenientem naturæ completæ substantiali indiuiduæ, & actualiter existenti, necessarium ad complementum substantiale illius, non in ratione naturæ, sed in ratione suppositi, seu personæ; qui modus realiter distinguitur ab ipsa natura substantiali indiuidua, & actualiter existenti, cum possit prædicta natura esse sine illo, vt patet in mysterio Incarnationis, facereque cum illa compositionem veram, & realem, non metaphysicam, qualis est ex genere, & differentia; neque physicam, qualis est ex materia, & forma; sed alterius rationis, scilicet, ex termino, & reterminata, facièntibus vnum per se in genere personali, seu suppositali.

38 Deinde contra secundam sententiam, quæ ponit, subsistens, suppositum, seu personam non dicere aliquam entitatem posituam supra naturam singularem, quæ sit radix, & fundamentum negationum communicationis, quas ista dicunt pro formali, solet obijci. Primò, quòd ex hac positione sequeretur, quòd sicut verè dicimus, aer tenebrosus potest illuminari; ita verè dicere possemus persona, seu suppositum creatum potest assumi ab aliqua diuina persona: quod absurdum est;

aa 3

nam

nam omnes Patres supponunt, personam, seu suppositū creatum ad vnitatem personæ nūllatenus assumi posse. Sequela patet: nam sicut aër tenebrosus nihil aliud est, quàm substantia aëris cum negatione lucis; ita persona, seu suppositum in hac secunda sententia nihil aliud est, quàm natura substantialis singularis cum negatione communicationis, seu ordinationis ad vltiorem actū, &c.

39 Respondetur negando sequelam; est enim dispar ratio, & valde diuersus sensus vtriusque propositionis. Nam sensus prioris est; aër, qui nunc est tenebrosus, depulsis tenebris, & in sensu diuiso, illuminari potest. At posterioris propositionis sensus est; natura manens cum negationibus communicationis, seu ordinationis ad vltiorem actum, &c. & in sensu composito, communicari, & ordinari potest ad vltiorem actum, &c. Et ratio huius discriminis est; quia etiamsi aër tenebrosus dicat negationem lucis, sicut suppositum, seu persona negationes communicationis, seu ordinationis ad vltiorem actum, &c. tamen suppositum, seu persona dicit has negationes intrinsecè; at aër tenebrosus dicit illas, vt quid ipsi aëri extrinsecum. Vnde de persona, seu supposito nequit in sensu diuiso verificari, quod pos-

sit assumi, sicut de aëre tenebroso, quòd possit illuminari. Possemus autem rectè concedere, (& in hoc eadem est ratio, ac de aëre tenebroso) naturam, neque actu, neque aptitudine communicatam, seu ordinatam ad actum vltiorem, &c. posse communicari, & ordinari ad vltiorem actum, &c. scilicet, ad alienum suppositum; quia, cum hæ negationes non sint naturæ intrinsecæ, prædicta propositio potest accipi in sensu diuiso.

40 Secundò solent obijci Patrum auctoritates, in quibus duo solent ponderari. Primum est, Patres arguentes contra Nestorium ponentem, Verbum assumpsisse personam humanam, numquam redarguisse illum contradictionis, quam manifestè involueret, si persona supra naturam negationes communicationis, seu ordinationis ad vltiorem actum, &c. includeret: ergo hoc fuit, quia Patres sentiebant, personam supra naturam non negationes communicationis, seu ordinationis ad vltiorem actum, &c. sed aliquid positiuū dicere. Secundum est in sententia ista, quæ ponit, personam supra naturam non addere aliquid positiuum, sed tantum negationes, non verificari, naturam esse assumptam, & non esse assumptam personam in ea proprietate, & rigore, quo ista proferunt Patres loquētes contra

tra Nestorium; nam in hac sententia non est verum, aliquid esse assumptum (scilicet, naturam) & aliquid non; (scilicet, personam) sed id, quod assumptum est, propterea non esse personam, quia assumptū est; assumptum tamen fuisse totum entitatis, quod est persona, vel suppositum. Imò addit Hurtado, (quod ipse valde exagrat) in hac sententia prædictam locutionem, seu definitionem Cōciliorum, & Patrum esse ridiculam, & nugatoriam; nā faceret hunc sensum, *Verbum assumpsit humanitatem non relinquēs ipsam in assumptam.*

41 Ad primum ex his dicimus, militare etiam contra ponentes, suppositum, seu personam supra naturam singularē addere entitatē positiuam; siquidem ita hoc affirmant, vt non excludant à ratione personæ, seu suppositi prædictas negationes, sed dicant, illas etiā includere, vt quid per se, & necessariò secutum ad illam entitatem positiuam, quam supra naturam addit suppositum, vel persona. In omni ergo sententia militat obiectio facta; atque omnibus necessarium est, reddere rationem, cur Patres arguentes contra Nestorium ponentem, Verbum assumpsisse personam, seu suppositum, illū non redarguerint cōtradictionis. Et respondemus pro omnibus, rationē fuisse, quia Nestorius non dicebat, Verbum

assumpsisse personam, seu suppositum hypostaticè, & ad vnitatem suppositi: hoc enim pacto diceret manifestam cōtradictionem; siquidem persona, vel suppositum intrinsecè includit negationem, non solum actualem, sed etiam aptitudinalem; imò in sententia, quæ sustinet personam, seu suppositum, vltra naturā singularem addere entitatem positiuā, negationem repugnantiam huius communicationis, seu assumptionis; sed quod dicebat, erat, Verbum assumpsisse personam humanam per affectum, & cōiunctiones alias similes accidentales (de quibus in materia de Incarnatione disputatur) in quarum negatione incommunicabilitas, quæ est de ratione suppositi, seu personæ non consistit, sed, optimè compatitur cū illis; & sic in suis dictis nullam involvebat contradictionem, de qua redargui posset à Patribus.

42 Ad secundum dicimus, ad rigorem illarum propositionū, *Verbum assumpsit naturam; Verbum non assumpsit personam*, vt à Patribus prolatae sunt contra Nestorium, parum referre, quòd persona supra naturam singularē addat, vel non addat entitatem positiuam. Nam Patrum intentum in his locutionibus solum fuit, destruere coniunctionem accidentalem, & per affectum, quam inter Deum, & hominē Christum ponebat Nestorius;

& astruere coniunctionē substantialem, & hypostaticam, quam ponit fides. Et quia illa coniunctio accidentalis, quam ponebat Nestorius, optimè cōpatiebatur cum personalitate creata (sive in positivo, sive in negatio consistat) non verò coniunctio substantialis, & hypostatica, quam ponit fides, optimè explicuerunt Patres fidē catholicam, atque Nestorij errorem reiecerunt dicētes, *Verbum assumpsit naturam, & non assumpsit personam*; siquidem prædicta locutione adstruebant unionem hypostaticam, & substantialem, quam ponit fides; & unionem accidentalem, & per affectum, quam Nestoriana hæresis constituēbat, abnuebant. Undē, cum sensus ille ridiculus, & nugatorius prædictę locutionis Patrum, & Conciliorum, quem imponit Hurtado asserentibus, personā creatam supra naturam singularem solum addere duplicem negationē, tantum possit esse verus in hypothesi, quod Nestorius poneret hanc contradictionē, scilicet, *Verbum assumpsit personā ad unionem hypostaticā*; non verò in sensu, quo ipse (licet errādo) sine contradictione hoc asseruit, scilicet, *Verbum assumpsit personam unione accidentali, & per affectum*; obiectio ista Patris Hurtado non infert, in sentētia asserentium, personam creatā supra naturam singularem solum addere negationes, prædictas.

Patrū locutiones facere illum sensum ridiculum, & nugatorium: sed re vera, quod infert, est, ipsum, neque sensum hæresis Nestorianæ, neque sensum, in quo contra Nestorij Patres, & Concilia prædicta verba protulerunt, degustasse, quanto minùs calluisse.

43 Tertiò potest obijci, quod negatio non competit alicui immediatè, sed ratione alicuius entitatis positivæ: ergo præter istas negationes communicationis, &c. assignanda est in natura subsistente, personalizata, seu suppositata aliqua entitas positiva ipsi superaddita, ratione cuius ei prædictæ negationes conveniant.

44 Respondetur distinguēdo antecedens; triplex enim assignari potest negatio (vt in solutione huius rationis, quā sibi met obijcit Scotus ipse annotavit) scilicet, actualis, aptitudinalis, & repugnantia. Si sermo sit de negatione actuali, antecedens est falsum; potest enim negatio actualis competere alicui rei immediatè, & non ratione alicuius entitatis positivæ. Si enim Deus auferret a superficie omnem colorē, tunc illa negatio actualis coloris immediatè competeret superficie, & non ratione alicuius formæ, seu entitatis positivæ productæ in superficie.

45 Si sermo sit de negatione aptitudinali, fateor, nō posse competere alicui, nisi ratio-

ne

ne alicuius entitatis positivæ, quia illa aptitudo aliqua entitas est, & negatio non potest esse principium constitutum entis. Tamen in præsentī dicimus, negationem aptitudinalē communicationis, seu ordinationis ad vltiorem actū, &c. quæ est ex requisitis ad rationem subsistentis, personæ, seu suppositi, competere naturæ completæ singulari, & existenti ratione entitatis positivæ, sed non superadditæ ipsi naturæ, vt sic (sicut volunt auctores oppositæ sententiæ) sed ratione suæ met entitatis: ex eo enim præcisè, quod natura substantialis completa sit singularis, & existens, apta nata est, non communicari, seu ordinari ad vltiorē actū, &c.

46 Neque ex hoc infertur (vt aliqui contendunt) nō potuisse prædictam naturam substantialem assumi à Verbo diuino; nam benè stat, quod aliqua natura ex se non sit apta nata esse in alieno supposito; & quod nihilominus ab agente infinito (vt est Deus) vniatur supposito alieno. Et hoc est, quod de facto contingit in mysterio Incarnationis.

47 Quod si dicas, sequi ex hoc naturam humanam in Verbo non carere totaliter, & adæquatè propria personalitate; siquidem ex duabus negationibus cōmunicationis, &c. aptitudinali, scilicet, & actuali, ex quibus conflatur propria persona-

litas, adhuc manet in natura humana assumpta à Verbo prima negatio.

48 Respondetur negando sequentiā, cuius ratio est, quia, cum propria personalitas (sicut & essentia cuiuscūq; alterius rei) consistat in indiuisibili, ablata quacūque ex his duabus negationibus, quas ad eius essentiā requirimus, aufertur à natura totaliter, & adæquatè ratio propriæ personalitatis.

49 Si demum negatio sit repugnantia, concedimus non posse conuenire rei, cui antea non conueniebat, nisi ratione alicuius entitatis positivæ de nouo superadditæ, vt patet in indiuidua natura, cui repugnat diuidi in plura singularia, quam repugnantia non habet, antequam sit contracta ad esse indiuiduæ; & ideo optimè docuimus q. 1. sect. 1. huius disputationis, principiu, per quod constituitur in esse indiuiduæ, non esse negationem præcisè, sed aliquid posituum, ad quod prædicta negatio repugnantia consequitur. Tamen in proposito, quia natura subsistens, seu personata in creatis, non dicit negationem repugnantia comunicabilitatis, &c. sed solam negationē actualem, & aptitudinalē, ideo dicimus, ad hoc, vt constituitur in esse subsistentis, seu personatæ, præter esse naturæ substantialis completæ indiuidualiter existentis, quod est,

ad.

ad quod sequitur negatio communicationis, seu ordinationis aptitudinalis ad ulteriorem actum, &c. nullam aliam entitatem positivam superadditam requiri.

50 Quartò solet obijci; subsistens, suppositum, seu persona creata est prima substantia, & consequenter vnum per se substantiale: ergo non constituitur in esse talis per prædictam duplicem negationem.

51 Respondetur distinguendo antecedens; pro materiali, & denominato, concedo; sic enim nihil aliud est, quam natura substantialis completa individualiter existens: pro formali, & pro per se significato, nego; nam vt sic potius est prædicta duplex negatio.

52 Dices: subsistentia, seu personalitas est vltimum complementum naturæ substantialis. Sed vltimum complementum naturæ substantialis est substantia: ergo & subsistentia, seu personalitas erit substantia; & non duplex negatio.

53 Respondetur distinguendo antecedens; in esse naturæ, nego: (Est enim natura substantialis ante aduentum subsistentiæ, seu personalitatis vltimatè completa in esse naturæ: aliàs in Christo Domino non esset natura humana completa in esse propriæ naturæ) in esse subsistentis, seu suppositi, concedo: sed nego minorem in hoc sensu, cum natura in esse subsi-

stentis, seu personæ solùm dicat incommunicabilitatem, seu inordinabilitatem, vt quo, & vt quod ad ulteriorem actum, &c. quæ non in entitate substantiali, sed in negationibus consistit.

54 Instabis adhuc: ergo saltem subsistens, seu persona pro coniuncto ex materiali, & formali non erit vnum per se, sed vnum per accidens, non secus, ac est hoc concretum cæcus.

55 Respondetur ita esse. Neque hoc vllum reputamus inconueniens; sat enim est, quod subsistens, seu persona pro materiali, & denominato sit vnum per se substantiale; & quod pro formali, & per se significato, licet sit, quid negatiuum, hoc negatiuum sit quædam forma dicens in suo ordine vnitatem per se vnam. Quod si communiter dici solet, subsistens, seu suppositum dici per se vnum; hoc debet accipi in sensu, in quo omne concretum negatiuum (scilicet, cæcus, surdus, &c.) dici solet per se vnum, nimirum, quia expositiuo, & negatiuo, quæ includit, solam dicit in recto, & pro per se significato negationem, quæ in suo genere habet vnitatem per se vnam: positiuum verò solùm dicit in obliquo, & pro denominato, seu connotato.

56 Quintò arguit Hurtado à simili de diuina persona; nam, cum diuina persona præter negationes communicabili-

tatis, quas dicit pro formali, dicat etiam, vltra naturam diuinam indiuiduam, & existentem, entitatem quamdam positivam, scilicet, relationem originis, ad quam prædictæ negationes consequuntur, non apparet, cur hoc idem affirmari non debeat de persona creata; præsertim cum persona creata sit quædam participatio personæ diuinæ.

57 Respondetur cum Scoto, idè personam diuinam sumptam materialiter, & pro denominato (scilicet pro Patre, Filio, atque Spiritu Sancto) vltra naturam diuinam singularem, & existentem, dicere aliam formalitatem positivam; (scilicet, relationem originis) personam verò creatam, præter naturam substantialem completam individualiter existentem, nullam aliam entitatem, seu formalitatem importare, quia incommunicabilitas, quam quælibet Persona diuina dicit pro formali, & pro per se significato, non solùm consistit in negationibus actualis, & aptitudinalis communicationis, sed etiam in repugnantia ad se communicandum; & sic præter naturam diuinam requirunt aliam formalitatem positivam, ratione cuius eis conueniat ista repugnantia. At incommunicabilitas, quam personæ creatæ dicunt pro formali, & pro per se significato, solùm consistit in

negationibus actualis, & aptitudinalis communicationis, ad quarum resultantiam nulla entitas positiva superaddita naturæ substantiali, completæ individualiter existenti (quæ est, quæ in creatis denominatur persona à prædictis negationibus) requiritur; nam actualis negatio communicationis conuenit ei per hoc præcisè, quòd alieno supposito nõ vniatur; aptitudinalis verò, et si conueniat ei per aliquam entitatem positivam, tamen hæc entitas positiva non est aliquid superadditum ipsi naturæ substantiali completæ individualiter existenti; sed potius ipsa natura substantialis completa individualiter existens. Nec refert, quòd persona creata sit participatio diuinæ Personæ, quia hæc participatio non est vniuoca, & eiusdem rationis; sed solùm dicitur talis per quamdam analogiam, & attributionem; quòd non est speciale in personis, sed commune omnibus perfectionibus creatis, quæ dicuntur participationes diuinarum perfectionum.

58 Vltimò, argui idem Author ex mysterio Incarnationis; vbi fides docet, non mansisse in Christo Domino duas personalitates, humanam, scilicet, & diuini Verbi; sed tantum personalitatem diuini Verbi; cuius oppositum (inquit Hurtado) ex sententia Sco-

Scotistarum sequitur. Nam negari non potest Christi humanitati competere duplicem negationem aptitudinalis, scilicet, & actualis dependentiæ ab alieno supposito; in qua Scotistæ rationem formalem personalitatis humanæ constitutum: nam negationem dependentiæ aptitudinalis, & admittit in prædicta humanitate Scotus, & nos numer. 45. admisimus; quod etiam admittenda sit negatio dependentiæ actualis, pluribus contendit hic author comprobare.

59 Primò, quia omnes conceptus reales, (siue sint ad essentiam, siue ad indiuiduationem, siue ad existentiam naturæ humanæ spectantes) quos habet natura humana, dum est vnita Verbo, permanerent in ipsa, si à Verbo dimitteretur: (vt libenter Scotus, & eius asseclæ fatentur) ergo humanitas Christi, dum est in Verbo, non dependet actualiter ab ipso, neque in sua essentia, neque in sua indiuiduatione, neque in sua existentia.

60 Secundò, quia demus (inquit hic author) humanitatem Petri, iam existentis vniri Verbo diuino; illa humanitas ante vnionem non dependebat à suppositalitate propria, (quia hæc per Scotistas est negatio, à qua nihil potest physicè dependere) sed solum à suis causis. Ad facta vnione

ad Verbum permanet eadem causæ cum suis causalitatibus, & solum amittitur negatio vnionis, à qua humanitas non dependet: ergo humanitas vnita Verbo est ab illo actualiter independens, non secus, ac erat ante vnionem.

61 Tertio, & vrgentiùs, quia Verbum per vnionem ad naturam humanam solum præstat illi, quod aliàs præstaret propria personalitas, si adesset. Sed à propria personalitate, si adesset, non depèderet humanitas: (quia in Scotistarum sententia est negatio, & humanitas, cum sit quid posituum, nõ potest pendere à negatione) ergo, neque etiam dependet à Verbo post vnionem. Quod si propria personalitas esset principium à quo penderet humanitas, penderet vtique à Verbo supplete vices illius: at nõ supplet vices alicuius rei, à qua dependet humanitas: ergo neque pendet à Verbo per vnionem.

62 Ad hanc obiectionem (quæ est Achilles Patris Hurtado) posset aliquis respondere, non procedere contra sententiam Scotistarum; nam negationes, in quibus Scotistæ constituimus rationem substantiæ, seu personalitatis, non sunt negationes dependentiæ, sed negationes communicabilitatis, seu ordinabilitatis ad vltiorem actum, &c. (vt ex dictis nu. 2. & 3. patet) & luce

cla-

clarius est, humanitati, quæ est vnita Verbo, negatione actuali huius communicationis, seu ordinationis nõ competere, cum actu comunicata, seu ordinata sit ad actum personalitatis Verbi diuini.

63 Sed certè non est, cur ad has metas sententiam Scotistarum, quam probabilissimam reputo, & in quam magis inclinat Scotus redigamus. Nã, præterquam quod impossibile iudico, quod aliqua res comunicetur, seu ordinetur ad alium actum, vltra illum, quæ habet, qui quidem actus sit actus eius per se, & quod ab illo actu non dependeat, saltem quoad effectum formalem, quem accipit ab illo, negari non potest in sententia Scoti, naturam humanam vnitam Verbo in ratione subsistendi dependere à Verbo. Imò, quia per hanc vnionem Verbum diuinum terminauit adæquatè dependentiam, quam natura humana dicit in subsistendo ad personalitatem propriam, sustinet ipse Scotus in 3. d. 1. quæst. 2. implicare contradictionem, quod natura humana semel assumpta à diuino Verbo, simul assumatur ab alia diuina persona.

64 Respõdemus ergo ad obiectionem Petri Hurtado, falsum omninò esse humanitatè, quæ vnita est diuino Verbo, nõ actualiter pendere ab ipso in subsistendo, seu quoad hunc

effectum formalem, scilicet, nõ esse comunicabilè, seu ordinabilè ad alium actum simpliciter vltra actum diuinæ substantiæ, quæ per vnionem hypostaticam participat, qui quidè actus vltior possit esse actus eius per se, vel primò, vel participatiuè. Et sic falsum supponit, dū dicit in humanitate Christi esse negationem dependentiæ, nõ solum aptitudinalem, sed etiam actualè ab alieno supposito; in quibus Scotistæ rationem propriæ personalitatis constituimus 65 Ad probationes autem, quas congerit Hurtado, respõdemus, duobus modis posse intelligi, quod natura humana pendeat, tam à propria substantia, seu suppositalitate, quam à substantia, seu personalitate diuini Verbi per terminationem extrinsecam supplementem vices propriæ substantiæ. Primò quoad suam entitatè realem, siue essentia, siue indiuiduationis, siue existentia. Secundò quoad effectum formalem subsistendi, seu incommunicabilitatis, & inordinabilitatis ad actum vltiorem, &c. Primo modo fatemur liberissimè, naturam humanam, neque à propria personalitate, quando illam habet, neque à personalitate diuini Verbi, quando illi est vnita, dependere. Et hoc optimè demonstrant rationes Petri Hurtado; quas frustra adducit, atque multiplicat, cum hoc & ab Scoto, & ab eius asseclis

re-

recipiatur. At secundo modo falsum est, humanitatem non pendere quasi in genere causæ formalis, tam à propria personalitate, quando illam habet, quàm à personalitate diuini Verbi, cum loco propriæ per vnionem hypostaticè illi cõmunicatur. Neque admirari debuit Hurtado hoc assertum in sententia Scotistarum, qui subsistentiam, seu personalitatem propriam naturæ humanæ in negationibus constitui-mus: nam, si effectus formalis subsistendi, quem præstat subsistentia, seu personalitas propria naturæ humanæ, & in quo tantum natura humana dicitur ab ea dependere, totus est negatiuus, quid mirum, quòd ipsam subsistentiam, seu personalitatem propriam naturæ humanæ in negationibus constituamus?

66 Potius mirari debuit, quomodo diuina Verbi personalitas, quæ quid positium est, potuerit ad præstandum hunc effectum formalem negatiuum loco propriæ personalitatis subrogari, vt de facto subrogata est in sacrosancto Incarnationis mysterio. Sed facile respondemus, in personalitate diuini Verbi posse nos duo considerare, scilicet, & id, quod denominatur personalitas; (quod quid positium est) & formam, à qua hoc positium habet, quod sit, & denomi-

tur. formaliter personalitas, quod est quid negatiuum, scilicet, ratio incommunicabilitatis. Licet ergo ratione prioris personalitas diuina nõ præstet effectum formalem, quem præstaret personalitas propriæ naturæ humanæ, nisi tantum radicaliter; tamen ratione posterioris illum formaliter præstat; & sic optimè potuit supplere vices propriæ personalitatis, seu loco illius subrogari.

67 Ex quibus patet, non leuiter allucinatum fuisse Hurtado in hac sua vltima obiectiõne, non distinguendo inter dependentiam naturæ humanæ quoad suum esse reale, & quoad effectum formale subsistendi, seu incommunicabilitatis existendi: quod si distingueret, non ita garrulus in Scoticos, quorum mentem non caluit, extitisset, ipsos censurando, & quòd deteriorem partem (earum, quas vt probabiles proposuit Scorus) elegerint, in vrendo, & conuictando. Sed quid? sapientissimorum sententias, imò quas aliquando non caller, censurare consue-

surare consue-

uit.

SECTIO III.

Explicatur an subsistentia entis naturalis sit simplex, an composita?

68 **S**Varez 2. tom. Metaph. disp. 34. sect. 5. pro viribus defendit subsistentiam entis naturalis, seu compositi materialis non esse simplicem, sed compositam ex partialibus subsistentijs. Itaque hic auctor cuiusque parti entis naturalis, seu compositi materialis tribuit suam propriam, & partialem subsistentiam, non secus, ac tribuit suam propriam, & partialem essentiam, & suam propriam, & partialem existentiam: & ex his partialibus subsistentijs docet componi subsistentiam totius entis naturalis non secus, ac essentia, vel existentia totius entis naturalis componitur ex partialibus essentijs, vel existentijs. Et hoc extendit non solum ad partes essentielles, (vt sunt materia, & forma) sed etiam ad partes integrantes, imò ad modos reales substantiales, qui in composito inueniuntur.

69 Aduertit autem Suarez subsistentiam partialem materiæ esse, talis rationis, vt per ipsam possit existere separata ab omni forma; & idem dicit de subsistentia partiali animæ rationalis. Subsistentiam autem partialem aliarum formarum,

& similiter modorum substantialium dicit non esse sufficientem, vt formæ, & modi separatim existant; ac per consequens non mereri propriè nomen subsistentiæ, neque esse eiusdem rationis cum subsistentijs materiæ, & animæ rationalis.

70 Sed hæc sententia in aliquibus recentioribus sibilis appareat, merito tamen à Vazq. tom. I. tertie parti. cap. put. 32. vt noua reijcitur: enim conformius tam Theologis, quàm Philosophis antiquis non dari subsistentias partiales (sicut nec dantur partiales suppositalitates, vel personalitates) sed potius subsistentiam entis, seu compositi naturalis esse, quid indiuisibile, seu in indiuisibili consistens (non secus, ac est eius suppositalitas, vel personalitas) primo, & per se efficiens naturam substantialem indiuidualiter existentem totalem, & completam, & ratione illius eius partes tam essentielles, quàm integrales. Et solum inter ipsos controuersa fuit in explicando, an subsistentia, suppositalitas, vel personalitas (Hæc enim tria in creatis non distinguebant in formali significato, sed solum in materiali connotato) dicerent supra naturam substantialem indiuidualiter existentem totalem, & completam, aliquam entitatem positiuam? an verò solum aliquid negatiuum?

num) vt sectione præcedenti
visum est.

71. Et omiſſis alijs, negari nõ
põteſt, quod hæc ſit ſententia
Scoti: nam in 3. d. 2. q. 2. §. *Ideo
quantum ad iſtum articulum* ſuſti-
net, partes naturæ humanæ nõ
fuiſſe priùs natura aſſumptas,
vt quod à diuino Verbo, quàm
humanitatem, ſed potiùs pri-
mò, & per ſe aſſumptam fuiſſe
humanitatem, & eadem indi-
uiſibili vnione fuiſſe conſe-
quenter aſſumptas partes, ex
quibus talis humanitas coaleſ-
cit. Quod defendere non poſ-
ſet, niſi ſuſtinendo, partes non
habere proprias, & partiales
ſubſiſtentijs, ex quibus ſubſi-
ſtentijs naturæ humanæ com-
ponatur, ſed potiùs ſubſiſtentiã
naturæ humanæ eſſe, quid in-
diuiſibile primò, & per ſe con-
ueniens naturæ humanæ, & cõ-
ſequenter partibus, ex quibus
natura humana coaleſcit. Aliàs
falſum eſſet illud principium,
quod ad hoc probandum aſſu-
mit Scotus, videlicet, *illud fuit
priùs aſſumptum, vt quod, à diuino
Verbo, quod, ſi ſibi relinqueretur,
priùs ſubſiſteret propria ſubſiſtentiã,
&c.* vel, ſi eſſet verum, potiùs
ex illo colligeret oppoſitum.

72. Clariùs idem docuit Sco-
tus quolib. 9. §. *De ſecundo*, vbi,
cum ad probandum, adhuc po-
tentia Dei, non poſſe Angelum
eſſe formam materiæ, adduxiſ-
ſet hanc rationem, illud, quod
eſt ſimpliciter per ſe ſubſiſtens,
non potèſt eſſe forma materiæ.

Angelus eſt huiusmodi: ergo,
&c. progreditur Scotus ad pro-
bationem maioris huius ra-
tionis; & pro declaratione il-
lius ſuppoſita triplici acceptio-
ne entis per ſe, cuius ſupra ſect.
1. num. 3. mentionem fecimus,
ex profeſſo probat rationem
entis per ſe in tertia acceptione
ſumpti (qua ratione idem eſt,
ac ſubſiſtens) non poſſe, neque
formæ, neque materiæ, neque
in vniuerſum alieni habenti
rationem partis conuenire; &
hoc quadam ratione, quæ meo
videri eſt vnica ratio à priori
noſtræ ſententiæ; & ſic effor-
mari potèſt.

73. Illud dicitur propriè per
ſe ſubſiſtens, quod ita eſt in a-
ctualitate vltima, vt non ſit per
ſe ordinabile, neque actu, ne-
que aperturine ad alium actum
ſimpliciter vltra iſtam, quem
habet, qui quidem actus vlti-
rior poſſit eſſe actus eius per ſe,
vel primò, vel participatiuè.
Sed tam materia, quàm forma
(& in vniuerſum, omne, quod
habet rationem partis entis na-
turalis) non ſunt in hac vltima
actualitate: (Quippè copio,
quod ſunt partes, ſunt, vel actu
ordinate, vel ſaltem apte ordi-
nari ad alium actum ſimplici-
ter, ſeu ſubſtantialem vltra il-
lum, quem habent, ſcilicet, ad
actum, ſeu actualitatem totius
entis naturalis, cuius ſunt par-
tes: qui quidem actus vltior
potèſt eſſe actus eorum per ſe,
licet non primò, quia actuali-
tas

tas totius per ſe primò ſolum
competit ipſi toti; ſaltem par-
ticipatiuè; nam omnis pars par-
ticipat entitatem totius, cuius
eſt pars) ergo neque materia,
neque forma (& in vniuerſum,
neque vlla pars entis naturalis)
potèſt eſſe per ſe ſubſiſtens, &
conſequenter, neque vt ſic, ha-
bere propriam, & partialem
ſubſiſtentiã. Imò aſtruere,
partes, vt partes ſunt eſſe per
ſe ſubſiſtentes, & conſequen-
ter dari ſubſiſtentijs partia-
les, erit in dictis implicare,
cum ratio partis includat com-
municabilitatem, ſeu ordina-
bilitatem ad actum oppoſi-
tam incommunicabilitati, ſeu
inordinabilitati, quæ eſt de in-
trinſeca ratione ſubſiſtentiæ.

74. Et confirmatur hæc ra-
tio, nam etiam ſi in diuinis ſub-
ſiſtentijs non coincidat cum
ſuppoſitalitate, ſeu personali-
tate ob rationem, quam ſect.
1. numer. 6. adduximus: tamen
in creatis ſubſiſtentijs coin-
cidere cum ſuppoſitalitate,
ſeu personalitate, & ſimiliter
ſubſiſtens coincidere cum ſup-
poſito, ſeu persona, non ſo-
lum docet Scotus loco cita-
to, & communiter omnes Pa-
tres, & auctores antiqui, ſed
etiam fatetur Suarez (qui eſt
auctor oppoſitæ ſententiæ,) lo-
quendo de ſubſiſtentiã to-
tius entis naturalis: ergo ſicut
non admittimus dari ſuppo-
ſitalitates, ſeu personalitates
partiales, ſed ſolum concedi-

mus, personalitates, ſeu ſup-
poſitalitates eſſe, quid indiui-
ſibile, primò, & per ſe affi-
ciens totum compoſitum na-
turale, & mediante illo par-
tes, ex quibus tale compoſitum
intrinſecè coaleſcit; ita con-
cedere tenebimur, (niſi veli-
mus nouas nominum ſignifi-
cationes conſurgere) non ad-
mittere ſubſiſtentijs partiales,
ſed potiùs ſubſiſtentiã eſſe
quid indiuiſibile primò, & per
ſe afficiens totum compoſitum
naturale, & mediante illo par-
tes, ex quibus intrinſecè tale
compoſitum conflatur.

75. His adde, negari non poſ-
ſe ſubſiſtentiã totius eſſe v-
num per ſe non ſecus, ac eſt ip-
ſum totum, cuius ſubſiſtentiã
dicitur; aliàs ens, ſeu compoſi-
tum naturale, in eſſe ſubſiſten-
tis, & conſequenter in eſſe ſup-
poſiti, ſeu personæ eſſet tantum
vnum per aggregationem,
quod nimis abſurdum eſt. In-
intelligibile autem eſt, (non
ſolum in ſententiã, quæ ponit,
ſubſiſtentiã creatam in du-
plici negatione; ſed etiam in
ſententiã, quæ admittit, præ-
ter negationes, dicere aliquid
poſitiuum) quomodo poſſint
ſubſiſtentijs partiales, ſi daren-
tur, coniungi ad conſtituen-
dam vnã per ſe ſubſiſtentiã:
nam non poſſent coniungi
medio aliquo indiuiſibili;
(Loquor equidem de ſubſi-
ſtentijs partialibus partiũ eſſen-
tialium, ſcilicet, materiæ,

& formæ) nam ad hoc esset necessarium, quod ipsa materia, & forma, quarum subsistentiæ sunt, & quibus debent proportionari, medio aliquo indiuisibili essent coniunctæ, quod nullus admittit. Neque etiam vniri possent, vt res, & modus, siquidem vtraque subsistentia partialis esset inodus. Neque demum, vt actus, & potentia, quia subsistentia est vltima actualitas, quæ proinde per aliam actuari nequit.

76 Dices; etiam existentia est vltima actualitas, & nihilominus supra admissimus existentiam materiæ primæ esse in potentia respectu existentiae formæ; ac per consequens posse optimè existentiam materiæ primæ, & existentiam formæ substantialis coniungi, vt potentiam, & actum ad constandam vnam per se existentiam totius. Cur ergo hoc specialiter denegamus duabus partialibus subsistentijs materiæ, & formæ, si darentur?

77 Respondetur, existentiam dici vltimam actualitatem in ordine ad potentiam obiectiuam, non verò in ordine ad subiectiuam: & sic non mirum, quod aliquid maneat in potentia subiectiuam respectu alicuius, quod sit actus per se illius, non obstante, quod sit actualiter existens; imò quod aliquid sit actualiter existens, & extra potentialitatem obiectiuam ad hoc, vt actu sit subie-

ctum, seu in potentia subiectiuam, est conditio per se, & necessariò requisita. At subsistentia, cum sit vltima actualitas in ordine ad potentiam subiectiuam, implicationem involvit, quod ipsa maneat in potentia subiectiuam respectu vltioris actus, qui sit actus per se eius.

78 Sed contra hanc nostram sententiam aliqua ingerunt difficultatem, quæ soluere est necessarium. Primū est, quod per subsistentiam totius compositi naturalis non solum subsistit ipsum totum, sed etiā immediatè subsistunt eius partes: ergo prædicta subsistentia est extensa, & consequenter non simplex, sed composita ex partialibus subsistentijs non secus, ac est ipsum compositum ex partibus essentialibus, seu integralibus.

79 Respondetur, quod eodē argumento (si roboris aliquid haberet) probares, personalitatem, seu suppositualitatem totius compositi naturalis non esse, quid simplex, sed compositum ex personalitatibus, seu suppositualitatibus partialibus, quod nemo admittit. Assumptum patet; nam personalitas, seu suppositualitas ita afficit naturam totius compositi naturalis, vt simul etiam, & immediatè afficiat omnes illius partes. Aliàs Verbum diuinum supplendo per propriam personalitatem vices personalitatis naturæ humanæ ab ipso assump-

sumptæ non diceretur vniuersæ sibi immediatè, & secundum hypostasim partes illius humanitatis.

80 In forma ergo ad argumentum respondetur, quod sicut ex eo, quod personalitas naturæ humanæ afficiat immediatè ipsam naturam humanam secundum omnes illius partes; & similiter ex eo, quod anima rationalis informet immediatè corpus secundum omnes illius partes, non rectè inferitur, personalitatem naturæ humanæ, aut animam rationalem habere propriam extensionem, & consequenter non esse quid simplex, sed compositum; quia sufficit ad hoc extensio extrinseca, & conueniens eis per accidens, scilicet, ratione humanitatis, quæ secundum se totam personatur anima. Ita nos dicimus, non bene inferri ex eo, quod subsistentia totius compositi naturalis afficiat immediatè ipsum secundum omnes illius partes, prædictam subsistentiam habere propriam extensionem, & consequenter non esse quid simplex, sed compositum: nam respondemus, ad hoc sufficere extensionem extrinsecam, & conuenientem ei per accidens, scilicet, ratione totius compositi naturalis, quod secundum se totum subsistit; ad extensionem enim illius dicitur extēdi sub-

sistentia, qua subsistit, etiam si secundum se sit simplex, & in indiuisibili consistens.

81 Secundum, quod ingerit difficultatem, est experientia, qua experimur in entibus naturalibus homogeneis (vt sunt ignis, aqua, &c.) per diuisionem vnius subsistentis resultare duo subsistentia: quod non posset contingere, nisi subsistentia homogeni, quod diuiditur, esset composita ex partialibus subsistentijs.

82 Respondetur, quod eodem argumento (si vim haberet) probares dari suppositualitates partiales; siquidem per prædictam diuisionem entis naturalis homogeni non solum ex vno subsistente resultant duo subsistentia, sed etiam ex vno supposito resultant duo supposita. In forma ergo dicimus, per diuisionem homogeni ex vno existente, & ex vno supposito resultare duo subsistentia, atque duo supposita; non quia subsistentia, aut suppositualitas homogeni, quod secatur, est composita ex subsistentijs, seu suppositualitatibus partialibus; sed quia, cum per diuisionem entis naturalis homogeni partes integrantes amittant esse partes, & fiant quædam tota; consequenter deperditur prior subsistentia, seu suppositualitas, atque aliæ duæ nouæ subsistentiæ, seu suppositualitates resultant non secus, ac deperditur prius totum,

& de nouo resultant alia duo tota.

83 Tertium, quod ingerit difficultatem, est anima rationalis separata, quæ, cum vt sic non solum per se existat, sed etiam hoc illi competat naturaliter; & insuper, vt sic, suas exerceat operationes, videtur necessarium, illi, vt sic, tribuendam esse propriam, & partialem subsistentiam. Primo, quia quid aliud est subsistere, nisi existere per se. Secundo, quia non alia ratione alijs formis materialibus negatur, posse naturaliter existere separatas à materia, nisi quia non habent proprias, & partiales subsistentias. Tertio, qui (vt communis locutio fert) actiones sunt suppositorum, seu subsistentium: ergo, si anima separata suas operationes exercet, erit subsistens.

84 Respondetur ad hoc, vt anima separata per se existat; & hoc illi competat naturaliter; & insuper, vt sic, suas operationes exerceat, non esse necessarium, quòd illi, vt sic, suam propriam, & partialem subsistentiam tribuamus. Neque rationes adductæ hoc conuincunt; nam ad primam respondetur *subsistere* non esse existere per se, sumpto existere per se pro existere solitariè; aliàs accidentia, quando conseruantur separata à subiecto, vt in ineffabili Eucharistiæ Sa-

cramento, dicerentur *subsistere*. Neque etiam esse existere per se, sumpto existere per se pro vt opponitur esse in alio per inhærentiam actualem, vel aptitudinalem; aliàs secundæ substantiæ dicerentur *subsistere*. Sed esse existere per se, sumpto existere per se pro esse in actualitate vltima ita, vt non sit ordinabile, neque actu, neque aptitudine, ad alium actum simpliciter vltra illum, quem habet, qui actus vltior sit actus eius per se, & hoc vel primo, vel participatiuè (vt ex Scototradidimus sectio. 1. num. 2. & 3.) Constat autem, animam rationalem separatam, etsi possit dici existens per se, tam primo, quàm secundo modo ex dictis, sed non tertio modo, qua ratione existere per se est idem, quòd subsistere; siquidem, vt sic, non ita est in vltima actualitate, quòd non sit ordinabilis, saltem aptitudinaliter, ad actualitatem totius, quòd ex ipsa, & corpore resultat: quæ actualitas totius non solum est actus simpliciter alius ab illo, quem anima habet; sed etiam est actus animæ per se, licet non primo, saltem participatiuè.

85 Ad secundam dicimus, alijs formis (scilicet, materialibus) nos negare posse naturaliter existere separatas à materia, & composito, & non animæ rationali, non quia

quia illæ careant propria, & partiali subsistentia, & anima rationalis illam habeat; sed quia formæ materiales, cum educantur de potentia materiæ, pendent naturaliter in suo esse, fieri, & conseruari ab influxu materiæ, secus verò anima, que de potentia materiæ non educitur eo quòd spiritalis sit.

86 Ad tertiam respondetur, subsistentiam non esse in naturis principium, aut conditionem per se, & essentialiter requisitam ad hoc, vt natura suas exerceat operationes; sed ad hoc sufficere existentiam, vt patet in naturis accidentalibus, quæ manent in Eucharistia, quæ re vera non subsistunt, & tamen ibi exercent suas operationes. Quod si communiter dicimus, actiones esse suppositorum, seu subsistentium, hoc est, quia in naturis substantialibus, quæ sunt capaces propriæ subsistentiæ, subsistentia (siue consistat in negationibus, siue in positio) naturaliter antecedit accidentia, & consequenter operationes illius naturæ.

87 Vltimò difficultatem ingerit, quòd videtur sequi ex hac nostra sententia, non potuisse diuinum Verbum immediate, & secundum hypostasim vniri sibi animam, & corpus, quæ componunt humanitatem; quòd est absur-

dum, nam de fide est, in tri-duo mortis Christi Domini corpus, & animam mansisse prædicto modo diuino Verbo vnita. Sequela patet; nam, cū Verbum vnuerit sibi hypostaticè naturam humanā supple-do per subsistentiam tuam id, quòd conferret propria humanitatis subsistentia, si adesset, solum illud erit diuino Verbo hypostaticè vnibile, quòd fuerit capax subsistentiæ, quæ à Verbo in prædicta vnione suppleri possit.

88 Respondetur, nos non affirmare, animam rationalem, & corpus. (Idemque est iudicium de quacumque substantia partiali) non esse capacia subsistentiæ: sunt enim capacia subsistendi; imò actu, & immediatè subsistunt, dum componunt totum, ipsa subsistentia totius, cuius sunt partes componentes. Sed, quòd affirmamus, est, non subsistere per subsistentias partiales proprias ipsorum, sed per subsistentiam indiuisibilem totius, quæ eo ipso, quòd afficit totum, necessariò etiam debet afficere partes, ex quibus totum intrinsecè coalescit. Et hoc sufficit ad hoc, vt anima, & corpus, & quæcumque alia pars substantialis, assumi possint à diuino Verbo immediate, & secundum hypostasim: quòd fit tribuendo illis diuinum Verbum subsistentiam suam loco subsistentiæ, quam

totum, quod componunt, naturaliter tribueret. Quam subsistentiam Verbi recipere possunt anima, & corpus, non solum quando sunt actualiter conjuncta, & componunt humanitatem, sed etiam quando actu sunt separata; nam etiam, ut sic, quantum est ex se, capa-

cia sunt subsistentiae totius, si daretur; imò dicunt ad illam aptitudinem naturalem; & sic nihil impediunt, quòd à diuino Verbo supplente per suam subsistentiam vices subsistentiae totius immediatè, & secundùm hypostasim assumantur.

LIBER SECVNDVS

DE PHYSICO AVDITV, SEV auscultatione.

TEXTVS.

*E*orum, quae sunt, alia quidem sunt natura, alia verò propter alias causas, &c.

SVMMA TEXTVS HVIVS LIBRI.

DISSERVIT haec Philosophus de principiis intrinsecis, quam fieri, entis naturalis. Nunc in hoc secundo libro intentum eius est differere de principiis, seu causis tam intrinsecis, quam extrinsecis entis naturalis, ut quid mobile est. Diuiditur hic liber (ut in praesenti docet Scotus) in sex principales partes. In prima determinat Arist. quid sit natura, & de quibus dicitur hoc in primo capite. In secunda ostendit, quae, & de quibus sit consideratio naturalis: hoc in secundo capite. In tertia agit de causis per se ostendendo modos, & genera causarum: hoc in tertio capite. In quarta disputat de causis per accidens, ut sunt casus, & fortuna: hoc à capite quarto vsque ad sextum. In quinta ostendit ad naturalem scientiam spectare considerationem de omnibus causis: hoc in septimo capite. In sexta, & vltima docet, naturam agere propter finem ita, ut necessitas in naturalibus proveniat ex fine: hoc in octavo, & nono capite.

Acce-

Accedendo ad primam partem facta quadam diuisione eorum, quae sunt, in ea, quae sunt natura, & ea, quae sunt ob alias causas, ponit Arist. inter ista hoc discrimen, quòd ea, quae sunt natura, habent in se ipsis principium motus, & quietis. At ea, quae sunt ob alias causas, non habent in se tale principium. Et ex hoc discrimine colligit definitionem naturae dicens, *Natura est principium & causa mouendi, & quiescendi, in quo est primum per se, & non secundum accidens.* Et sic explicata natura, explicat, quid sit naturale, & quid secundum naturam dicens, *naturalia dici*, quae habent in se tale principium, quae necessariò debent esse substantiae; nã hoc principium, cum sit materia, vel forma, solis substantijs potest inesse. At *secundum naturam* ad plura se extendere, nam, vltra naturalia, ea quoque secundum naturam appellamus, quae his competent natura, ut ignem sursum ferri. Ut autem explicet, quibus conueniat ratio naturae, refert aliquorum fuisse sententiam, ratione naturae solum materiae conuenire, qui sicut diffidebant in explicando, quid esset materia, nam quidam materiam appellabant vnum elementum, alij aliud, nonnulli quaedam, cuncta caeteri; ita & dissidium erat inter ipsos in explicando, quid esset natura. Quam sententiam ipse reijcit docens, non solum materiae, sed etiam formae substantiali rationem naturae conuenire: imò magis praecipue formae, quam materiae, eo quòd naturalia actu non materia, sed forma sunt: id autem, quod ex ipsis componitur, dicit non esse naturam, sed constare natura, seu esse ens naturale.

In secunda parte, ut explicet, quae sit scientia naturalis, & quomodo differat à mathematica, ponit hanc objectionem, quae videtur ostendere, scientiam naturalem à mathematica non differre. Illae scientiae non differunt, quae disputant de eisdem rebus. Sed mathematica, & physica disputant de eisdem rebus: ergo, &c. Minorem probat, nam mathematicus considerat plana, solida, longitudinem, & puncta, quae, cum sint accidentia corporis naturalis, etiam à Philosophis debent considerari; quia ad scientem rem aliquam pertinet, & illius accidentia considerare. Soluit Arist. objectionem (& per solutionem non solum ostendit, quae sit scientia naturalis, sed etiam quomodo differat à mathematica) dicens, quòd etiam si physicus, & mathematicus considerent plana, solida, &c. sed diuersimodè; nam physicus illa considerat non abstrahendo à materia sensibili, id est, non secundum se, sed ut sunt affectiones entis naturalis: at mathematicus considerat illa abstrahendo à materia sensibili, id est, non considerando illa, ut sunt affectiones entis naturalis, sed secundum se. Deinde explicat, de quibus sit scientia naturalis dicens, esse de mate-

ria, & de forma: & probat, quia scientia naturalis agit de natura, sed tam materia, quam forma sunt natura: ergo, &c. Secundò probat, quia consideratio naturalis est sicut cōsideratio de simo. Sed consideratio de simo non est consideratio de materia tantum, nec de forma tantum, sed de forma, vt est in determinata materia: ergo consideratio naturalis, neque erit tantum de materia, nec tantum de forma, sed de forma, & materia simul. Alijs tribus rationibus eamdem veritatem confirmat.

In tertia parte reddita ratione, cur post definitionem naturæ mobilium agat de numero, & qualitatibus causarum (Huius enim rationem assignat, quia huiusmodi disciplinæ propositum est scire, id est, cognoscere per causas generationes, corruptiones, cæterasque affectiones entis naturalis: quod nullus præstare poterit, nisi teneat causas rei, v(que ad primam) omnes causas ad quatuor reducit, scilicet, ad materialem, ad formalem, ad efficientem, & ad finalem; & definit singulas dicens: *Materia est, ex quo fit aliquid cum in sit*, vt æs respectu statuæ; argentum respectu phialæ, *Forma est ratio ipsius, quod quid erat esse*, id est, quidditatis, & essentia, vt proportio duorum ad vnum in concentu diapason, & differentia, quæ exornando genus speciem complet, *Efficiens est id, vnde est principium motus, & quietis*, vt is, qui consulit, generat, aut quomodolibet aliter afficit, *Finis est id, cuius gratia cætera fiunt*, vt sanitas respectu deambulationis. Ponit deinde tres causarum proprietates. Prima est, quod eiusdem rei possunt esse plures causæ, non solum per accidens, sed etiam per se; nam statuæ, vt statua est, materia est æs, efficiens statuarius. Secunda, quod causæ possunt sibi inuicem esse causæ; nam deambulatio est causa efficiens valetudinis, & hæc illius finis. Tertia, quod idem potest esse causa contrariorum; nã nauta, cum adest, est causa conseruationis nauis; submersionis verò, cum abest. Insuper assignat varias diuisiones causæ, quæ in quocumque genere reperiuntur, seu reperiri possunt, nam quædam (inquit) est prior, & altera posterior, id est, vna est vniuersalior, alia minus communis, sic respectu statuæ artifex est prior, statuarius est posterior. Similiter quædam est per se, vt statuarius respectu statuæ, quædam per accidens, vt Polycletus respectu eiusdem statuæ. Et demum quædam in potentia, vt quæ nondum influit, cum tamen possit; & quædam in actu, vt quæ actualiter influit in effectum. Consulit autem, vt effectibus causas idoneas assignemus, scilicet, effectui singulari causam singularem; effectui vniuersali causam vniuersalem; & effectui in actu causam in actu; & effectui in potentia causam in potentia.

In quarta parte in primis refert tres antiquorū opiniones circa casum, & fortunā. Primā eorū, qui casum, & fortunā prorsus abstulerunt. Secundā eorū, qui aliquo modo ponebat fortunā, & casum, videlicet, in mundi generatione, & in præcipuis partibus illius, non tamen in reliquis entibus naturalibus. Tertiā illorū, qui ponebāt fortunā, sed dicebant, esse quādā causam diuinā, & nobis occultā, quā propterea Deū appellabant. Et ex his opinionibus duas priores ex professio rejicit, & impugnat; vltimā verò nō impugnat hoc loco, quia illius impugnatio ex definitione casus, & fortunæ in sequentibus tradēda maximè pendebat. Deinde propositis quinque, differentijs effectuum colligit, casum, & fortunā in tribus cōuenire. Primū est, quod solū reperiuntur in causis operatiuis propter finē. Secundū est, quod dicitur respectu effectus nō per se, sed per accidens eueniētis. Tertiū est, quod nō dicitur respectu effectus semper, vel frequēter, sed rarò eueniētis; sed hoc habere fortunā sibi propriū asserit, in quo à casu distinguitur, quod solū reperitur in causis agentibus ex consilio, & electione; cū tamē casus in agentibus propter finē, sed nō ex consilio, & electione reperitur. Ex quibus omnibus hanc definitionem fortunæ proponit, *Fortuna est causa per accidens in his, quæ rarò fiunt propter finem, & ex electione, sed præter intentionem accidunt*.

Tandem docet, casum, & fortunam se habere sicut superius, & inferius; nam omnis fortuna est casus, non tamen è contra. Si quidem casus reperitur in omnibus operatibus propter finē, etiā si non operentur ex consilio, & electione; secus verò fortuna, quæ eo ipso (inquit) nō reperitur in brutis, neque in pueris carentibus vsu rationis. Et subdit, tã casum, quam fortunā esse causas efficiētes; quia ista sunt vel natura, seu agēs naturale, vel intellectus, seu agens liberum. Sed ista sunt causæ efficientes: ergo & casus, & fortuna. Esse autem causas per accidens, non ex parte causæ, sed ex parte effectus: quod probat, quia casus, & fortuna sunt agens naturale, vel liberum, in quantum eū effectum per se intento habēt aliam per accidens, & rarò coniunctū; atque ita casum, & fortunam esse posteriora agente naturali, & libero, id est, prius hæc agentia habent aliquem effectum per se intentū, & postea cū illo habent alium per accidens coniunctum, respectu cuius sunt casus, & fortuna. Vnde reprehendit Democritum, qui Cælos dicebat esse fortunā, & casum, cum tamen non poneret aliū effectum priorem illis per se intentum ab agente libero, vel naturali.

In quinta parte comprobatur id, quod docuerat capite tertio, scilicet, tantum esse quatuor genera causarum, hoc discursu. Tot sunt causæ, quot sunt interrogationes, propter quid ali-

quid fiat, vel sit. Sed hæc interrogationes tantum sunt quatuor, nec plures, nec pauciores: ergo & genera causarum. Minore probat, quia vel de aliqua re inquitur, propter quid sit talis? & respondemus per causam formalem: vel, à quo habeat esse? & respondemus per causam efficientem: vel, cuius gratia sit? & respondemus per finem: aut tandem, ex quo sit facta? & respondemus per materiam. Deinde probat, omnia genera causarum spectare ad considerationem physicam. Primum, quia, cum physicus consideret naturam, necessario debet considerare materiam, & formam, quæ sunt, in quibus ratio naturæ reperiatur: ergo & causam efficientem, & finalem, nam finis, & efficiens multoties (inquit Arist.) coincidunt cum forma; finis enim, & forma sunt idem numero, quia illud, quod est forma rei genitæ, est finis ipsius generationis. Efficiens similiter, & finis, siue forma aliquando coincidunt in idem specie, scilicet, in generationibus vniocis; ibi enim forma generans, & forma genita sunt eiusdem speciei. Secundo probat, quia quæcumque sunt mouentia mota, sunt de consideratione scientiæ naturalis: ergo & quatuor genera causarum. Consequentia tenet, quia de mouentibus motis contingit quærere, à quo moueantur; & per hoc innuitur causa efficiens: & similiter quid moueatur; & per hoc tangitur causa materialis: & etiam quid est hoc, quod per motum acquiritur; & per hoc inuestigatur causa formalis: & denique cuius gratia moueatur; & ad hoc respondetur per causam finalem. Antecedens probat, quia, cum tria sint mouentium genera, scilicet, immobilia, vt primus motor, & intelligentiæ; mobilia interitus experta, vt corpora cælestia; mobilia interitui obnoxia, scilicet, ceteræ res naturales, vnumquodque ex his suam tractationem exposcit: & de primo agit in metaphysica, de secundo in libris de Cælo; & de tertio in cæteris libris Philosophiæ. Tertio probat, quia ad physicum spectat agere de generatione: ergo & de causis per se generationis. Sed ad generationem spectant per se quatuor genera causarum: ergo, &c. Probatur minor, quia in generatione inuenitur forma introducenda; & subiectum, in quo introducatur; & efficiens, à quo introducatur; & finis, cuius gratia fiat introductio.

In sexta, & vltima parte exagitat illam celeberrimam questionem, *An natura in suis operationibus, causa operetur? An propter aliquem finem?* Et proposita aliquorum veterum Philosophorum sententia astruentium, naturam non agere propter finem cum suis fundamentis, eligit partem contrariam, scilicet, naturam propter finem agere; quod demonstrat, non solum per rationem, sed etiã

rcij-

reijciendo, imò deducendo ad oppositum veterum Philosophorum fundamenta. Et ex his infert, quòd etsi ad dispositiones, quas obseruant res naturales, v. g. quòd ossa sint dura, quòd oculi sint molles, &c. necessaria sit materia, tamen causa huius necessitatis non est sola materia (vt antiqui hi Philosophi contendebant) sed etiam, & principalius est finis. Et hæc Aristot. in littera huius libri.

ANNOTATIONES CIRCA LITTERAM huius libri.

I. **C**IRCA diuisionem, quam initio primi capitis facit Arist. eorum, quæ sunt, in ea, quæ sunt natura. & in ea, quæ sunt ob alias causas, aduertit Commentator relatus à Scoto in expositione primi textus, nomine *eorum*, quæ sunt natura intelligere Arist. entia naturalia, vt animalia, plātas, elementa, & mista inanimata: nomine verò *eorum*, quæ sunt ob alias causas, intelligere entia artificialia, quæ, cum non fiant à natura, sed ab arte, optimè dicuntur esse ob alias causas. Quæ expositio optima est; & ipsam comprobatur discrimen, quod constituit Arist. inter ea, quæ sunt natura, & ea, quæ sunt ob alias causas, nimirum, quòd ea, quæ sunt natura, habent in se principium motus, & quietis; (Hoc enim de solis entibus naturalibus verificatur) ea verò, quæ sunt ob alias causas, non habent in se tale principium: quod solum verificatur de entibus artificialibus: hæc enim, vt artificialia sunt, non habent in se principium alicuius motus, vel quietis, sed solum hoc habent in quantum sunt entia naturalia. Nec refert, quòd sub nullo ex his membris diuidentibus comprehendantur, neque materia, neque forma, neque accidentia physica; nam etiam nullum ex his comprehenditur sub diuiso; siquidem neque materia, neque forma, neque accidentia physica numerantur inter ea, quæ sunt, sed inter ea, quibus ea, quæ sunt, constant.

2. Circa discrimen illud, quod in secundo capite ponit Arist. inter mathematicum & physicum, quòd etiam si vterque consideret plana, solida, &c. sed physicus non abstrahendo à materia sensibili, sicut considerat mathematicus, annorandum est cum ipso Arist. Scoto, & alijs interpretibus, mathematicos in ista abstractione nullum errorem committere, cum hoc non faciunt per abstractionem negatiuam, sed per abstractionem simplicem, ita, scilicet, contemplando naturas plani, solidi, &c. vt nullum

iu-

iudicium habeant circa hoc, an scilicet, sint, vel non sint coniu-
cta cum materia? Et de hac abstractione simplici intelligitur il-
lud commune proloquium, *Abstrahentium non est mendacium.*

3 Circa comparationem, quam facit Arist. text. 20. inter ip-
sas scientias mathematicas, aduertit Scotus, optimè inferri ex
hoc textu, quinque esse scientias mathematicas, scilicet, arith-
meticam, geometriam, perspectivam, musicam, & astrologiam.
Ex quibus duæ priores dicuntur puræ mathematicæ; at tres pos-
teriores dicuntur mediæ inter puras mathematicas, & scientiã
naturalem; imò communiter dici solent magis naturales, quam
mathematicæ.

4 Cur autem istæ scientiæ dicantur mediæ inter mathemati-
cam, & scientiam naturalem, & similiter, cur dicantur magis na-
turales, quàm mathematicæ, optimè explicat Scotus q. 2. super
secundum Physicorum dicens, dici medias inter mathemati-
cam, & naturalem quia media, seu principium cognoscendi,
(quæ sunt obiectum formale quo, seu ratio, sub qua obiectū for-
male, quod respicitur à scientia, & consequenter, à quo sumitur speci-
ficationem, vt ex Logica disp. vnica proœmiali q. 5. sect. 2. cõ-
stat) vnum (scilicet, quod ponitur pro maiori) est mathematicū,
& alterum (scilicet, quod ponitur pro minori) est naturale, vt pat-
et in hac demonstratione astrologica, omne corpus, quod cres-
cit, & decrescit per circulum, est figuræ sphericæ. Luna crescit,
& decrescit per circulum: ergo luna est sphericæ. Dici autè ma-
gis naturales, quàm mathematicas, quia, cum istæ scientiæ ad
probandas suas conclusiones semper accipiãt pro minori prin-
cipium naturale, & pro maiori principium mathematicum; &
ex alia parte conclusiones scientificæ determinantur, seu specifi-
centur per principia, quibus probantur, necessarium erit, quod
conclusiones harum scientiarum sint magis naturales, quàm ma-
thematicæ, quia magis determinat, seu specificat conclusionem
principium, quod ponitur loco minoris, quàm principium, quod
ponitur loco maioris.

5 Circa definitiones causarum, quæ in tertio capite adducū-
tur, dubitare quis potest, cur in definitione causæ materialis omis-
serit Arist. illa verba, *primum subiectum, & illa primò. & per se, & nõ
secundum accidens*, quæ ab ipso posita sunt in definitione materiæ
primæ lib. 1. text. 82? sed facile respondetur, quia hic non defi-
niuit solam materiam primam, sicut ibi, sed omnem causam
materiam, siue sit materia prima (vt contingit in generationi-
bus substantialibus) siue materia secunda, totum, scilicet, com-
positum, vt contingit in alijs motibus. Quod confirmari potest
in-

instantia definitionis causæ formalis, quã hic tradit Aristot. quæ
etiam distincta est ab ea, quam de forma substantiali nos addu-
ximus libro 1. disp. 4. q. 1. num. 12. eo quod hic non definiuit
(vt loco citato aduertimus) solam formam substantialem, sed
omnem causam formalem, siue sit substantia, siue accidens.

6 Circa ea, quæ docet Aristot. in quarta parte de fortuna, &
casu, posset alicui videri, Arist. sibi contrariari in tex. 61. & text.
64. nam in priori loco docet, casum esse à principio extrinseco;
& in posteriori dicit, esse à principio intrinseco; & in hoc,
inter alia differre casum à fortuna, quæ est à principio extrinseco;
& exemplificat in monstris, quæ ex materia, quæ est illis in-
trinseca, habent illum defectum, qui casualis nominatur.

7 Sed respondetur, Arist. in prædictis locis sibi non contrariari;
nam dupliciter potest intelligi, causam esse extra effectum, seu il-
li extrinsecam. Primò, quia illum non intendit, & sic effectus est
extra illius intentionem. Et in hoc sensu tam casus, quàm fortuna
dicuntur esse à principio extrinseco; nam tam casus, quàm for-
tuna dicuntur euenire extra intentionem operantis. Secundo quoad
influxum, & quoad esse. Et in hoc sensu casus est à principio intrin-
seco; nam in monstris (vt inquit Arist.) defectus, qui dicitur ca-
sus, seu casualis provenit ex dispositione materiæ, quæ est illi in-
trinseca, & per hoc differt à fortuna, seu effectui fortuito, quia
hic etiam in hoc sensu est à principio extrinseco, cum causa eius
non sit materia, sed agens liberum.

8 Circa id, quod dicitur ab Arist. in quinta parte, scilicet, mo-
uens immotum (vt est primus motor) non spectare ad considera-
tionem physicam, sed ad metaphysicam, objicere quis posset ipsum
met Arist. qui 8. Phys. agit de primo motore. Sed respondetur du-
pliciter posse expectari primū motorem. Primò quoad eius quiddi-
tatem, & essentiam; & vt sic consideratio de primo motore spectat ad
metaphysicū: & hoc est, quod docet Arist. in 5. p. huius libri text.
70. Secundo potest considerari primus motor, quoad existentiam:
& hoc pacto eius consideratio pertinet ad physicū; quia, eū pri-
mus motor sit causa cuiuscūque motus, optimè demonstrare pos-
sumus ex motu causarum existere primum motorem. Et hoc est,
quod demonstrat Arist. 8. Physic. atque ita non est sibi cõtrarius.

9 Circa litteram huius libri septem disputationes excitandæ sunt,
quibus omnia, quæ communiter disputari solent, comprehen-
demus. Prima erit *de natura rerum*. Secunda *de causis per se in commu-
ni*. Tertia *de causa materiali, & formali*. Quarta *de causa efficiente*. Quin-
ta *de causa fini*. Sexta *de casu, & fortuna*. Septima, & vltima *de com-
paratione causarum tam inter se, quàm ad suos effectus*.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura rerum naturalium.

ACTVRVS Arist. in hoc secundo libro de principijs entis naturalis, vt quid mobile est, merito initium sumpsit à natura; quia natura (vt ipse probat) non est qualecumque principium entis naturalis, vt quid mobile est, sed intrinsecum, & essenziale. Sunt autem sex, quæ de natura possunt desiderari. Primum, *quam naturam Arist. hoc loco definiert?* Secundum, *Vtrum definitio nature tradita ab Arist. sit exacta?* Tertium, *An sit quiddatiua, an descriptiua nuncupanda?* Quartum, *Vtrum de ratione nature sit esse principium, & causam, vt motus, & quies competant ei, in quo est. vt principio, quod actiuo, an passiuo?* Quintum, *quibus rebus competat definitio tradita nature?* Sextum, & vltimum, *quo pacto natura differat ab arte? & quomodo ars se habeat ad naturam?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quam naturam Aristotel. hoc loco definiert?

RATIO dubitandi esse potest varietas acceptionum, quibus hoc nomen *natura* afficitur. Nam in primis accipitur *natura* (teste Hugo Victorino l. Didascalon cap. 11.) pro mente diuina rerum omnium opifice, & operante; quam aliqui naturam naturantem, id est, omnia parturientem, appellant. Sic sumpsit naturam, Seneca libr. 4. de officijs, cum dicit, *nihil aliud esse naturam, quam Deum* Et D. Aug. 15. de Trinit. cap. 5. dum sic

loquitur, *supra hanc nostram naturam esse naturam non creatam, sed creatricem.* In ò hinc orrum habuit diuisio illa nature in vniuersalem, & particularem; vbi per naturam vniuersalem Deus potissimè designatur, qui naturas omnes in se habet, & continet: per particularem vero res creatæ, quas etiam nonnulli naturam naturatam, id est, ex alia natura natam, vocitare soluerunt.

2 Secundò accipitur nomen *natura* pro cuiuscunque rei essentia, in quatum est radix proprie-

prietatum, quæ illā consequuntur. In quo sensu sumitur à Theologis, dum dicunt, in tribus diuinis personis vnicam esse naturam; & Verbi incarnationem, non in natura, sed in persona factam fuisse. Et similiter à Philosophis, dum dicunt, definitionem esse orationem, quæ explicat naturam rei.

3 Tertiò accipitur *natura* pro vniuersitate rerum creatarum; in quo sensu dicere solemus, aliquid esse in rerum natura; & supernaturale esse, quod excedit nature vires.

4 Quartò accipitur *natura* pro causis naturalibus, quatenus secundum insitam propensionem agunt. Quo pacto accepta natura multa obtinuit apud Philosophos encomia; exempli causa; Naturam nihil frustra moliri; odijisse superfluum; non denegare necessaria; abhorre à vacuo; agere propter finem; atque passim plura.

5 Quintò accipitur *natura* pro viuientium generatione, quæ communiter natiuitas appellari solet: est enim natura idè, quòd nascentia, siue nascitura, aut ratio nascendi. Et hæc est prima, & germana huius nominis significatio. Quia tamen generatio ab interno principio oritur, idè deriuatum est nomen *natura* (& hæc est sexta huius nominis acceptio) ad significandum internum prin-

cipium, vnde per se primò vnaquæque res (siue sit viuens, siue expers vitæ) habet, vt moueatur, & quiescat. Quòd si restringatur (vt restringi necesse est in præfati ad principium internum, non cuiuscunque motus, sed solius motus physici, id est, per se sensibilis à nostris sensibus; qui est, de quò disputat Arist. in his libris, solum comprehendit materiam, & formam, sicuti & ens naturale, seu mobile isto genere motus illud, quod ex materia, & forma constituitur.

6 Ex his omnibus acceptionibus solum in sexta, & vltima sumitur natura, dum ab Arist. in primo capite huius libri text. 3. sic definitur, *Natura est principium, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est, primùm, per se, & non secundum accidens.* Videamus nunc, an prædicta definitio sit exacta?

QVÆSTIO II.

Vtrum definitio nature tradita ab Aristotele sit exacta?

NON inquirimus, an sit *natura*? nam naturam esse (sumpta natura prout hic sumitur ab Aristot. scilicet, pro principio intrinseco, vnde primò, & per se, & non secundum accidens vnaquæque res habet, quòd moueatur, & quiescat) adè manifestum est intuitibus rerum corporalium mo-

motus, vt laborare ad probandum, naturam esse, quali aliquid incertum, & non tatis notum per experientiam motus, ridiculum, id est, inane, & superfluum iudicauerit Aristot. text. 6. Imò si quis relicta euidencia motus, quem experitur, aliud medium quæreret ad demonstrandum, naturam esse, hoc esset minus manifestum, quàm ipsa natura; & sic is sui iudicij defectum ostenderet, (inquit Arist.) dum rei, quæ citra ambiguitatem est, per obscuriora fidem facere conaretur, essetque similis illi, qui ab ortu cæcus de coloribus disputare contenderet: oporteret enim, illum de rebus sensui manifestis, & conspicuis per ignotas, sibi que inexpertas ratiocinari; totaque ea disputatio magis esset verborum, quàm rerum, quarum ille perfectam notionem minimè posset assequi.

2 Similiter non inquirimus, quid sit natura? quia definitione naturæ, quæ est, per quam essentia, & quidditas rei explicari solet, nobis tradidit Aristot. quam tam in recopilatione textus, quàm in calce quæstionis præcedentis proposuimus. Sed quod inquirimus, est, Vtrum prædicta definitio sit exacta? vt hinc accepta occasione clariùs, & perfectiùs ipsam definitionem, & consequenter ipsam essentiam, & quidditatem naturæ penetremus.

3 Rationes dubitandi sumi possunt ex Scoto q. 3. sup. 2. Physic. Prima est, quia solum vniuocum capax est definitionis. Sed natura, cum perfectiùs dicatur de forma, quàm de materia, non est vniuocum, sed analogum: ergo non rectè natura ab Arist. definitur.

4 Secunda; nullum absolutum debet definiri per respectum. Sed natura est quid absolutum: (Nam teste Aristot. materia, & forma sunt naturæ, quæ quid absolutum sunt, spectans ad prædicamentum substantiæ) ergo non rectè ab Aristot. definitur natura per principium, & causam, quæ quid respectuum sunt.

5 Tertia: ista dictio primo includit hanc dictionem per se; & ista dictio per se includit istam non per accidens: (vt patet i. Poster. text. 36.) ergo posito hoc termino primo in definitione naturæ frustra ponuntur alij.

6 Quarta: quies est priuatio motus, ac per consequens erit nihil. Sed quod nihil est, non habet causam: malè ergo ponitur in definitione naturæ, quòd sit causa quietis. Item, idem non est causa per se contrariorum. (vt patet 4 meteororum) Sed motus, & quies sunt contraria: malè ergo dicitur in definitione naturæ, quòd sit per se causa motus, & quietis.

7 Quinta, definitio, quæ non competit omnibus contentis sub

sub definito, non est bona (ex 6. topicorum cap. 4.) Sed hæc non competit omnibus contentis sub definito natura: ergo, &c. Minor probatur; nam tam cælum, quàm totus terræ globus sunt corpora naturalia habentia in se naturam; & tamen cælum numquam quiescit, & totus terræ globus numquam mouetur.

8 Sexta: definitio, quæ competit alijs à definito, non est bona. Sed hæc definitio naturæ competit alijs à definito: ergo, &c. Probatur minor; nã competit calori naturali, qui est principium nutritionis, & augmentationis eius, in quo est; & similiter grauitati, quæ est principium motus deorsum eius, in quo est; & tandem arti medendi, qua medicus sanat se ipsum; quæ est principium sanitatis eius, in quo est.

9 Sed his non obstantibus tenendum est, definitionem naturæ sumptæ in sexta acceptione, (prout hic sumitur à Philosopho) traditam ab Aristot. esse exactam. Et præter auctoritatem Philosophi, qui eam tradidit, & omnium interpretum, (inter quos est Scotus q. 3. super 2. Physic.) qui ipsam, vt exactam recipiunt, probari potest ex eo quòd per ipsam non solum explicatur, quid sit natura in sexta acceptione sumpta, sed etiam distinguitur à quocumque alio; quæ sunt ad exactam definitionem requi-

sita. Quæ omnia constare poterunt, si discurrendo per singulas definitionis particulas, ipsas exponamus, & de claremus.

10 Prima particula est principium. Pro cuius expositione optimè aduertit Scotus, hoc nomen natura esse relatiuum, non secus, ac hoc nomen pater; significat enim substantiam cum ordine, & relatione ad motum, & quietem naturalem; non secus, ac nomen pater significat substantiam cum ordine, & relatione ad filium. Et ita prædicatio ista, materia est natura, forma est natura, non est prædicatio quidditatiua, sed denominatiua, non secus, ac substantia est pater. Ex quo optimè inferit, quòd iste terminus natura potest definiri conuenienter per istum terminum principium, tamquam per verum genus; cum vterque formaliter sit de genere relationis; & iste terminus principium sit terminus communior, quia dicitur tam de principio extrinseco, quàm intrinseco; natura verò solum de principio intrinseco.

11 Secunda particula est causa. Pro cuius expositione aduertendum est, quòd etiam si nomen principium secundum se, & in tota sua latitudine latius pateat, quàm nomen causa; (vt ex Aristotel. docuimus in annotationibus primi libri numer. 4.) tamen in presenti idè significat, ac nomen causa.

Itaque nomen *principium*, & nomen *causa* (vt ponuntur in hac definitione naturæ) sunt termini conuertibiles, & pro eodem supponentes. Ponuntur autem ambo termini (vt docet Scotus loco citato) in ista definitione naturæ, vt vnus exponat alium: & sic hæc verba, *natura est principium*, & *causa faciunt hunc sensum; natura est principium, quod est causa.* Quod consultò fecit Aristot. ne aliquis existimaret, nomen *principium* sumi in tota sua latitudine, qua ratione etiam sub se comprehendit priuationem, sed magis strictè, & prout est idem, quod *causa*.

12. Non me fatet, Auicenam libro 1. sufficientiæ cap. 5. Simplicium 2. Physicor. commento 2. Burlæum textu 3. & Venetum text. 11. sumpsisse hæc duo cum disiunctione *principium, vel causa*: (Istius enim expositionis meminuit Scotus loco citato, suppresso auctoris nomine) & ex his Auicenam, & Simplicium nomine *principium* intellexisse causam efficientem; & nomine *causa* causam materiale; Burlæum verò per *principium* affirmare intelligi actiuum, & denotari formam; & per *causam* intelligi passiuum, & denotari materiã. Venetum è contra velle *principium* significare materiã, *causam* verò denotare formam.

13. Tamen expositionem istam missam facio, (sicut &

fecit Scotus) nam præterquam quòd vni infert textui; nam tam in textu Latino, quam in Græco non habetur disiunctiua *vel*, sed coniunctiua *&*; expositiones istæ nominis *principium*, & *causa*, quas vnusquisque ex suo Marte confinxit, nihil iuuant ad explanandam definitionem naturæ, quam hic tradidit Arist. sed potius illam reddunt difficillimã explicatu.

14. Tertia particula est *mouendi*, seu (vt alij legunt) *motus*. Vbi *motus* latè sumitur, scilicet, pro quacumque mutatione physica, & materiali, siue in tempore fiat, siue in instanti. Sic enim Aristotel. 3. Physicor. in principio proponit se tractare debere de motu ad intelligentiam naturæ, quam per ordinem ad motum definierat. Non est autem opus, vt in omni re natura sit principium cuiuscumque motus, sed sat est, quòd sit principium alicuius, eius scilicet, qui in tali re reperitur, & cuius ipsa res est capax.

15. Quarta particula est *quiescendi*, seu (vt alij legunt) *quietis*; vbi dupliciter sumi potest *quies*; vno modo priuatiuè, scilicet, pro carentia motus, id est, pro eo, quod est non moueri. Alio modo positiuè, & terminatiuè, scilicet, pro possessione termini, in quem motus naturaliter tendit; & in quores, quæ mouetur, transacto motu quiescere dicitur.

In

In præsentī ergo *quies* non sumitur primo modo, quia non debet assignari principium per se ordinatum ad hoc, vt res non moueatur; cum res sufficienter hoc possit habere ex eo quòd non habeat principium motus. Neque natura per se habet præstare, quòd res non operentur; imo potius de ratione naturæ dicitur esse, vt non sit otiosa. Debet ergo *quies* intelligi secundo modo; res enim, dum mouetur motu naturali ex parte termini, tendit ad acquirendum terminum naturalem illius motus, quem, cum acquisierit, possidet, & in eo possessio quiescit.

16. Quinta particula est, *in quo est*, per quam apertè demonstratur, naturam debere esse principium mouendi, & quiescendi, non quodcumque, sed existens in ipsa re, quæ moueri, aut quiescere dicitur. Et per hoc excluduntur à ratione naturæ principia, & causæ motus extrinsecæ, vt sunt efficiens, & finalis; quia de ratione istarum non est, quòd sint in re, quæ dicitur moueri, & quiescere; vt de facto contingit, quoties producunt, seu causant motum in extrinsecum subiectum. Sed de hac re latius in quæstione quarta agemus.

17. Sexta particula est *primum*, seu *primo*, quæ referenda est (vt docet Scotus) ad par-

ticulam principium, & causa, ita, vt sensus sit, natura est primum principium, & prima causa mouendi, & quiescendi, &c. Dicitur autem natura primum principium, seu prima causa, non quia sit principium, seu causa proxima, & immediata mouendi, & quiescendi; (vt, teste Pererio lib. 7. cap. 4. exponunt Græci interpretes) aliàs definitio naturæ non cõpeteret substantijs, sed accidentibus, cum hæc sint principia proxima, & immediata, ob quæ res mouetur, & quiescunt; substantiæ verò remota, & quæ medijs accidentibus hoc præstant; sed quia est principium, & causa præcipua, & radicalis, vt exponunt Scotus, & communiter omnes Latini Expolitores.

18. Septima particula est *per se*; quæ (vt exponit Scotus) etiam est referenda ad particulam *principium*, & *causa*; & ponitur ad excludendum consortium causæ extrinsecæ; itaque ad hoc, vt aliqua substantia dicatur natura, necessarium est, vt ipsa sola medijs accidentibus, seu dispositionibus, quæ ipsam naturaliter consequuntur, sit principium mouendi, & quiescendi rei naturalis; nam, si ad hoc indiget consortio alterius causæ extrinsecæ, respectu illius motus, & quietis non dicitur natura; neque motus respectu illius dicitur naturalis. Quod exemplificat Scotus in motu sursum,

quo fertur ferrum ad magnetem, respectu cuius, nec forma ferri dicitur natura; nec motus respectu illius dicitur naturalis, non obstante, quòd in ferro ratione suæ formæ sit aliqua inclinatio mouendi ad magnetem, quæ non est in ligno, latere, &c. eo quòd forma ferri cum dispositionibus, quæ ipsam naturaliter consequuntur, solitaria sumpta non potest in illum motum; sed adhuc indiget, quòd fiat in ferro aliqua alteratio ab ipso magnete.

19 Additur ultimo loco definitionis, & non secundum accidens, per quam denotatur, ad rationem naturæ non sufficere, quòd sit principium præcipuum, & radicale, & per se sufficiens motus, & quietis eius, in quo est, sed etiã esse necessarium, quòd sit de intrinseca, & essentiali ratione eius, in quo est motus, seu quies. Vnde optimè aduertit Scotus, istam particulam, & non secundum accidens, nõ esse referendam ad particulam, principium, & causa, sicut & duæ præcedentes; sed ad illam, eius, in quo est. Et per hanc particulam (teste ipso Arist.) excluduntur à ratione naturæ aliquæ artes, quæ etsi sint principia, & causæ, vt subiecta, in quibus sunt, moueantur ad aliquos artificiales motus; (vt ars medicinæ, & ars saltandi) non tamè sunt naturæ, eo quòd non sunt intrinsecæ, & essentielles subiecto, quòd mouetur, sed con-

ueniunt ei per accidens.

20 Ex dictis ergo circa singulas particulas huius definitionis liquidò patet, quòd intendimus, scilicet, per definitionem istam non solum explicuisse Aristot. quid sit natura in sexta acceptione sumpta, sed etiã quocumque alio, quòd non est natura, distinxisse; & consequenter ab omnibus exactam definitionem fore reputandam; quòd adhuc magis ex solutione rationū dubitandi clarescet.

21 Ad primam negamus minorem, scilicet, nomen natura non esse vniuocum respectu materiæ, & formæ substantialis. Licet enim nomen natura non prædicetur vniuocè de materia, & forma; quia ad prædicari vniuocè (vt docet Scotus in 3. d. 7. q. 2. §. Quarto videndum est, & q. 3. prædicamentorum in solutione ad 4.) non sufficit affirmari de pluribus secundum idem nomen; sed etiã exposcitur, quòd ratio significata per nomen sit de essentia, & quidditate eorum, de quibus prædicatur, quorum vltimum non competit naturæ respectu materiæ, & formæ: (vt ex Scoto n. 10. dicebamus) tamè negari non potest, quòd respectu materiæ, & formæ sit vniuocum prædicatum, sumpto vniuoco in vltimo gradu vniuocationis ex quatuor, quos in Logica cap. de Equiuocis disput. 2. quæst. 3. enumerauimus. Quod

suf-

sufficit non solum ad hoc, vt definiti possit, sed etiã (teste Scoto in 1. dist. 3. q. 2. §. Secundo non asserendo) ad contradictionem, & ad medium syllogisticum; siquidem ad vniuocum prædicatum, vt sic, fat est, quòd nomen sit commune, & ratio significata, vt nomine communi significatur, sit eadem, etiã si in his, de quibus dicitur, non includatur essentialiter, & similiter in vno magis perfectè, quàm in alio reperiatur; vt in Logica loco citato latè ostendimus.

22 Ad secundam concessa maiori distinguimus minorem; natura est, quid absolutum pro materiali, & denominato, concedo; (Sic enim, vt ratio dubitandi objicit, natura ex Arist. est materia, & forma, quæ quid absolutum sunt spectans ad prædicamentum substantiæ) pro formali, & pro se significato (qua ratione hic ab Aristot. definitur) nego. Nam (vt num. 10. ex Scoto dicebamus) natura est nomen relatiuum, non secus, ac nomen pater; & sic quamvis pro materiali, & denominato dicat, quid absolutum; tamen pro formali, & per se significato dicit relationem.

23 Ad tertiam patet ex dictis in expositione harum particularum, primum per se, & non secundum accidens, primam non includere secundam, neque secundam tertiam; sed potius

primam, quasi contrahi per secundam, & secundam per tertiam. Quòd si Aristot. 1. Poster. text. 36. aliter sensit, hoc est, quia ly per se non sumplit, vt hic sumitur, scilicet, pro posse solitariè, & absque consortio causæ extrinsecæ esse principium, & causam; sed prout idem est, ac essentialiter, qua ratione includit in se particulam non per accidens; & ipsa includitur in particula primo, quando aliquid dicitur primum in genere per se.

24 Ad quartam patet ex num. 15. quietem in hac definitione non sumi priuatiuè, & pro carentia motus, sed positiuè, scilicet, pro possessione termini, in quem motus naturaliter tendit. Vnde non solum est falsum, quietem esse priuationem, sed etiã quòd quies, & motus ad ipsam, sint contraria; imò potius sunt ita connexa, vt nequeat aliquid esse principium per se motus tendentis in terminum naturalem, quin etiã sit quietis.

25 Ad quintam negamus, hanc definitionem non competere omnibus contentis sub definito. Et ad instantiam de celo variè respondent auctores. Porphyrius (referente Simplicio,) & Auerroes volunt, verba illa definitionis mouendi, & quiescendi intelligenda esse disiunctiuè, & particulam, & positam esse loco particulæ vel, ita, vt sensus illorum sit,

fit, *Natura est principium, & causa mouendi, vel quiescendi, aut utriusque.* Sed dura sanè est hæc expositio: incredibile enim videtur, Arist. in tam graui definitione abusum fuisse huiusmodi vocibus.

26 Philoponus 2. Physicor. text. 3. & Alexander Aphrodisæus libr. 2. naturalium questionum cap. 18. existimantes, naturam in omni re debere esse principium, & causam motus, & quietis, respondent, in Cælo, etsi nō sit propriè quies, esse tamen metaphoricè, quatenus, scilicet, ita conquiescit in illo perenni motu suo, tãquam in sua perfectione, non secus, ac corpora sublunaria quiescunt in suis locis naturalibus, vel quatenus totum Cælum nunquam mutat locum, aut situm, & vno, similique motu semper cietur; quæ constantia, & vniformitas eius potest appellari quies. Quod etiam videtur innuere Arist. 8. Physic. text. 75. ita scribens, *Mouetur, & quiescit quodammodo sphaera; eundem enim occupat locum.* Verùm cum Arist. hic ita propriè sumat quietem, ac sumit motum, scilicet, pro possessione termini, in quem naturaliter tendit motus, & hanc isti auctores non tribuant Cælo, sed aliam metaphoricam, & impropiam, idè eorum interpretatio admittenda nō est, tamquam parùm congruens, verbis Philosophi.

27 Alij, non solum contententes, naturam in omni re debere esse principium motus, & quietis, sed etiam quietem sumendam esse propriè, respondent, falsum esse in Cælo non esse quietem, si quies non priuatiuè, & pro cessatione motus sumatur, sed potius positiuè, & terminatiuè, scilicet, pro possessione termini, in quem naturaliter tendit motus; (qua ratione numer. 15. diximus in præsentia accipi) siquidem Cælum in illo suo perenni motu habet suum *vbi* successiuum, quod est terminus motus localis, cuius possessio verè, & propriè est quies, positiuè, & terminatiuè sumpta, licet non permanens, sed successiua.

28 Sed expositio ista minùs placet. Primò, quia tribuere Cælo respectu motus localis veram, & propriam quietem est expressè cōtra Philosophū, qui 9. Metaph. text. 17. docet, non esse timendum, quod Cælum quiescat; & subdit pro ratione, quia in eo non est potètia contradictionis, id est, ad motum, & quietem. Vbi non solum negat Cælo actualement quietem, sed etiam potentiam naturalem ad illam; Nec valet dicere loqui Philosophum de quiete priuatiua, & sumpta pro cessatione motus; non verò de positiua, & sumpta pro possessione, & requie in termino, in quem motus naturaliter tendit. Nam de vtraque loquitur.

Li.

Licet enim quies positiua supposita formaliter non consistat in carentia motus; tamen intrinsecè illam connotat; nec potest reperiri sine illa; nam quo pacto (quæso) poterit de aliquo affirmari, quod terminū motus possideat, & quod in ipso requiescat, (quod est de intrinseca ratione quietis positiuæ) si non cessat à motu, sed in instanti, in quo accipit terminum motus, illum amittit, atque aliū nouum acquirit?

29 Secundò, quia non quodlibet *vbi*, seu præsentia in loco ipso, quod est terminus motus localis, debet quies positiua naturalis rei, quæ mouetur, appellari; sed vltra hoc requiritur, quod mobile dicat inclinationem, & propensionem naturalem ad illud *vbi*; & consequenter, quod motus localis ad illud *vbi* sit mobili naturalis, non solum ex parte principij, sed etiam ex parte termini. (Aliàs cum lapis mouetur sursum, *vbi*, seu præsentia in loco sursum quæ est terminus illius motus, diceretur quies positiua naturalis lapidis.) Sed Cælum, cum circulariter mouetur, ad nullum *vbi* ex his, quæ per prædictum motum acquiruntur, dicit inclinationem, & propensionem naturalem; neque iste motus dicitur illi naturalis ex parte termini: (Aliàs, vt obijcit Scotus locis q. 5. num. 6. citadis, dum Cælum mouetur à tali *vbi*, talis motus esset illi vio-

lentus) ergo falsò appellant hi auctores quietem naturalem positiuam Cæli *vbi*, quæ per motum circulalement successiue acquiruntur.

30 Dicendum igitur nobis est cum communi sententia, quam approbat Scotus q. 3. super hunc librum, D. Th. Fonseca, Pererius, Conimbricenses, & alij, quod etsi in Cælo respectu motus localis non solum non sit vera quies naturalis, sed neque propensio, & inclinatio naturalis ad illam; & similiter, quod etiam si particula istæ *mouendi, & quiescendi* sint copulatiuè accipiendæ; tamen competit eius materiæ, & formæ definitio naturæ. Quia verba illa accipiendæ sunt (vt dici solet) in sensu accommodato ita, vt sensus illorum sit, non quod omnis natura sit principium mouendi, & quiescendi, sed quod omnis motus, & quies naturalis sit à natura. Quo loquendi modo vtitur etiam Arist. 2. de anima text. 24. dum definiens animam dicit, *Anima est, qua viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus,* non quia omnes animæ faciāt has operationes, sed quia vbi-cumque reperiuntur, proveniunt ab anima.

31 Ad aliam instantiam totius globi terræ, qui nunquam mouetur, possit eodem modo responderi, ac ad instantiā de Cælo. Sed quia existimo, motum deorsum non esse ex par-

te termini neutrum toti globo terræ, sicut est motus circularis ipsi cælo, sed potius esse illi naturalem, non secus ac est ipsa quies in loco infimo; aliter respondetur, negando, scilicet, partibus essentialibus totius globi terræ non competere verba illa definitionis, *principium, & causa mouendi, & quiescendi*, etiam copulatiuè sumpta. Nam etiam si de facto totus globus terræ non moueatur, inest tamen illi inclinatio, & naturalis propensio ad hoc, vt, si extrahatur à propria sede, ad illam moueatur; & verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

32 Ad sextam, & vltimam negamus, definitionem naturæ competere alijs à natura. Et ad instantias calor naturalis, & grauitatis patet ex numer. 17. non competere illis prædictâ definitionem, quia etiam si sint principium, & causa mouendi, & quiescendi, sed non præcipua, & radicalis. Et ad instantiam medicinæ, qua medicus sanat se ipsum, respondetur, iam illam exclusisse Aristot. à ratione naturæ, quia etiâ si sit principium sanitatis eius, in quo est motus sanitatis, sed non intrinsecum, & essentialiter, sed per accidens.

QVÆSTIO III.

An hæc definitio naturæ sit quidditatiua? an descriptiua nuncupanda?

1 Statuimus quæstione præcedenti, definitionem naturæ traditam ab Arist. esse exactam. Sed quia exacta definitio dicitur quidditatiua, quoties essentiam definiti explicat; descriptiua verò quoties non essentiam, sed proprietatē illius declarat; ideò non incongruè ad exactiorē naturæ cognitionem inquirimus, an ista definitio naturæ sit quidditatiua? id est, essentiam naturæ explicans; an verò descriptiua? id est, solum eius proprietatem declarat.

2 Sunt qui negent, essentialem rationem naturæ consistere in hoc ordine principij, & causæ motus, & quietis, &c. per quem Arist. naturam definiuit; sed essentiam naturæ consistere affirmant in aliquo absoluto, vel saltem in ordine ad rem, cuius dicitur esse natura; v. grat. in materia, & forma substantiali, quæ ex mente Aristotel. naturæ sunt, essentiam naturæ dicunt consistere, vel in esse absoluto ipsius materiæ, & formæ substantialis, vel saltem in ordine partium constitutiuarum, quem dicunt ad compositum substantiale quod ex ipsis coalescit; rationem

VE:

verò principij, & causæ motus, & quietis, &c. per quem Aristot. naturam definiuit, dicunt, solum esse quamdam proprietatem ad essentialem rationem naturæ consecutam. Unde consequenter affirmât, hanc naturæ definitionem traditam ab Arist. non esse quidditatiuam, sed descriptiuam appellandam. Ita Philoponus 2. Physicor. commento 1. Fonseca 5. Metaph. cap. 4. q. 2. sect. 2. in fine.

3 Fundamentum esse potest auctoritas Arist. qui sæpè rationem naturæ declarat per ordinem partium essentialium constitutiuarum, quem dicunt illa, quæ sunt natura, ad totum compositum substantiale. Nâ 5. Metaph. cap. 1. text. 1. naturam dicit non solum esse principium, sed etiam elementum. Et capit. 5. text. 5. ponit hæc verba, *natura est id, ex quo primò inexistente generatur, quod gignitur.*

4 Sed vera sententia tenet, essentiam naturæ consistere in relatione principij principalis, & per se ad motum, & quietem, non qualicumque; sed intrinseci, & essentialis illi, in quo sunt motus, & quies; & consequenter definitionem naturæ traditam ab Aristotel. esse quidditatiuam appellandam. Hæc est sententia Scoti quæst. 3. super 2. Physic. vbi §. *Quantum ad primum* expressè affirmat nomen *natura* esse relatiuum,

non secus, ac nomen *pater*, & significare substantiam in relatione ad motum, & operationes naturales. Idem docent (imò, vt certum præsupponit) cæteri interpretes, D. Th. Simplicius, Burianus, Venetus circa hunc locum Arist. Iandunus, Toletus, Sotus, Conimbricenses q. 1. Suarez in Metaph. disput. 15. sect. 11. num. 4. Fonseca pro opposita sententia citatus cap. illo 4. sect. 3. Imò D. Th. cum dixisset, in definitione naturæ rectè collocari principium, & non aliquid absolute, quia nomen naturæ pro formali importat habitudinē, subdit, deridēdos esse illos, qui naturam per aliquid absolute definire conati sunt.

5 Fundamentum huius nostræ sententiæ est auctoritas Aristot. qui in hoc 2. libro, (vbi ex professo de natura agit) non solum illam definit per relationem principij ad motum, & quietem, sed in toto isto libro non aliter ipsam explicat, vel declarat, nisi per istam relationem: imò per ipsam distinguit naturam ab arte, atque alijs rebus; & similiter entia naturalia à non naturalibus. Et in principio tertij libri reddens rationem, cur agat de motu, istam assignat, quia, cum natura sit principium motus, necessariū est, vt ignorato motu, ignoretur ipsa natura. Ergo sentit Aristot. rationem essentialem naturæ formaliter consistere.

stiteret in relatione talis principij ad motum.

6 Neque ex locis adductis pro opposita sententia contrarium colligitur; nam ibi non negat Arist. relationem principij ad motum esse de essentia rationis formalis naturæ. Sed solum explicat, quale debeat esse hoc principium motus ad hoc, vt prædicta relatio sit de essentia rationis formalis naturæ dicens, debere esse ita intrinsecum rei, in qua est motus, vt sit eius elementum; & id, ex quo primò inexistente generatur. Quod nos non negamus; imò esse simpliciter necessarium, & per illam particulam definitionis, & non secundum accidens, denotari, cum ipsam quæstione præcedenti numer. 9 expendebamus, vt certum statuimus.

7 Sed obijciunt nobis aduersarij. Primò; de essentia, & quidditate alienius substantiæ non potest esse relatio. Sed natura est substantia; (Teste enim Aristot. materia, & formæ substantiales sunt naturæ) ergo de essentia, & quidditate naturæ non potest esse relatio principij, & causæ motus, &c.

8 Secundo; definitio, quæ datur per effectus definiti, non potest esse quidditatiua, & essentialis; nam, cum effectus supponat causam in suo esse essentiali, & quidditatiuo constitutam, est impossibile, quòd spectet ad illius rationem quiddi-

tatiuam, & essentialem. Sed hæc definitio naturæ datur per motum, & quiescentem, quæ sunt effectus naturæ: ergo prædicta definitio naturæ nequit esse quidditatiua, & essentialis.

9 Tertio; quia in natura prius est esse principium essendi ens naturale, quàm principium mouendi, & quiescendi ipsum ens naturale: non secus, ac in ipso ente naturali prius est esse, quàm moueri, & quiescere: ergo definitio, quæ datur per principium mouendi, & quiescendi, non debet essentialis, & quidditatiua reputari, sed potius, quæ datur per rationem principij essendi ipsum ens naturale. Patet consequentia, nam illud, quòd per se primò competit alicui rei, illud ab omnibus reputatur eius quidditas, & essentia.

10 Sed obiectiones istæ plus æquiuocationis, quàm difficultatis continent. Vnde ad primam concessa maiori, sic minorem distingues: natura est substantia; distingo; si natura sumatur pro materiali, & denominato, verum est; nam (vt argumētum obijcit) solis materię, & formis attribuit Arist. appellari, seu denominari naturas. At si natura sumatur formaliter, & pro per se significato huius nominis, minor est falsa: quippè forma, à qua materia, & forma substantialis denominantur naturæ, non est ipsa materia, & forma: hoc

hoc dicat? Sed relatio principij, & causæ mouendi, & quiescendi, &c. Constat autem, Aristoteli. per istam definitionem non definiisse naturam sumptam pro materiali, & denominato, sed pro formali, & per se significato.

11 Ad secundam respondetur, maiorem esse veram, quoties effectus definiti intrat in definitionem illius, vt pars intrinseca, & essentialis definitionis; secus verò si solum intrat, vt connotatum extrinsecum; qua ratione in præsentia definitione naturæ intrat particulæ motus, & quietis. Imò addo, esse simpliciter necessariū ad definitionem quidditatiuam definiti, quòd effectus illius intrat hoc pacto (scilicet, vt connotatum extrinsecum) eius definitionem, quoties quidditas definiti consistit in relatione principij, & causæ; (sicut consistit quidditas naturæ) quia tunc effectus est terminus per se talis relationis; & sicut impossibile est, quòd quidditas, & essentia relationis sit sine termino per se illius, quia intrinsecè pendet ab illo, tamquam à connotato extrinsecò; ita erit impossibile, quòd per definitionem talis quidditas relationis explicetur, quin in talem definitionem intrat, vt connotatum extrinsecum eius terminus per se; quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Verum est, quòd eo ipso

hæc definitio non erit purè quidditatiua, sed potius data (vt dici solet) per additamentum; sed hoc non est peculiare huius definitionis; sed quid commune, & simpliciter necessarium in definitionibus relatiuorum, vt fulsius in Logica cap. de genere disp. vnic. q. 3. declarauit.

12 Ad tertiam dicimus, quòd etiam si in natura (non sumpta formaliter, & pro per se significato: sic enim solum illi competit, esse principium mouendi, & quiescendi ipsum ens naturale, sed sumpta materialiter, & pro denominato, scilicet, pro materia, vel forma) sit prius esse principium essendi ens naturale, quàm principium mouendi; & quiescendi ipsum ens naturale; non tamen inde benè infertur, definitionem, quæ datur per esse principium essendi ens naturale, esse quidditatiuam appellandam; definitionem vero, quæ datur per esse principium mouendi, & quiescendi ipsum ens naturale, descriptiuam fore; sed quod debet inferri est, quòd etsi vtraque definitio sit quidditatiua respectu diuersarum affectionum materię, & formæ; (vt sunt esse partes essentielles, & esse naturas) tamen prior definitio antecedit prioritate naturæ posteriorem definitionem; sicut & esse essentialis antecedit ipsum moueri, & quiescere. Cuius ratio est, quia istæ duæ for-

formalitates (scilicet, esse principium essendi, per quam formalitatem constituuntur materia, & forma in esse partium essentialium; & esse principium mouendi, & quiescendi, per quam constituuntur eadem materia, & forma in esse naturalium) sunt essentialiter, & quidditatiue distinctæ, ac per consequens, etiam in ordine ad materiam, & formas, quas dominant, vna possit esse prior altera; tamen in ordine ad ea, quæ essentialiter, & quidditatiue constituunt, vnaquæque in suo genere est prima; imo est sola, & præcisa. Et congruit hæc doctrina menti Arist. qui de his duabus formalitatibus, vt de formalitatibus essentialiter distinctis in duobus distinctis libris disputauit: sed propter hanc prioritatem, atque posterioritatem, quam obseruant in ordine ad materiam, & formas, de priori egit in primo libro, & de posteriori in secundo.

13 Solùm est aduertendum, plures ex Thomistis existimare, hanc relationem, seu habitudinem principij, & causæ motus, & quietis, &c. in qua essentiam, & quidditatem naturæ formaliter sumptæ constituiunt, esse de conceptu essentiali, & quiditatiue materialis, & formæ. Et idem dicunt de relatione, & ordine partium essentialiter componentium, quem dicunt materia, & for-

ma ad ens naturale, quod componunt, in quo essentialiter, & quidditatiue cõsistit ratio partis essentialis. Sed præter, quã quod hoc est contra Scotum, qui q. 3. super 2. Physicorum, §. *Quantum ad secundum* expresse affirmat, hanc prædicationem, *substantia* (id est, materia, vel forma) *est natura*, non esse prædicationem quidditatiuã pluriquam ista, *substantia est pater*; constat manifestè esse falsum ex dictis 1. libro disp. 3. q. 3. contra eodẽ Thomistam, scilicet, potentiam subiectiuam (quæ absque dubio est magis intrinseca materiæ primæ, quàm istæ relationes) non esse de conceptu quidditatiuo, & essentiali materiæ primæ, sed potius illius propriam passionem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum de ratione naturæ sit esse principium, & causam, vt motus, & quies, & competant ei, in quo est, vt principio, quod actiuo; an vt passiuo, quod passiuo?

1 **S**Tatuimus hucusque de essentia, & quidditate naturæ formaliter sumptæ esse relationem principij; & causæ principalis, & per se, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa natura est, non per accidens, sed vt pars intrinseca, & essentialis illius. Verùm, quia enti naturali, quod est

est principium, & causa motus & quietis naturalis, vt quod (Naturæ enim hoc solum competit vt quo, & in quantum cõcurrens, vt pars essentialis ad dandum illi esse, concurrat consequenter ad dandum illi virtutem ad agendum, vel patiendum) dupliciter possunt competere motus, & quies, scilicet, vel actiuè, & tamquam principio, vt quod productiuo; vel passiuè, & tamquam passiuo, vt quod receptiuo; merito nunc indagamus ad exactiorem cognitionem essentiæ, & quidditatis naturæ, An de ratione naturæ sit esse principium, & causam, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod actiuo; an vt principium quod passiuo? & consequenter an de ratione naturæ sit esse principium quod actiuum, an principium quod passiuum motus, & quietis?

2 Ex quibus percipietis non rectè calluisse sensum huius quæstionis, qui in presenti exagitant, in quo genere causæ debeat concurrere natura ad motum, & quietem ad hoc, vt ratio naturæ ei conueniat? an in genere causæ efficientis; an materialis; an formalis; an finalis? nam, cum natura non sit principium, & causa, vt quod motus, & quietis; (Hoc enim, vt dixi, solum competit enti naturali) sed solum dicatur principium, & causa motus, & quietis, vt quo, & inquan-

tum concutrens, vt pars essentialis ad dandum esse enti naturali, concurrat consequenter ad dandum illi virtutem ad agendum, vel patiendum motum, vel quietem naturalem; in eo vtique genere causæ concurret natura ad motum, & quietem entis naturalis, in quo concurrat ad dandum illi esse essentiali, & consequenter virtutem ad agendum, vel patiendum motum, & quietem naturalem; & manifestum est, naturam (si sit materia) ad hoc concurrere in genere causæ materialis; & si sit forma in genere causæ formalis; Neque in hoc aliqua potest esse controuersia; sicuti est in explicando, an de ratione naturæ sit esse principium, & causam, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principium quod actiuo; an vt principium quod passiuo? & consequenter an sit de ratione eius esse principium, quo actiuum; an principium quo passiuum motus, & quietis?

3 Prima sententia affirmat, ad rationem naturæ non sufficere, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principium quod passiuo; sed necessariò requirit, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principium quod actiuo, Quod

si in contrarium obijcias. Materia prima ex Arist. locis infra citandis est natura. Sed materia, cum non sit actiua, non potest esse principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod actiuo: ergo ad rationem naturæ sufficit, quod sit principium, & causa vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod passiuo. Respondent Vallesius controuersia 11. ad tyrones, Vazq. 1.2. disp. 25. cap. 3. & Caberustract. 2. disp. 1. dubio 4. qui hanc sententiam defendunt, materiam non appellari ab Arist. verè, & propriè naturā, sed metaphoricè, & per denominationem à forma, quam recipit, & quæ verè, & propriè est natura. Quod probant ex ipsomet Aristot. qui ad finem primi capituli huius libri, & 5. Metaph. cap. 4. videtur naturam conuertere cum forma; & materiam solum esse naturam, quia est receptaculum formæ. Imò in 2. loco affirmat, omnem aliam substantiam per metaphoram ad formam dici naturam.

4 Secunda sententia docet, ad rationem naturæ sufficere, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, siue, vt principio quod passiuo, siue vt principio quod actiuo. In hanc sententiam conspi-

rant ferè omnes interpretes Aristot. teste Philippo Fabro theoremate 33. cap. 2.

5 Et in primis ad rationem naturæ sufficere, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod passiuo, probant optimè instantiæ materiæ primæ, quæ solum potest esse principium, & causa, vt motus, & quies cōpetant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod passiuo; & tamen negari non potest, materiam verè, & propriè esse naturam.

6 Primò, quia Arist. cap. 1. huius libri text. 10. & cap. 2. text. 21. & cap. 8. text. 81. differtis verbis, docuit, non solum formam, sed etiam materiam esse naturam. Quod etiam repetit 5. Metaph. cap. 1. text. 5. Secundò, quia materia est pars essentialis compositi naturalis, quod (teste Arist. hic text. 12.) non nisi ex naturis essentialiter componitur. Et demum tertio, quia iam generationes omnes non essent naturales, saltem ex parte materiæ: siquidem materia ab his auctoribus reijcitur à ratione naturæ.

7 Id autem, quod ad auctoritates Aristot. adductas auctores primæ sententiæ respondebāt, scilicet, Arist. appellare materiam naturam solum metaphoricè, & per denominationem à forma, quam in se recipit, voluntariè sanè dicitur. So-

Solum enim dicit Arist. locis adductis, formam esse magis naturam, quàm materiam. Sed hoc non tollit, quod materia etiam sit natura verè, & propriè: sicut etiam si Arist. dicat, formam magis pertinere ad essentiam compositi naturalis, quàm materia, non tollit, quod materia sit verè, & propriè pars essentialis compositi naturalis.

8 Neque oppositum sequitur ex locis Arist. quæ pro sua sententia Vallesius adducebat: nā falsum est, ibi Aristot. naturam conuertere cum forma; (sumpta natura prout in præsentia sumitur, scilicet, pro principio, & causa motus, & quietis, &c.) cum dicat expressis verbis, rationem naturæ, vt sic, conuenire etiam materiæ. Et dico notanter *sumpta natura pro principio, & causa motus, & quietis, &c.* quæ est acceptio, in qua in præsentij nomen *natura* vsurpamus; nam sumpta natura in acceptione, qua nomen *natura* vsurpauit Arist. locis adductis pro sententia Vallesij, & aliorum, scilicet, pro eo, ad quod formaliter tendit generatio, seu (vt verbis Arist. in fine capituli primi huius secundi libri utar) *pro eo, ad quod aliquid ex alio venit, seu nascitur*, fateor, tam ex mente Arist. locis citatis, quàm secundum veritatem rationem naturæ, vt sic, verè, & propriè solum competere formæ substantiali, & consequenter cum

illa conuertri; quia (vt Aristot. loco Metaph. citato dicit) *forma sola est finis formalis generationis*; & in fine capituli huius primi libri, *forma sola est id, ad quod aliquid ex alio venit, seu nascitur*; materiæ verò metaphoricè tantum, & quia est formæ receptaculum (vt ibi expressè dicit Arist.) Tamen hæc sententiam asserentem, materiam esse verè, & propriè naturam, sumpta natura pro principio, & causa motus, & quietis, &c.: quæ est acceptio, in qua nomē natura in præsentia à nobis vsurpatur, non impugnant, sed potius redarguunt Vallesium, & alios, qui contra ipsam his locis Arist. munebantur, mentē Arist. in ipsis ignorasse.

9 Deinde etiam sufficere ad rationem naturæ, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod actiuo, probant multis testimonijs Arist. Nam in primis hoc libro à tex. 7. vsque ad 15. non solum docet, formam esse naturam, sed etiam esse magis naturam, quàm materiam. Sed forma est principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod actiuo: ergo hoc sufficit ad rationem naturæ.

10 Secundò, quia text. 2. distinguit artificialia à naturalibus; quia hæc habent (inquit) principium motus, illa verò non:

non: quod de principio actiuo debet intelligi; nam hoc est, quod non habent artificia-

11 Tertiò, quia si Arist. existimasset de ratione naturæ solum esse principium, & causam, vt motus conueniat ei, in quo est, vt principio quod passiuo, per hoc excluderet medicinam, qua medicus sanat se ipsum, à ratione naturæ; & sic frustra adderet in definitione *ly, & non secundum accedens*, quod in text. 3. fatetur, se apposuisse ad excludendum à ratione naturæ medicinam, qua medicus sanat se ipsum.

12 Quartò; text. 86. dicit Aristot. quod si ars nauis factiua esset in ligno, ageret sicut & natura agit in eo, in quo est: ergo sentit, ad rationem naturæ sufficere, quod sit principium, & causa, vt motus conueniat ei, in quo est, vt principio quod actiuo.

13 Quintò, Arist. in 6. Metaph. dicit, quod principium artificialium est in cognoscente, & principium naturalium in moto. Modò sic arguuntur. Hic Arist. accipit nomen *principium* vniiformiter. (Aliàs argumentum nihil valeret.) Sed principium artificialiū, quod est in cognoscente, non est principium quo passiuum, sed actiuum: ergo etiam erit principium quo actiuum principium naturalium, quod est in moto.

14 Sextò; quia ex Aristot. 3. ethic. *violentum est, cuius principium est extra, passo non conferente vim, id est, positiuè veniente*: (vt explicat Scotus in 4. d. 29. q. 1. §. *Ad questionem*) & 2. ethic. ad Eudemium cap. 8. & 9. *cum igitur quidpiam foris præter impetum intrinsecum* (id est, contra impetum intrinsecum, vt exponit idem Scotus loco citato) *mouerit, sedauerit ve, violentum esse dicitur*: ergo per oppositum naturale erit, cuius principium est intra, passo aliquid agente, seu operante.

15 Septimò & vltimò; quia nullus negare potest, plures actiones denominari naturales à principio actiuo; sic enim dicimus, ignire esse naturale igni; calefacere calori, &c. sed actio denominatur naturalis à natura: ergo sufficit ad rationem naturæ esse principium, & causam, vt motus conueniat ei, in quo est, vt principio quod actiuo.

16 Tertia sententia defendit, ad rationem naturæ per accidens se habere esse principium, & causam, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo est, vt principio quod actiuo; esse tamen per se requisitum, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo est; vt principio quod passiuo: & propter hanc causam, non solum materiam, sed etiam formam substantialem esse naturam.

ram. Itaque auctores huius sententiæ non negant, formam esse naturam, sed dicunt reuera esse; imò magis, & principalius esse naturam, quam materiam: (vt sæpè docet Arist.) sed quod contendunt est, rationem naturæ non competere formæ, in quantum est principium, & causa vt motus, & quies competat enti naturali, in quo est, vt principio quod actiuo, sed vt principio quod passiuo. Hæc est sententia Scoti in 2. d. 18. q. vnic. in cōfutatione opinionis Alberti de rationibus seminalibus, & in 4. d. 34. q. 4. & 5. Metaph. cap. de materia, & sæpè alibi, quem omnes discipuli secuntur, Tartar. 2. Physicorum q. 1. §. *Quantum ad tertium*, Philippus Faber theorema. 33. Est etiam sententia Simplicij 2. Physic. cōmento 22. & 26. & in proemio libri de anima, Andrea Cæsalpini lib. 3. quæstionum Peripateticarum q. 1. & mihi videtur certissima, imò expressa in Arist.

17 Procius tamen explicatione primò aduertendum est, res naturales non dicere inclinationem, & propensionem naturalem determinatam ad recipiendum hunc motum potius, quam illum (v. g. ignem ad moueri sursum, terram ad moueri deorsum) ratione solius materiæ; aliàs omnes motus dicerentur illis ex parte principij passiuo naturalis; nam ratione materiæ non habet ignis, cur

magis inclinetur passiuè ad ferri sursum, quam ad moueri deorsum; neque terra ad ferri deorsum magis, quam ad moueri sursum. Sed hoc illis magis, & principalius conuenire ratione formæ substantialis, quæ sicut magis, & principalius, quam materia tribuit rebus naturalibus esse essentialiter determinatum; ita magis, & principalius tribuit illis propensionem, & inclinationem naturalem determinatam ad recipiendum hunc motum potius, quam illum; quæ inclinatio, seu propensio ad essentialiter esse consequitur. Quod aduerto, ne aliquis decipiatur existimans ex eo quod ponamus, de ratione naturæ tantum esse, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo est natura, vt principio quod passiuo, necessario inferri, rationem naturæ non posse competere magis, & principalius formæ, quam materiæ. Potest enim optimè, cum adhuc in hoc genere magis, & principalius sit principium, & causa motus, & quietis, forma substantialis, quam materia.

18 Secundò aduertendum est ex Scoto in 4. d. 43. quæst. 4. §. *Intelligendum est* liter. A. motum, & quietem posse tripliciter appellari naturalem, & consequenter eius principium quo naturam. Primò sumpto naturali, vt distinguitur cōtra

supernaturale; qua ratione naturale dicitur illud, quod habet naturalem ordinem actiui ad passiuum; sicut è contrario supernaturale, quod excedit omnem naturalem ordinem naturalem. Et in hoc sensu certum est, motum, seu quietem dici naturalem per ordinem ad agens, & naturam, quod est principium, & causa, ut prædictum agens huiusmodi morus, seu quietes naturales operetur. Sed conueniunt omnes, non sumi naturale, seu naturam in hac acceptione ab Arist. cum in præsentis libro illam definit: est enim nimis lata, & secundum illam omnes motus, & quietes, quæ fiunt naturæ viribus, debent dici naturalia, etiam si sint violenta, ut est morus, seu quies lapidis sursum, & omne illud, quod est principium, & causa, ut aliquod agens habeat vires ad huiusmodi motus, seu quietes producendas (siue sit substantia, siue accidens) dicitur natura.

19 Secundò sumpto naturali, ut distinguitur contra liberum; qua ratione naturale dicitur, quod procedit à principio ad agendum determinato, sicut è contrario liberum, quod procedit à principio, quod determinat se ipsum ad agendum. Et hac ratione (inquit Scotus) sumpsit Arist. naturale in hoc 2. libro text. 49. diuidens naturam contra agens à proposito; & 9. Metaph. ca-

pit. 2. & 4. diuidens potentiam actiuam immediatè in liberam, & naturalem. Et in hoc sensu etiam est certum, motum, seu quietem dici naturalem per ordinem ad agens, & naturam esse principium quod actiuum; siquidem ex diuersitate principiorum actiuorum accipiunt huiusmodi motus, seu quietes denominationem liberorum, vel naturalium. Sed etiam conueniunt omnes hic non sumi ab Arist. naturale, seu naturam in hac acceptione; aliàs actiones liberæ hominis (ut sunt legere, ambulare, &c.) non essent illi naturales in sensu, in quo hic loquitur de natura Aristoteles; neque anima, in quantum est principium, & causa, ut huiusmodi operationes cooperantur homini, in quo est, ut principio quod, posset dici natura. Quod non solum est falsum, sed etiam contra Aristot. 1. de partibus animalium capit. 1. ut quæstione sequenti dicam.

20 Tertiò, sumpto naturali prout distinguitur contra violentum; qua ratione motus, & quietes dicuntur naturales, quando sunt secundum propriam, & internam inclinationem, seu propensionem eius, in quo sunt; & natura id, quod est principium & causa huius propriæ, & internæ propensionis, & inclinationis ad motum, & quietem eius, in quo est; sicut è contrario dicuntur motus, & quietes violentæ, quan-

quando sunt contra propriam, & internam inclinationem, & propensionem eius, in quo sunt. Et in hac acceptione conueniunt omnes, sumi ab Arist. hic tam naturale, quam naturam. Sed differunt in explicando, an hæc propria, & interna inclinatio, quæ habet ens naturale ad motum, & quietem, ratione cuius motus, & quietes, quæ sunt secundum ipsam, dicitur naturales, & illa, quæ sunt principium, & causa illius dicitur naturæ, debeat esse propensio, & inclinatio actiua, & ad motum, & quietem producendam? an verò passiuæ, & ad motum, & quietem recipiendam? Nā auctores primæ sententiæ dicunt, necessarium debere esse actiuam, nec sufficere passiuam; auctores verò secundæ dicunt sufficere quamcumque; nos verò cum Scoto, atque auctoribus tertiæ sententiæ dicimus necessarium debere esse passiuam, nec sufficere actiuam, sed potius quoad hoc esse impertinentem.

21 His suppositis probatur contra sententiam. Primò ex Arist. qui ubicumque explicat, qualis debeat esse interna propensio, seu inclinatio entis naturalis ad motum, & quietem ad hoc, ut motus, & quietes, quæ sunt secundum illam, dicantur naturales, & principium, & causa huius propensionis dicatur natura, semper illam declarat verbis, quæ sonant principium,

seu inclinationem internam passiuam, non actiuam. Primo enim capite huius libri text. 3. tradens definitionem naturæ, ubi aliqui legunt, *natura est principium, & causa motus, & quietis*, alij vertunt iuxta rigorem Græcum per verbum passiuum *mouēdi, & quiescendi, seu ut id moueatur, seu quiescat*. Et text. 5. declarans, quæ sunt illa, quæ sunt secundum naturam, dicit, esse illa, quæ insunt rebus naturalibus per se; & ponit exemplum, *ut ignis ferri sursum*: ecce principium, seu inclinationem passiuam. Et text. 71. & 73. quærens discrimen inter mouentia naturalia, & non naturalia assignat ipsam penes principium passiuum: dicit enim, quod mouentia mota sunt physicæ considerationis; sed mouentia non mota non sunt physicæ considerationis. Et reddens rationem, cur mouentia non mota non sunt physicæ considerationis, seu (quod idem est) non sunt mouentia naturalia, subdit, *quia non habent principium motus in se ipsis*. Ex quibus verbis sic arguuntur. Mouens non motum secundum Arist. non est ens physicum, seu naturale, quia in se non habet principium motus. Sed habet in se principium motus actiuum; ergo ex Aristotel. ad rationem entis physici, seu naturalis principium actiuum intrinsecum motus est quasi non esset, sed necess-

ariò requiritur principium intrinsecum passiuum. Et 3. Physic. definiens motum naturalem (quo ignorato, vt ipse ibi in principio ait, necesse est ignorari naturam) duplicem ponit definitionem, & vtramque per ordinem ad principium, non actiuum, sed passiuum. Prima est, *Motus est actus entis in potentia secundum, quod in potentia*. Secunda est, *Motus est actus mobilis, vt mobilis*. Et 8. Physicor. à text. 27. tradens quasdam diuisiones mouentium, inter eas ponit hanc; mouentia alia sunt secundum naturam, & alia violenta, seu extra naturam; & explicans hæc membra dicit, ea, quæ mouentur contra principium passiuum, non moueri naturaliter, sed violenter; & exemplificat, vt cum terra mouetur sursum. Nihil ergo in Arist. certius, quam inclinationem, seu propensionem naturalem ad motum, & quietem debere esse, non actiuam, sed passiuam ad hoc, vt motus, & quietes, quæ sunt secundum illam dicantur naturales; & principium, & causa interna huius inclinationis ad motum, & quietem dicatur natura.

22. Secundò probari potest hæc nostra sententia rationibus. Prima; (& est ratio à priori) motus non dicitur naturalis, vt naturale opponitur violento, eo quòd procedat à principio intrinsecò ipsi agenti, dicente inclinationem naturalem

ad illum producendum; sed potius, quia recipitur in subiecto habente naturalem propensionem ad illum recipiendum; ergo natura, de qua hic loquitur Aristot. non constituitur in esse talis per rationem principij quo actiuus, sed passiuus motus, & quietis. Cōsequencia est euidentis. Antecedens probari potest exemplo calefactionis aquæ factæ ab igne, quæ etiam si procedat à principio intrinsecò ipsi igni, qui dicit naturalem inclinationem ad illam producendam; tamen non dicitur naturalis, sed violenta, non alia ratione, nisi quia in aqua non est inclinatio naturalis ad ipsam recipiendam, sed potius ad oppositum.

23. Confirmatur à Scoto loco quarti supra relato. Ab illo dicitur motus naturalis, & cōsequenter principium quo ipsius natura, quo posito sortitur talem denominationem, etiam si quodcumque aliud auferatur, & quo ablato, etiam si quodcumque aliud ponatur, prædicta denominatio aufertur. Sed posita in subiecto motus naturali propensione ad illum recipiendum, etiam si ex parte principij actiuus auferatur naturalis inclinatio, & propensio ad illum producendum, dicitur motus naturalis, (vt naturale opponitur violento) non verò cōuerso: ergo ad rationem motus naturalis, & consequenter ad rationem naturæ, solū requiritur

na;

naturalis inclinatio passiuæ, & omninò est impertinens actiuæ. Minor patet exemplo moderatæ calefactionis factæ in corpore humano, quæ naturalis dicitur (vt naturale opponitur violèto) eo quòd in tali corpore est propensio naturalis ad ipsam recipiendam, etiam si talis calefactio procedat effectiue ab Angelo, vel à quocūque alio agente non habente naturalem inclinationem ad illam producendam. At verò si talis calefactio recipiatur in aqua, vel alio simili subiecto non habente naturalem propensionem ad illam recipiendam, non dicitur naturalis, sed potius violèta, etiam si principium illam producens habeat inclinationem naturalem ad illam producendam, vt habet v.g. ignis.

24. Secunda; (& est ratio à posteriori) quia, si ad hoc, vt motus dicatur naturalis, & cōsequenter principium quo ipsius natura, sufficit, quòd sit secundum naturalem propensionem actiuam, sequerentur duo inconuenientia. Primū, quòd omnes motus, qui sunt ex viribus naturæ, essent naturales, & nullus violentus, cū omnes isti motus procedant ab agente habente propensionem naturalem actiuam ad illos producendos. Secundū, quòd malè posuisset Arist. in definitione naturæ ly eius, in quo est motus; siquidem in actionibus transeuntibus (quæ in sententia aduersariorum natu-

rales sunt, quoties principium actiuum, à quo procedunt, dicit naturalem inclinationem ad illas producendas) principium quo actiuum istarum actionum quod secundum aduersarios est natura) non est in subiecto, in quo sunt, seu recipiuntur hæc actiones, sed potius in agente, à quo procedunt.

25. Scio, aliquos hoc argumēto oppressos asserere, ad hoc, vt actiones dicantur naturales, & consequenter principium quo ipsarū dicatur natura, non sufficere, quòd sint secundum propensionem actiuam illius, à quo procedunt, sed etiam requiri, quòd sint immanentes, id est, quòd recipiantur in ipso agente, à quo procedunt.

26. Sed præterquam, quòd isti ex postulant conditionem non necessariam, sed omninò impertinētem ad naturalitatem actiuam, nam dari possunt actus naturales, non immanentes, sed transeuntes, vt est calefactio moderata in corpore humano ab igne proueniens. Præter hoc, (inquam) ista restrictione suam destruunt sententiā, & nostram magis confirmant; nā, si ad naturalitatem actionis non sufficit, quòd sit secundum propensionem actiuam illius, à quo procedunt, sed etiam requiritur, quòd sit immanens, profectò hoc erit, quia ad naturalitatem actus omninò impertinens est ordo, & habitudo ad principium, à quo procedit, & summè necessarius

ordo, & habitudo ad subiectum, in quo recipitur. Admittant ergo ad naturalitatem actus solum esse expectandū, quod sit secundum inclinationem naturalem passiuam subiecti, in quo recipiuntur, & nihil referre, quod sit secundum propensionem naturalem actiuam principij, à quo procedunt.

27 Sed argumentis factis ab auctoribus secundæ sententiæ ad probandum, ad rationem naturæ sufficere, quod sit principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo est, vt principio quod actiuo, occurramus. Ad primū fatemur libenter cum Aristot. formam non solum esse naturam, sed magis naturam, quam materiam; sed negamus, hoc illi competere inquantum est principium, & causa, vt motus, & quies competant enti naturali, in quo ipsa est, vt principio quod actiuo, sed potius, vt principio quod passiuo, id est, inquantum constituens essentialiter compositum naturale, sicut tribuit illi esse essentialiter, ita consequenter tribuit illi inclinationem, & propensionem naturalem passiuam, vt moueatur, & quiescat.

28 Ad secundum dicimus, in distinctione illa entis naturalis ab artificiali, quam fecit Aristot. text. 2. scilicet, quod entia naturalia habent in se principium motus, secus verò artificialia,

non sumplisse Arist. naturale, vt opponitur violento, qua ratione sumpsit illud in definitione naturæ, sed vt opponitur agenti libero, & à proposito, quale est agens artificiale: & sic hunc locum Arist. non esse ad rem; nam optimè stat, quod naturale, vt opponitur agenti libero, & à proposito, quale est artificiale, dicatur tale per ordinem ad efficiens; & consequenter natura, à qua hoc naturale sic dicitur sit principium, vt quo motus non passiuum, sed actiuum; & nihilominus, quod naturale, vt opponitur violento, non dicatur tale per ordinem ad efficiens, sed ad passiuum; & consequenter natura, à qua hoc naturale sic dicitur, sit principium, vt quo, motus, & quietis, non actiuum, sed passiuum.

29 Ad tertium negamus manere exclusam à ratione naturæ medicinam, qua medicus sanat se ipsum, per hoc, quod intelligatur de ratione naturæ solum esse principium, & causam, vt motus conueniat ei, in quo est, vt principio quod passiuo. Cuius ratio est, quia medicina, qua Hippocrates sanat se ipsum, non solum est principium, & causa, vt motus sanitatis conueniat Hippocrati, in quo existit, vt principio quod actiuo, sed etiam vt principio quod passiuo; sed cum hoc discrimine, quod vt Hippocrati conueniat motus sanitatis, vt prin-

principio quod actiuo, est principium, & causa per se: (Hippocrates enim non sanat actiuè se ipsum, inquantum Hippocrates, sed inquantum medicus) at vt Hippocrati conueniat motus sanitatis, vt principio quod passiuo, est principium, & causa per accidens. (Hippocrates enim non sanatur passiuè à se ipso, inquantum medicus, sed inquantum Hippocrates.) Imò hinc retorqueri potest argumentum in contrarios; nam si ly non secundum accidens solum potest competere medicinæ, vt est principium quo passiuum sanitatis; non verò vt est principium quo actiuum; excludendo Arist. per prædictam particulam medicinam, qua aliquis se ipsum sanat, à ratione naturæ, luce clariùs indicauit, de ratione naturæ non esse principium quo actiuum motus; sed potius principium quo passiuum.

30 Ad quartū dicimus, quod in illa comparatione artis ad naturam, quam ibi facit Aristot. non sumit naturam, seu naturale, vt distinguitur cōtra violentum, sed prout distinguitur contra liberum; in qua acceptione supra dictum est, naturam consistere in ratione principij quo actiuo: idem enim est, agere, sicut natura, ac agere determinatè ad vnum, & non liberè, & à proposito, sicut modò in artifice agit.

31 Ad quintum optimè res-

pondet Scotus in 2. d. 18. citata lit. C. illud dictum Aristotel. principium artificialium est in agente, verum esse, atque intelligendum de principio actiuo; & illud, principium naturalium est in moto, verum esse, & intelligendum de principio passiuo; neque necessarium esse, vt rectè concludat Arist. argumentum, quod nomen principium in illis locis vniuniformiter accipiatur; quia non sumit naturale, vt opponitur artificiali; qua ratione naturale debet dici per ordinem ad principium actiuum, non secus, ac dicitur artificiale, sed prout opponitur violento, quod tale etiam dicitur per ordinem ad principium passiuum.

32 Ad sextum respondetur, quod etiam si ex mente Scoti particulæ illæ definitionis violenti traditæ 3. ethic. passo non conferente vim, non sint negatiuè accipiendæ, sed positiuè, ita vt sensus sit, passo præbente inclinationem contrariam; & particulæ illæ, præter impetum intrinsecum, positæ in definitione violenti tradita 2. ethic. ad Eudemum idem valent, ac contra impetum internum; tamen nomine inclinationis, seu impetus interni non intelligi inclinationem, seu impetum actiuum, sed passiuum, quem ratione formæ habet ens naturale ad recipiendū aliquos motus; & manifestum est in lapide, in quo etiam si non esset principium actiuum

motus, quæ naturaliter mouetur deorsum, sed solum passiuum (vt plures Thomistæ cōtendunt) non minus violenter moueretur sursum, ac mouetur ponendo in illo principiū actiuum motus deorsum.

33 Ad septimum, & vltimum respondetur, quod, si naturale sumatur, vt opponitur supernaturali, vel libero, verū est, plures actiones, imò omnes, quæ fiunt ex viribus naturæ, & à principio ex natura sua determinato ad vnum, dici naturales per ordinem ad principiū actiuum; secus verò esse, si naturale sumatur, vt opponitur violento, vt probatū est, atque exemplificatū in calefactione.

QVÆSTIO V.

Quibus rebus competat definitio tradita naturæ?

IN hac quæstione aliqua sunt certa, & aliqua posita in controuersia. Primum certū est definitionem naturæ hic traditam ab Arist. non cōpetere priuationi. Tum, quia etsi priuatio sit principium motus, non tamen est illius causa; & (vt q. 2. nu. 11. dicebamus) ly *principium* positum in definitione conuertitur cum causa. Tū etiam, quia ad rationem naturæ (vt q. 2. nu. 19. dicebamus) requiritur, quod sit principium intrinsecum, & essentialiter eius, in quo est motus, quod priuationi minimè potest cōuenire.

2 Nec refert, quod Arist. hic text. 15. appellat priuationem naturam; nam (vt benè exponit Scotus q. 5. super 2. Phys.) Arist. nomine priuationis intelligit formam minus perfectam, quæ respectu perfectioris dicitur priuatio. Quæ expositio pulchrè quadrat contextui: statuerat enim Aristot. formam esse naturam; & quia forma est in duplici differentia, perfecta vna, atque imperfecta alia, quæ eo ipso respectu perfectioris dicitur priuatio, inde optimè infert, priuationem esse naturam; quia priuatio quodam modo est forma, id est, est forma imperfecta. Verba Aristot. sunt, *Forma itaque natura est, sed forma, & natura dupliciter dicitur; etenim priuatio forma quodam modo est.*

3 Secundum certum est, definitionem naturæ nulli accidenti cōuenire. Tum, quia hoc fatetur Aristot. hic text. 4. his verbis, *Naturam autem habent; quæcumque huiusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia.* Tum etiam, quia ad rationem naturæ necessarium est, quod sit principium quo motus, & quietis, non quæcumque. Sed primo, seu *primum*, id est, (vt q. 2. n. 17. ex Scoto exponebamus) principale, primarium, & radicale: quod non competit alicui accidenti, nō obstante, quod plura sint principia quo motus, & quietis; nam omnia supponunt substan-

stantiam, suntque instrumenta illius.

4 Tertium certum est, definitionem naturæ competere tã materiæ primæ, quàm formis substantialibus rerum corruptibilium. Tum, quia tã materia, quàm de formis substantialibus hoc sæpè affirmavit Aristot. locis adductis quæstione præcedenti num. 6. & 9. Quod saltem de formis rerum corruptibilium debet verificari. Tum etiam, quia, cum materia, & forma rerum corruptibiliū constituant entia naturalia corruptibilia in suo esse essentiali, & consequenter tribuant inclinationē, & propensionem passiuā ad recipiendos motus, & quietes physicas, & materiales, quæ ad ipsorū esse essentialiter, tamquam propria passio consequitur, erunt absque dubio principia, & causæ, vt quo, non quæcumque, sed principales, & per se sufficientes, vt prædicta entia naturalia, in quibus non per accidens, sed potius intrinsecè, & essentialiter sunt, mouentur, & quietant: quæ sunt, in quibus definitio naturæ tradita ab Aristot. consistit.

5 Primum, quod ponitur in controuersia, est, An formis calorum conueniat definitio naturæ ab Arist. tradita? Videtur enim, in aliquorum principijs hoc esse denegandum. Nā in primis in sententia Vallesij, & aliorum, qui (vt vidimus q.

4. num. 3.) sustinent, ad rationem naturæ non sufficere, quod sit principium, & causa, vt motus, & quietes competant ei, in quo est, vt principium quod passiuo, sed necessariò requiri, quod sit principium, & causa, vt motus, & quietes competant ei, in quo est, vt principium quod actiuo, videtur consequenter affirmandum, formis calorum non competere definitionem naturæ: siquidem his formis (cum non sint principium quo actiuum motus calorum. Mouentur enim actiuè ab intelligentijs illis assistentibus,) non potest competere, quod sint principium, & causa, vt motus localis competat calis, in quibus sunt, vt principium quod actiuo.

6 Deinde in sententia Doctoris nostri, qui 2. sent. d. 2. q. 6. §. *Ad propositum* lit. O. & in 4. d. 48. q. 2. §. *Ad quæstionem* liter. E. sustinet, motum calorum non esse naturalem, quia aliàs esset terminabilis ad aliquem locum, in quo quiesceret naturaliter, & sic, dum mouetur à tali loco, ille motus esset illi violentus: quod non est affirmandum, quia nullus motus localis est calis violentus, videtur etiam affirmandum, formis calorum non posse competere definitionem naturæ; quia implicatio est in terminis, quod aliquis motus non sit naturalis, & quod principium quo eius sit natura.

7 Sed vera, & communis sententia est, definitionem naturæ traditam ab Aristot. etiam formis cælorum conuenire. Id colligunt auctores ex ipso Philosopho, qui pluribus in locis, præsertim i. de cælo text. 5. & libr. 3. text. 1. & de partibus animalium cap. 5 & 8. Metaph. text. 11 & 12. enumerat cælos inter corpora naturalia: quod minimè præstare posset, nisi supponeret, formas ex quibus essentialiter constant cæli, verè, & propriè esse naturam, eisque verè, & propriè definitionem naturæ ab ipso traditam conuenire.

8 Et ratio à priori est ipsa met, quam adduximus in hac quæstione num. 4. ad hoc ipsum probandum de formis substantialibus rerum corruptibilium, quæ etiam applicari potest formis substantialibus cælorum: nam secundum fidem certum est, cælos esse compositos ex materia, & forma, tanquam ex partibus physicis essentialibus, quæ sicut tribuunt illis esse essentialia, ita & inclinationem, seu propensionem passiuam ad recipiendos motus circulares; quæ ad ipsorum esse essentialia, tanquam propria passio, consequitur; imò & inclinationem, & propensionem tam actiuam, quam passiuam ad motus alterationis, quorum cæli sunt capaces.

9 Et dixi notanter secundum fidem, quia in hoc errauit Philosophus, existimans, cælos

non esse compositos ex materia, & forma, sed potius esse corpora simplicia; ut statuit Scotus q. 4. super 2. Physicorum conclusionem secundam, non ex mente propria, sed ex mente Philosophi: (ut bene aduertit Arétius in annotationibus ad hanc quæstionem liter. A.) ex mente enim propria non solum sustinet Scotus, cælos esse compositos ex materia, & forma, sed etiam acutè probat in 2. d. 14. q. 1. materiam cælorum esse eiusdem rationis cum materia rerum corruptibilium.

10 Neque oppositum huius veræ, & communis sententiæ coguntur sustinere Vallesius, & alij, qui ad rationem naturæ, ut simpliciter necessarium exigebant, quod sit principium, & causa, ut motus, & quies competat ei, in quo est, ut principio quod actiuo: nam facile respondere possunt, quod etsi formæ cælorum non sint principium, & causa, ut motus localis competat cælis, in quibus sunt, ut principio quod actiuo; sunt tamen principium, & causa, ut motus alterationis, qui reperiuntur in cælis, in quibus ipsæ sunt, competat eis, ut principio quod actiuo; & ad rationem naturæ (ut q. 2. n. 14. dicebamus) non est necessarium, quod sit principium, & causa cuiuscumque motus, sed fat est, quod sit alicuius. Quævis durum sanè sit id, quod in ista solutione admittunt, scilicet, motum localem, adhuc ex parte prin-

principij non esse cælo naturalè neque formæ eius respectu huius motus appellari posse naturam.

11 Multò minus cogitur Scotus ad oppositum huius veræ, & communis sententiæ sustinendum; nam (ut bene vidit Faber theoremate 63.) duobus modis potest motus cæli appellari naturalis. Primò ex parte termini, quia scilicet, tendit ad aliquod *vbi* determinatum, in quo naturaliter petit quiescere; non secus ac motus, quo terra fertur deorsum, dicitur naturalis, quia tendit in aliquod *vbi*, in quo quiescere naturaliter exposit. Secundò ex parte principij passiuo, quia scilicet, in ipso cælo, in quo recipitur, est inclinatio, seu propensio naturalis ad motum istum circulem, quo de facto ab intelligentia sibi assistente mouetur, recipiendum, nulla habita ratione termini, ad quem tendit.

12 Ad propositum ergo. Cùm Scotus negat, motum cæli esse naturalem, aut violentum, sed potius esse neutrum; solum hoc affirmat de naturali sumpto ex parte termini, ut ratio, quam ipse adducit, satis declarat, & conuincit: quæ est etiam sententia Auicenæ 9. metaph. cap. 2. Plutarch. lib. 1. de Placitis Philosophorum cap. 1. Alberti 2. Physicorum tract. 1. cap. 3. Durandi d. 14. q. 2. & recepta in nostra schola: non verò id negat sumpto naturali ex parte

principij passiuo, quod solum est requisitum ad hoc, ut formis cælorum definitio naturæ tradita ab Aristot. verè, & propriè conueniat respectu motus localis.

13 Porro Scotum non posse negare, motum circulem cælorum esse illis naturalem ex parte principij passiuo, & consequenter eorum formis verè, & propriè competere definitionem naturæ, colligitur ex 12. metaph. text. 29. vbi affirmat, considerationem substantiæ sensibilis, & ingenerabilis (per quam intelligit cælum) spectare ad Physicum; nam cùm ex alia parte sustineat (ut ex proemialibus huius operis constat) corpus naturale esse obiectum philosophiæ, manifestè conuincitur, in sententia eius cælum esse corpus naturale, & consequenter tam formam eius, quam materiam, ex quibus essentialiter constat, verè, & propriè esse naturas.

14 Secundum, quod ponitur in controuersia, est, utrum animæ nostræ, ut rationalis est, conueniat definitio naturæ? Et dico notanter, *ut rationalis est*; nam ut est vegetatiua, & sensitiua, non potest in dubium reuocari: (quidquid velint Simplicius, & Albertus) Tùm quia ratio facta num. 4. de formis rerum corruptibilium, idem conuincit de anima nostra, ut est vegetatiua, & sensitiua. Tùm etiam, quia id satis expressit Arist.

Arist. dum tex. 1. ait; *natura quæ dem sunt, & animalia, & partes ipsorum, & plantæ.*

15 Partem negativam tenent Avicena lib. 1. sufficientiæ capit. 5. Albertus Magnus lib. 1. Physic. tract. 1. cap. 2. & libro de origine animæ, capit. 9. & Simplicius hic text. 3. & probant. Primò, quia Arist. hic capit. 1. diuidit naturam in subiectum, & in id, quod est in subiecto. Sed anima rationalis neque est subiectum; (id enim est materia) neque in subiecto; forma enim, quæ est in subiecto, est materialis, & naturaliter inseparabilis ab illo: animam autem rationalem esse immaterialem, atque separabilem naturaliter ab illo docet Arist. 3. de Anima, est que certum secundum fidem; ergo anima rationalis non est natura.

16 Secundò; forma, quæ est natura, non potest separari a materia. Sed anima rationalis (vt fides docet) ab ea separatur: non ergo est natura. Maior est Aristot. hic tex. 12. & insuper probari potest, quia quidquid natura est, non potest non esse principium motus Physici, & corpori: animæ verò separatæ a materia hoc non potest conuenire, sed solum esse principium actionum purè spiritualium, vt sunt velle, & intelligere.

17 Tertio; forma, quæ est natura, debet educi de potentia materiæ. Sed anima rationalis de potentia materiæ non edu-

citur: ergo, &c. Maior patet; nam forma, quæ est natura, debet per naturam produci, sicut forma artis debet per artem attingi; aliàs natura esset imperfectior arte. Sed natura nihil producit, nisi educendo illud de potentia materiæ: ergo forma, quæ est natura, debet educi de potentia materiæ.

18 Quarto; operationes animæ, vt rationalis est, non sunt naturales; ergo neque ipsa anima, vt naturalis est, erit natura. Consequentia est euidens; nam natura est principium, & causa non cuiuscumque motus, seu operationis, sed motus, & operationis naturalis. Antecedens probatur, quia operatio naturalis in presenti solum appellatur operatio materialis, atque spectans ad physicam considerationem: operationes autem animæ, vt rationalis est, omnino sunt immateriales, cum sint intelligere, & velle, quæ non solum in Angelis, sed etiã in ipso Deo reperiuntur. Vnde Arist. 1. de Partibus animalium, cap. 1. propter hanc rationem animam rationalem a consideratione physica excludit; immò, & a ratione naturæ.

19 Contraria tamen sententia tenenda est, quæ sequuntur Auerroes, Themistius, & Alexander ad text. 3. atque maior, meliorque Philosophorum pars. Et ratio est, quia omnis forma substantialis corporis physici est natura, non secus ac totum, quod

quod ex eis essentialiter resultat, est verè, & propriè ens naturale. Sed anima nostra etiã secundum gradum rationalis, est verè, & propriè forma substantialis corporis physici scilicet, humani; (vt est decretum in Concilio Lateranensi 3. sub Leone X. & in Viennensi sub Clemente V. & refertur in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica) ergo negari non potest, animam nostram, etiam vt rationalis est, esse naturam.

20 Et confirmatur, quia anima nostra secundum gradum rationalis est principium, & causa, non qualiscumque, sed præcipua, & radicalis, & perse sufficiens, vt homo, in quo est, tamquam pars intrinseca, & essentialis, moueatur pluribus motibus physicis, & materialibus, vt sunt admirationis, risus, fletus, &c. ergo habet omnia requisita ad hoc, vt illi definitio naturæ tradita ab Arist. conueniat.

21 Ad primam rationem negamus, animam nostram non esse in subiecto; cum de fide sit, adhuc vt rationalem, esse formam corporis humani. Neque oppositum bene infertur ex eo quod non sit materialis, & sit separabilis naturaliter à subiecto: nam ad hoc, vt forma sit materialis, & naturaliter inseparabilis à subiecto, non sufficit, quod illud informet, sed etiam ne;

cessarium est, quod de eius potentia educatur; id est, quod eius entitas in suo esse, fieri, & conseruari pendeat ab illo in genere causæ materialis: quod nullatenus competit animæ rationali.

22 Ad secundam negamus minorem, scilicet, formam, quæ est natura, non posse separari à materia. Et ad probationem dicimus, in anima rationali, dum est in statu separationis à materia, duo nos posse considerare. Primum conuiderari potest id, quod potest præstare in illo statu separationis. Secundum, aptitudinē, quæ habet adhuc in illo statu separationis ad informandum corpus. Si primum consideremus, fateor, animam rationalem, vt sic, non esse naturam; quia vt sic, non potest esse principium, neque actiuum, neque passiuum, adhuc, vt quo motus physici, & corporei. Et hoc est, quod contendit Arist. text. illo 12. citato. At si consideremus secundum, verè est natura; siquidem vt sic habet aptitudinē ad informandum corpus, & consequenter ad essendum principium, & causa, vt homini, qui ex illa, & corpore, tãquam ex partibus essentialibus resultat, cõpetant, vt principio quod plures motus physici, & materiales (vt sunt nu. 20. enumerati) Neq; ad hoc, vt actu sit natura, est necessarium, quod adualiter

informet, sicuti neque quòd actualiter causet, vt quo istos motus, sed sufficit aptitudo: quippè verba definitionis non dicunt actum, sed aptitudinē: quòd hic magis debet verificari, cum de ratione naturæ non sit esse proximum principium, sed potius radicale.

23 Ad tertiam negamus maiorem; & ad probationem dicimus, ad formam, quæ est natura (in sensu, quo nunc loquimur) non requiri, quòd à natura producat, sed quòd sit (vt ait Arist.) principium, & causa mouendi, & quiescendi, &c. siue producat à natura, siue à Deo: aliàs formæ elementorū in prima rerū conditione productæ, non essent naturæ; siquidem non fuerunt à natura productæ, sed à Deo. Dixi notanter in sensu, quo nunc loquimur; nā si natura, seu naturale accipiat in alio sensu, scilicet, vt opponitur gratiæ, seu enti supernaturali, vt sic, necessarium est ad naturam, seu ens naturale, quòd producat à natura, seu ab agenti naturali; quòd etiam competit animæ; nam etiam si producat à Deo, sed non vt agens supernaturale est, sed vt agens naturale; imò attendendo ad id, quòd exigunt dispositiones factæ ab agentibus naturalibus; exigunt enim, quòd Deus in materia ab ipsis disposita creet animam: & in hoc sensu potest dici, quòd creatio animæ est in potestate naturæ,

inquantum, scilicet, in potestate agentium naturalium est, sic disponere materiam, vt exit, quòd Deus creet animam in ea.

24 Ad quartam aliqui auctores contendentes animam rationalem pro hoc statu esse naturam, non solum inquantum est principium, & causa aliquarum operationum materialium, vt sunt admirari, ridere, flere, &c. quæ (vt supra dicebamus) proueniunt ab anima, quatenus rationalis est, sed etiam esse naturam, vt est principium, & causa operationum spiritualium, vt sunt intelligere, & velle, absolute negant antecedens; (scilicet, operationes animæ, vt rationalis est, non esse naturales, seu physicas) & ad probationem dicunt, quòd etiam si intellectio, & volitio huius status non sint materiales, & sensibiles, & consequenter, neque considerationis physiciæ, si consideretur secundum substantiam, & in esse entis: tamen quia pro hoc statu non exercentur ab anima, nisi dependenter ab operatione sensibili, & materiali phantasiæ sensus communis, aliorumque sensuum extenorū, & non vtrumque; sed ita ut harum mutationum ipsa anima etiam sit radicale principium, tam quoad substantiam, quam quoad hoc, quòd est eas ordinare ad intellectioem, & volitionem, possunt

sunt prædictæ operationes (intellectiones, inquam, & volitiones) appellari, saltem quoad modum, materiales, & sensibiles. Quòd dicunt sufficere ad hoc, vt operationes istæ appellentur, & sint naturales, & physiciæ in sensu necessario, & requisito ad hoc, vt earū principium sit natura; & ad esse obiectum naturalis Philosophiæ.

25 Hæc solutio non solum est optima, sed etiam habet fundamentum in Arist. qui lib. 3. de anima agit ex professo de anima rationali, vt est principium intellectioem dependentis à phantasmate, quòd non faceret, nisi existimaret, intellectioem dependentē à phantasmate habere materialitatem, & sensibilitatem sufficentem ad hoc, vt dicatur operatio naturalis, & principium eius natura (sumptis naturali, & natura in sensu requisito ad hoc, vt sit obiectum Philosophiæ) siquidem tertius liber de anima inter præcipuas partes naturalis Philosophiæ numeratur. Vnde ad auctoritatem ex 1. de partibus animalium in contrarium adductam respondetur, Arist. solum excludere animam à ratione naturæ, & à consideratione physiciæ; vt est principium intellectioem, & volitionis in statu separationis; & independenter ab operatione sensibili; & materiali phantasiæ, sensus communis,

atque aliorum sensuum extenorū: & merito quidem, cū, vt sic, huiusmodi operationes, nec quoad substantiam, nec quoad modum sensibiles, & materiales sint, sed prorsus spirituales, non secus, ac sunt Angelorum, & ipsius Dei.

26 Neque obstat, quòd aliqui obijciunt, scilicet, naturam in modo operandi esse determinatam ad vnum; animam verò rationalem non solum respectu volitionis, sed etiam respectu affectuum materialium quoad substantiam, quæ ab ipsa, vt rationalis est, proueniunt (vt sunt loqui, ridere, &c.) non esse principium determinatum, sed potius liberum, & se ipsum determinans. Respondetur enim, antecedens esse verum, sumpta natura prout naturale distinguitur à libero, non verò prout distinguitur à violento; in qua acceptione nunc loquimur de natura; (vt ex q. 4. num. 19 & 20. constat) nam ad naturam in hoc sensu sufficit, quòd sit principium, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est, primum, & per se, & non secundum accidens, siue principium actiui talis motus, & quietis sit determinatum ad vnum, siue liberum, & se ipsum determinans.

27. Tertium, quòd ponitur in controuersia, est, an formæ totali, vt est humanitas, & aliæ similes, conueniat definitio naturæ tradita ab Arist. Fon-

feca 5. metaph. cap. 4. quæst. 1. sect. 3. existimat, nomen, & rationem naturæ, non solum cōuenire formæ, seu essentiæ totali, sed conuenire ei veriùs, & perfectiùs, quàm materiæ, & formæ partiali, ex quibus essentialiter coalescit. Et suaderi potest. Primò, quia forma, seu essentia totalis, v. gr. humanitas verè dicitur natura humana, imò veriùs, & perfectiùs, quàm materiæ, & formæ, ex quibus essentialiter coalescit, cum hæ dicantur natura humana non in recto, sed in obliquo, id est, partes essentialis, ex quibus natura humana constat, seu componitur, humanitas verò simpliciter, & in recto.

28 Secundò, quia forma totalis est principium, & causa totalis, & adæquata per se motus, & quietis eius suppositi, in quo intrinsecè, & essentialiter, & non secundum accidens est: ergo, conuenit ei definitio naturæ, tradita ab Aristot. imò veriùs, & perfectiùs, quàm materiæ, & formæ, cum hæ seorsim sumptæ, non sint principium, & causa totalis, & adæquata, sed potiùs partiales, & inadæquata.

29 Sed licet negari non possit, formam totalem esse naturam, imò veriùs, & propriùs, quàm materiæ, & formæ, sumpta natura in secunda acceptione huius nominis *natura* ex flex, quas quæst. 1. huius disputa-

tionis enumerauimus, scilicet, sumpta natura pro essentia, in quantum est radix proprietatum, quæ illam consequuntur, vt manifestè conuincit primum argumentum, presententia Fonseca adductum: tamen sumpta natura in sexta acceptione, in qua diximus, Aristotelem sumpsisse nomen *natura*, cum hinc illam definit, dicendum est, formam totalem non esse naturam, neque illi definitionem traditam ab Arist. conuenire.

30 Hæc est (meo videri) expressa sententia Arist. qui primo capite huius libri assignans ea, quibus ratio naturæ, quam ipse definiat, conuenit, non solum materiæ, & formam tantum enumerauit, sed etiam text. 12. totum compositum ex materia, & forma his verbis à ratione naturæ exclusit; *quod autem ex his natura quidem non est, sed à natura.* Super quæ verba sic D. Thom. alloquitur. *Possit autem aliquis credere, quod, quia materia dicitur natura, & etiam forma, quod compositum possit dici natura; quia substantia dicitur de materia, & de forma, & de composito; sed hoc excludit dicens, quod compositum ex materia, & forma non est ipsa natura, sed est aliquid à natura, quia natura habet rationem principij, compositum habet rationem principij.*

31 Et ratio à priori est, quia de ratione naturæ, quæ hinc definitur, est esse principium motus,

tus, non qualecumque; sed (vt dicitur in ipsa definitione) primum, id est, radicale, & simplex, & non ex alijs prioribus principijs coalescens. Sed forma totalis, etsi sit principium motus, sed non radicale, & simplex, sed potiùs compositum ex alijs prioribus principijs, vt sunt materiæ, & formæ, coalescens. Nequit ergo definitio naturæ, & ratio naturæ, quæ per ipsam explicatur, formæ totali conuenire.

32 Ex his patet ad secundum argumentum. Ad primum autem iam dictum est, solum probare formam totalem esse naturam, imò esse veriùs, & perfectiùs naturam, quàm materiæ, & formæ in alia diuersa acceptione naturæ, scilicet, sumpta pro essentia, vt est principium suarum proprietatum: in qua acceptione diximus q. 1. etiã formis accidentalibus nomen naturæ conuenire.

QVÆSTIO VI.

Quo pacto natura differat ab arte?
& quomodo ars se habeat ad naturam?

I AD exagitantium hanc questionem, an sam dedit Arist. dum textu primo huius libri, eorum, quæ sunt, quædam dicit esse à natura, tanquã à causa efficienti, alia verò ab alijs causis; vbi nomine aliarum causarum artem intellexit, vt

in annotationibus nu. 1. cum Auerroë, Scoto, & alijs explicuimus.

2 Est autem aduertendum, non sumi hic naturam in acceptione, qua hucusque de ipsa locuti sumus, scilicet, sumpto naturali prout distinguitur à violento, & natura pro principio passiuo, vt *quo* motus, & quietis eius, in quo est, primò, & per se, & non secundum accidens; qua ratione solum sub se (vt visum est) materiæ, & formam substantialem comprehendit. Sed sumpto naturali prout distinguitur contra agens à proposito; inter quæ agentia agens artificiale enumeratur; & sumpta natura pro principio, non passiuo, sed actiuo, vt *quo* non sequens cognitionem; (qua ratione sub se comprehendit, non solum formam substantialem, sed etiam formas accidentales actiuas physicas, vt sunt calor, frigus, &c.) nam per hoc distinguitur natura ab arte, quæ inter principia, vt *quo* actiuæ, quæ secundum cognitionem, enumeratur; & ideo definitur ab Aristot. 6. ethic. cap. 4. quod sit habitus cū ratione effectiuus.

3 Similiter est aduertendum, artem posse dupliciter considerari. Primò, vt se tenet ex parte artificis; qua ratione habet rationem principij actiui, & competit illi definitio, quam nuper ex Aristot. retulimus. Secundò, vt se tenet

ex parte artefacti; quæ ratione potius induit rationem effectus, quam principij, & consistit in modificatione illa, & dispositione, cum qua opus fit ab artifice, vt se habet figura in statua, & sic in alijs.

4 Si ars consideretur ex parte artefacti, dicendum est, artefacta distingui ab entibus, quæ fiunt à natura, eo quod entia, quæ fiunt à natura, habent in se principium motus; (vt docet Arist. tex. 2. huius libri) secus verò entia, quæ fiunt ab arte formaliter, & vt ab arte sunt considerata, *Lectus* (inquit Aristot.) & *indumentum*, &c quatenus est ab arte, nec vnum quidem habet impetum mutationis innatum; quatenus autem accidit ipsis lapidea, aut terrea esse, aut mista ex his eatenus habent.

5 Nec obstat communis obiectio aliquorum artefactorum, quæ ratione illius modificatio nis, seu dispositionis, quæ relicta est eis per artem, videntur habere in se principium motus, vt videri est in horologio, & in pharmaco confecto per artem medicinæ, & in statuis factis à Dædalo, quæ (vt refert Aristot. 1. Politic. cap. 3. & 1. de anima tex. 44.) se ipsas mouebant.

6 Respondetur enim, principium motus istorum artefactorum non esse modificationem, seu dispositionem illam, quæ relicta est eis per artem, sed potius naturam eorum, ex quibus com-

pacta sunt: modificationem autem, aut dispositionem, quæ relicta est eis per artem, solum se habere vt conditionem facilitantem, aut retardantem, aut temperantem motus, qui in eis proueniunt à natura eorum, ex quibus compacta sunt: v.g. in horologio motus ille simpliciter, & quoad substantiam prouenit à natura ponderum, quæ, cum grauis sit, ad motum deorsum tendit, & secum trahit rotas horologii: modificatio autem, seu dispositio rotarum, quæ derelicta est eis per artem, solum est conditio, vt illæ rotæ non moueantur, & trahantur à ponderibus ea velocitate, quæ aliàs traherentur. Item in pharmacis effectus sanitatis prouenit à virtute naturali herbarum, & simplicium, ex quibus conficiuntur, & ex virtute naturæ viuentis, cui illa pharmaca applicantur: ex modificatione autem, seu dispositione illis pharmacis per artem medicinæ derelicta, solum prouenit, quod actiuitas illorum simplicium, ex quibus fit pharmacum, temperatè agat in ipsum viuens, cui pharmacum applicatur. Demum in statuis Dædali motus illi fiebant ex virtute alicuius causæ naturalis in illis inclusæ: (vt notauit Arist. dicens, *Dædalum mobilem fecisse ligneam. Venereum argentum fusile infundendo*) ex modificatione verò, seu dispositione derelicta eis per artem solum

lum proueniebat, quod illi motus fierent, vel ante, vel retro à dextris, vel à sinistris.

7 Si autem ars consideretur, vt se tenet ex parte artificis, plura sunt, in quibus natura, & ars conueniant, & plura in quibus differunt. Primò conueniunt, quod tam natura, quam ars sunt principium quo agendi, seu actiuum. Secundò, quod sicut agens naturale producit effectum sibi similem ratione formæ, ex qua ipsum constat; ita artifex opus effingit intelligibili formæ, siue exemplari à se cõcepto proportionem respondens. Sicut enim formæ naturales habent primò esse virtuale in agente; deinde proprium, & formale in materia, quam idemmet agens apparet; ita artefactorum formæ obtinent primò esse intelligibile, & radicale in mente artificis; deinde proprium, & formale in materia, quam idem artifex perpolit. Tertiò, quod sicut natura ab imperfectioribus incipit, vt patet in productione fetus; initio enim rude, quid sine membrorum distinctione exhibetur; tunc sensim expolitur; & tandem sub vltima perfectione specifica hominis, aut alterius animalis in lucem edit; ita & ars, v.g. pictoris, incipit ab imperfectioribus: initio enim præconceptum opus leuiter adumbrat; deinde in omnem colorum varietatè paulatim conformatur; & tandem perfectum ab-

soluit. Quartò, quod sicut naturale agens non producit effectum, nisi præsupposita materia, quam prius disponit ad talem formam naturalem; ita artifex materiam præsupponit, quam prius expolit, aptamque reddit ad talem formam artificialem, quam inducere intendit, recipiendam. Quintò, quod sicut in rebus naturalibus contingunt aliquando monstra, aut ex defectu, aut ex superabundantia, aut indispositione materiæ; ita & in operibus artis, & propter easdem causas monstra solent euenire.

8 Dissident autem primò, quod natura est ipsamet substantia, & essentia agentis naturalis; ars verò non pertinet ad substantiam artificis, sed est quoddam accidens substantiæ illius superadditum, ad speciem qualitatis, & speciem habitus spectans. Secundò, quod natura est principium, vt quo agendi non sequens cogitationem intellectus; ars verò est principium vt quo agendi, cognitionem intellectus præsupponens. Et hinc colligit Scotus q. 1. super hunc librum, apes, & formicas, cum non habeant intellectum, non operari ab arte, sed ea, quæ faciunt, etsi sint similia artefactis, facere ex naturæ instinctu. Tertiò, quod natura est principium quo verè productiuum effectuum; ars verò solum est principium quo regulatiuum, & directiuum.

9 Quartò dissident, quòd natura per se, & immediatè non solum est principium motus localis, sed etiam cuiuscumq; alterius, scilicet, generationis, augmentationis, & alterationis: at ars adhuc in genere dirigendi, & regulandi (in quo solum dictum est esse principium) non est per se, & immediatè principium cuiuscumque motus, sed tantummodò localis. Cuius rationem assignat Scotus q. 1. super hunc librum, quia ars dirigit naturam ad suos effectus præstandos medio imperio voluntatis; natura autem per se, & immediatè solum quoad motum localem est subdita imperio voluntatis. Et dico notanter *per se, & immediatè*; nam per accidens, & in quantum medio motu locali, qui per se, & immediatè subditur imperio voluntatis, potest artifex applicare actiua passiuus, benè possunt alij motus prouenire ab arte, tamquam à principio directiuo, & regulatiuo.

10 Quintò dissident ex parte effectus; nam in artefactis nihil absolutum est, quòd non attribuatür naturæ, vt principio per se productiuo illius: at arti nihil absolutum illius effectus attribui potest, vt principio per se, adhuc directiuo, & regulatiuo; quia neque substantia, neque quantitas, neque qualitates illius; sed quòd attribuitur ei, vt principio per se dire-

ctiuo, & regulatiuo, solū sunt quædā relationes extrinsecus aduenientes, & spectantes, vel ad prædicamentum *vbi*, vt sunt, quas dicunt partes quantitatis ipsius artefacti ad locum; vel ad prædicamentū *fitus*, vt sunt, quas dicunt prædictæ partes quantitatis existentes in loco, aut termini claudentes istas partes adinuicem comparata.

11 Et ratio huius discriminis est, quia (vt numer. 9. dicebamus) natura est principium per se productiuum omnium motuum concurrentium ad esse tā substantiale, quàm accidentale rerum arte factarum: at ars solum est principium per se directiuum, & regulatiuum motuū localium, quibus artifex, aut scindit, aut componit partes quantitatis ipsius artefacti. Cōstat autem, per istos motus locales nil absolutum per se produci; quia neque substantia, neque quantitas, neque qualitates, sed solū producuntur per se relationes extrinsecus aduenientes spectantes ad prædicamentū *vbi*, quas dicunt partes quantitatis artefacti ad locum, & consequenter relationes extrinsecus aduenientes spectantes ad prædicamentum *fitus*, quas dicunt prædictæ partes quantitatis existentes in loco, aut termini claudentes istas partes adinuicem comparata.

12 Et confirmatur hæc vltima pars, nam in omniū sententia in rebus artefactis id, quòd

ref-

respondet arti, vt principio per se directiuo, & regulatiuo, solum est forma artificialis. Sed forma artificialis (quæ nihil aliud est; quàm quædam figura, quæ sequitur ad extensionem partium quantitatiuarū actualiter existentium in loco) formaliter non consistit in aliquo absoluto, sed potius (vt docet Scotus in 4. d. 12. q. 3. liter. F. & nos latius declarauimus in Logica capite de qualitate disp. vnica q. 4. sect. 4.) in relationibus extrinsecus aduenientibus spectantibus ad prædicamentum *fitus*, quas dicunt partes quantitatis existentes in loco ipsius artefacti, seu termini claudentes istas partes quantitatis adinuicem comparata: ergo in artefactis id, quòd cor respondet arti, vt principio per se directiuo, & regulatiuo, non est aliquid absolutum, sed præfata relationes.

13 Et hinc sumitur ratio à priori illius discriminis, quòd posuit Aristot. inter ea, quæ sunt à natura, & inter ea, quæ sunt ab arte, quòd illa habent in se principium motus, secus verò ista: non enim domus proueniens ab arte aliam domum ædificat, sicut equus proueniens à natura alium progignit equum. Ratio enim à priori est, quia ea, quæ proueniunt à natura, accipiunt ab ea (vt dictum est) substantiam, & qualitates, quæ sunt principia producendi alias similes sub-

stantias, & qualitates: at ea, quæ sunt ab arte, solum accipiunt ab ea, vt principio directiuo, supradictas relationes, quæ eo ipso, quòd relationes sunt, nequeunt alicuius motus esse principia.

14 Ex his conuenientijs, atq; discriminibus inter naturā, & artē assignatis, non erit difficile explicare secundā quæstionis partē, *Quomodo, scilicet, ars se habeat ad naturam?* Nā primò dicendum est, quòd, quādo ars, & natura ad opus aliquod faciendū conspirant, ars perficit naturā (vt docet Arist. cap. 8. huius libri tex. 79.) nā ars obtinet locū ducis, & regulæ, & natura verò est, quæ dicitur, & regulatur; vt patet in eo, qui arte canit, aut saltat. Nec tamē propterea simpliciter est asserendū, artem præstare naturæ (vt ex Plotino *Enæada* 4. libr. 1. & ex Galeno 6. de moribus vulgaribus commento 9. aduertunt Conimbricenses.) Licet enim effectus naturæ (vt vox, & pedū agitatio) ab artis præscriptione regulètur, simpliciter autē suū esse capiūt à natura.

15 Secundò dicendum est, artē in multis naturam imitari. Et hinc est, quòd ars nunc altera natura, nunc naturæ simia appellari consuevit. Imitatur autem ars naturam, dum opera quædam regulat ad instar operum naturalium, & vel his, tamquam exemplaribus utitur, vel ex eis occasionem sumpsit ad

quædam alia opera effingenda; vt ex vmbra picturam, ex antris ædes, ex auium volatu vela, ex piscium pinnis remos, ex cauda piscis gubernaculū nauis, &c. Et iuxta hanc rationem illa ars perfectior dicitur, & amplius commendatur, quæ propinquius in imitando ad opera naturæ accedit.

16 Vlti mō dicendum est, artem sua virtute, & efficacia nullum naturæ opus producere posse; quia (vt dictum est) ars nō est principium productiuū alicuius motus, sed solum est directiuum motus localis: cōcurrit enim cū artifice solum tradendo regulas, & præcepta operis faciendi: quæ regulæ nō habent vim inducendi naturalē aliquam formā in materiā, sed solum præscribendi modū, quo motus locales fiant à natura, vt velociores, aut tardiores, aut elegantiores euadant.

17 Consultō autem dixi sua virtute, & efficacia; nam alic-

na vi, applicando, scilicet, sua directione naturalia actiua passiuus, nulli est dubium, quod ars multa naturæ opera efficiat; vt patet in medicina, quæ natiua herbarum virtute ægris corporibus sanitatem reddit; & in multis artibus, quæ adhibito igne, alijs ve huiusmodi causis naturalibus variè materiā immutant. Sic etiam dæmonum opera Magi Pharaonis serpentes exhibuisse, non adumbratos, sed veros affirmat D. Aug. 3. de Trinit. cap. 7. & libr. 83. quæstionum q. 76. Origenes hom. 3. in Marcum, atque D. Th. de potentia q. 6. art. 5.

18 Vtrum autem hoc pacto (applicando, scilicet, actiua naturalia passiuus) possit ars chymica verū aurū efficere? nō est huius loci, sed spectat ad tractatum de mineralibus; quod si auri sacra fames cupidum ad huius cognitionem impellit, legat Pereriuū lib. 8. suæ Philosophiæ ac. 19. vsq. in finē libri.

DISPUTATIO SECVNDA.

De causis per se in communi.

AD disputationem de natura rerum recto ordine sequitur de causis per se rerum disputare. Aggredimur autem tractatum istum (in quo veluti in cardine melior, ac maior pars machinæ totius Philosophiæ naturalis, & diuinæ voluitur) à disputatione causarum in communi vestigia Philosophi sectantes, qui in primo capite primi libri huius tractatus admoner, vt in doctrinis ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia progrediamur. Quatuor autem sunt, quæ de causis per se in

in communi possunt examinari. Primum, ad quam scientiam per se spectet agere de causis? Secundum, qualiter definienda veniat causa in communi. Tertium, quid sit causalitas in causa? & vtrum existentia ad causandum requiratur? Quartum, quotuplex sit causa per se?

QVÆSTIO PRIMA.

Ad quam scientiam per se spectet agere de causis?

Occasionem dubitandi tradidit Arist. quī de causis egit tā in hoc libro c. 3.

quām in Metaph. lib. I. & lib. 5. c. 2. vbi metaphysici scriptores non solū agunt de causis, sed etiā volunt hunc tractatum ad metaphysicā spectare; & rationē reddunt, quia ratio causæ per se abstrahit à materia, & non est solis rebus materialibus affixa, sed etiam in immaterialibus reperitur. Ita Suarez in præfatione disp. 12. & Fonseca 1. Metaph. cap. 7. q. 1.

2 Sed certè in istorum principijs hoc difficultate non caret, saltē de aliquo genere causæ, nam auctores isti metaphysicam constituunt, & à physica distinguunt per abstractionē à materia; quo modō ergo poterit metaphysica intra hanc abstractionē agere de materia, seu de causa materiali, cū hæc directè huic abstractioni opponatur?

3 E contrario verò scriptores physici sibi hunc tractatū assument, atque ad physicam per se spectare contendunt; quia causæ per ordinem ad moum

(inquiunt hi) sunt per se tales. Motus autem, seu mutatio propriè, & per se ad physicum spectat institutū. Vnde causam efficiētē, adhuc in ipsa metaphysica cap. illo 2. dicunt, Aristor. definiisse per principium mutationis; imò in metaphysica nihil ferè plus præstitisse, quā repetere, quæ scripsit in physicis, vt videri est cap. illo 2. quinti libri metaphysicæ: quod ad verbū transcriptū est ex capite tertio secundi libri Physicorum.

4 Sed hoc etiam difficultatē habet, nam reuera causæ non dicuntur vniuersaliter tales per solum ordinem ad motum, seu mutationem, quæ in ipsis rebus materialibus reperitur, sed etiā per ordinē ad operationes spirituales: cum substantiæ ipsæ separatæ (vno Deo excepto) habeant causas; & teste ipso Arist. non solum intelligentiæ, sed etiā ipse Deus agant propter finē, qui est vna ex causis; quod si motus, seu mutationes, per ordinē ad quæ causæ dicuntur tales, nō solū sunt materiales, sed etiā spirituales, nō poterit earū disputatio ad physicā restringi, si à metaphysica relegatur.

5 Propter hæc communior, & vera sententia docet, hunc tractatum de causis ad vtramque istam sciētiam spectare per se, sed sub diuersa ratione. Quæ autem sit, seu in quo consistat ista diuersa ratio, non eodem pacto ab omnibus declaratur. Nam Zabarella libro de naturalis scientiæ constitutione c. 11. dicit, ad physicū spectare agere de causis, vt sunt principia cognoscēdi. Cui non solū fauet D. Th. 2. Phys. in principio, sed videtur ei fauere Arist. qui text. 27. huius libri præfatur, se aggredi tractatū de causis propter scientiā, & text. 70. concludit, scientiam naturalem ex omnibus causarum generibus demonstrare.

6 Sed hæc sententia non placeat. Primò, quia agere de causis, vt sunt principia cognoscēdi, potius per se spectat ad logicū institutū. Vnde Arist. 2. Poster. agit de causis, vt sunt principia demonstrationis, quæ est præcipuus modus sciēdi inter instrumēta logicalia. Secūdo, quia opponitur Arist. qui tam exactè, & prolixè hic 2. Phys. c. 3. tractat. de causis, vt plus suo more tractare non potuerit; & multò partiùs de his in Metaph. agit. Et text. 27. planè docet, ipsas causas effendi, vt tales sunt, sibi esse cōsiderādas, quia sic ad scientiam naturalem pertinebāt. Et text. 70. rursus dicit, physicā debere omniū rerum causas cognoscere, vtiq; qua-

tenus sunt principia effendi; quia (vt lib. 1. tex. 1. præmiserat) tunc rē perfectè cognoscimus, cū causæ, & principia prima vsque ad elemēta cognoscuntur: quod intelligendū esse de principijs effendi, ex professo docuimus in annotationibus primi libri nu. 3. Nec negant Zabarella, & D. Th.

7 Nobis ergo dicendum est, ad metaphysicam spectare agere de causis, inquantū ipsamet ratio causæ, seu causalitas (vt aiunt) aliquē gradum entis participat, de quo oportet declarare, quid, & quomodo sit; & insuper inquantū ipsa causalitas est velut proprietas quædā entis, vt sic: nullū enim est ens, quod aliquam rationem causæ non participet. Ad physicum verò, quatenus causæ sunt principium, tam esse, quā motus rei naturalis. Ita notarūt Auerroes 7. Met. com. 3. & Magnus Albertus in initio secundi Phys. Quòd si in praxi hæc distinctio tractatus de causis à metaphysicis, & physicis non obseruatur, (Eisdē enim quæstiones, quas physici scriptores exagitant de causis, disputant etiam scriptores Metaphysici; & Aristot. eandē doctrinam, quā de causis tradidit in Physica, in Metaphysica repetit) hoc est, quia physicus, & metaphysicus tractatus de causis ita sunt connexti, & sciētia vnus ad alterius sciētiam admodū iuuat, vt nō possint cōmodè adinuicē separari.

QVÆ

QVÆSTIO II.

Qualiter definienda veniat causa in communi?

1 Pro intelligētia tituli quæstionis aduertendum est, nomen *causa* tripliciter vsurpari posse. Primò nimis latè, scilicet, pro eo, à quo aliquid quo modocūq; procedit. Et in hac acceptance nomen *causa* conuertitur cum nomine *principiū*; & sumpsit illud Arist. 1. 2. Metaph. c. 2. tex. 1. 2. cum priuationē causam appellauit: & etiam sumunt Patres Græci, cū Patrē æternum causam Filij sui appellant; vt explicuit Cardinalis Bessarion in Concilio Florentino sess. vltima, & annotauit D. Th. 1. p. q. 33. art. 1. Secūdo vsurpari potest nimis strictè, scilicet, pro eo, quòd solū efficiendo causat. In qua acceptance sola causā efficiēs potest causā appellari. Et in hac acceptance sumpsit nomē *causa* D. Aug. lib. 83. quæstionum q. 28. dum dicit, *Omnis causa, efficiens est.* Tertio demum, neque ita strictè, neque ita latè, sed mediò modo, scilicet, pro eo, de quo verificatur esse id, propter quod alterum est. Et in hac acceptance, quæ magis vulgaris est inter Latinos, sumitur ab Arist. nomē *causa*, cum 3. cap. huius libri illam diuidit in quatuor genera, & similiter sumitur à nobis in titulo huius quæstionis.

2 Arist. neque hic, neque in

metaphysica vllam nobis reliquit causæ in cōmuni definitionē, sed contētus est definire vnumquodque genus causæ in speciali. Interpretes autē recētiores conati sunt causæ in cōmuni definitionē assignare; nō tamen omnes eisdē verbis ipsam definiunt. Rubius sic causam definit, *Est principiū per se influens in effectū*; definitionemq; lucidam appellat: nā in ea ponitur loco generis *principiū*, in quo causa cum priuatione cōuenit, quæ est etiā principium; sed differt ab ea per *ly influens*; sicuti & à causis per accidens per *ly per se*. Additur autem (inquit) *in effectum*, vt excludantur à ratione causæ diuinæ personæ: quia licet Pater æternus influat per se esse in Filium, & Pater, & Filius in Spiritum Sanctum, sed non vt in effectum; quia Filius, & Spiritus Sanctus non sunt facti.

3 Sed (vt benè aduertunt Patres Carmelitani disp. 8. q. 1. §. 1.) definitio ista rationem causæ in communi non explicat, nec declarat, vt necessarium est ad illius definitionē. Quòd enim Pater æternus nō influat in Filium, vt in effectum, verū quidem est: sed ex eo verum est, quia Pater æternus non est causa Filij: cur verò causa non sit, ex definitione causæ ostendi debet, probando, hanc Patri æterno non conuenire: hæc ergo definitio causæ adhuc consideratur.

4 Quod

4 Quod optime declaratur, inquirendo, utrum Pater æternus sit principium per se influens in Verbum? Respondet Rubius affirmatiue, quia idem est influere per se in Verbum, ac producere per se Verbum; & negari non potest, quod Pater per se producat Verbum. Sed tunc interrogo. Si Pater per se influit in Verbum, cur Pater non est causa Verbi? Dices cum Rubio, quia non influit in illud, vt in effectum. Sed adhuc relinquatur locus inquirendi, quid sit influere, vt in effectum? vt hinc appareat, an Patri talis modus influendi conueniat, vel non conueniat? Illud ergo, quo recte explicueris, quid sit influere, vt in effectum, erit exacta definitio causæ; per cuius negationem optime colligetur, & probabitur, Patrem æternum respectu filij non esse causam.

5 Declaratur amplius insufficientia huius definitionis; nã idẽ est influere per se in aliud, vt in effectum, ac influere per se in aliud, tamquam causa: ergo sensus huius definitionis erit, *causa est principium per se influens, vt causa*; quæ definitio nugatoria est, nam explicat idem per idem. Collocanda ergo est in diffinitione causæ aliqua particula, qua declaratur istud requisitum, vt influxus dicatur specialiter influxus causæ, seu in effectum, vt definitio causæ in communi ex-

ta sit: nam defectu huius hæc Rubij definitio in exacta merito reputatur.

6 Conimbricenses hic cap. 7. q. 1. art. 1. hanc causæ in communi definitionem adducunt, *Causa est id, à quo aliquid per se pendet*. Quam definitionem etiam adducit Fonseca 1. Metaph. c. 7. q. 1. sect. 3. & contendunt esse exactam; quia per ly *pendet* excluduntur diuinæ personæ à ratione causæ, nam etiam si Filius procedat à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, sed non per veram dependentiam.

7 Hanc definitionem etiam insufficientem reputant Patres Carmelitani, & merito; quippe eadem infirmitate laborat, ac præcedens: non enim explicat, quid sit illud, ob quod influxus, qui adscribitur causæ, habet sibi annexam dependentiam; quod ad exactam definitionem causæ necessarium est. Posset enim aliquis allere se sufficere ad dependendũ, quod sufficit ad producendũ. Quod etiam si falsum sit, nam secundum fidem Filius producit à Patre æterno, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; & tamen neque Filius dependet à Patre, neque Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: tamen huius falsitatis aliqua est assignabilis ratio; atque hæc in diffinitione causæ venit explicanda, vt prædicta definitio sit exacta, & sufficiens ad hoc, vt per ipsam de-

demonstrare possimus, neque productionem Filij; neque Spiritus sancti productionem habere sibi annexam dependentiam, quæ necessaria est ad hoc, vt produccens causa denominetur.

8 Propter hæc ipsi Carmelitani aliam definitionem causæ in communi assignant deductam, ex D. Tho. hic lect. 10. & opusc. 31. & q. 10. de potetia, art. 1. ad 3. quæ his verbis continetur. *Causa est id, ad quod aliud sequitur*. Quam definitionem maxime extollunt; nam dicunt, per ly *aliud* explicari, quod in duabus præcedentibus definitionibus desiderabatur, scilicet, rationem, & causam, ob quam influxus, qui adscribitur causæ, est influxus in effectum, siue est influxus habens annexam dependentiam.

9 Quod vt ostendant, aduertunt in primis, ad rationem causæ indispensabiliter desiderari, quod influat in rem, cuius est causa; & insuper quod iste influxus talis conditionis sit, vt medio illo res causata verè pendeat à sua causa. Secundo aduertunt, ad hoc, vt influxus sit talis conditionis, vt medio illo adsit prædicta dependentia, necessario requiri, vt esse, non qualecumque; sed essenziale, quod per se primo influit causa, sit saltem numericè distinctum ab esse essentiali, quod est in eadem causa. Tertio aduertunt, ex D. Tho.

1. part. quæst. 31. art. 2. ad 4. (& est doctrina recepta in omnium Theologorum sententia) hoc esse discrimen inter nomẽ numerabile *aliud*, sumptum neutraliter, ac nomen numerale *alius* sumptum masculinè; quod sumptum neutraliter, significat distinctionẽ in esse essentiali; at sumptum masculinè, significat distinctionem, non in essentia, sed in persona. Vnde in diuinis, etsi concedamus, Patrem esse aliud à Filio; (propter distinctionẽ personarum) non tamen licet fateri, Patrem esse aliud à Filio, propter identitatem essentialitæ.

10 Ex his, ergo, prænotatis colligunt hi Patres id, quod intendunt, scilicet, per ly *aliud* explicari id, quod in alijs definitionibus desiderabatur, ex cuius defectu erant insufficientes, nimirum rationem, & causam, ob quam influxus, qui adscribitur causæ, est influxus in effectum, siue habens annexam dependentiam: siquidem ly *aliud* denotat, id, in quod debet influere causa, vt rationem causæ induat, debere esse in esse essentiali distinctũ, saltẽ numericè, ab esse essentiali, quod est in ipsa causa; quod est tota ratio, (vt ex ipsis prænotatis constat) ob quam influxus habet esse influxum in effectum, siue habet annexam dependentiam. Imò hinc etiam assignant rationem, ob quam de-

definitio causæ non conueniat Patri æterno respectu productionis Filij, nec Patri, & Filio respectu productionis Spiritus Sancti. Dicunt enim, rationem esse, quod etiam si istæ productiones sint influxus in *aliud*, id est, in personam realiter distinctam a persona, seu personis producentibus; sed non in *aliud*, (vt dicitur in definitione) id est, in esse essentiali, adhuc numero distinctum ab esse essentiali, quod est in persona, vel personis, quæ producunt

11 Sed quidquid sit de doctrina, quam isti Patres tradunt circa *ly aliud*, & de exclusionem diuinarum personarum à ratione causæ, quam ex hac particula colligunt; (de hoc enim statim num. 17. redibit sermo) ex alio capite apparet definitio ista non exacta, nimirum, quia comperit alijs à definito; nam competit omni principio: (quod, vt dictum est, latius patet, quàm causa) linea enim sequitur ad punctum, tamquàm aliud, id est, vt quid habens esse essentiali distinctum; & idem dico de tempore respectu instantis, & de generatione respectu priuationis: & tamen neque punctum est causæ lineæ, neque instans est causa temporis, neque priuatio est causa generationis.

12 Respondent hi Patres cum Toletio, Masio, & alijs negando sequelam; nam *ly sequitur* positum in definitione causæ

debet intelligi (inquiunt) non de qualicumque sequela, sed de sequela, quæ sit verus influxus: quod non competit sequelæ lineæ ad punctum, temporis ad instans, & generationis ad priuationem.

13 Verùm solutio ista, etsi saluare possit definitionem istam, vt ab his auctoribus interpretatur, non competere alijs à definito; (vt argumentum obijciebat) tamen non saluat, definitionem esse, ita exactam, vt non possit dari (vt ipsi prædicant) alia exactior; siquidem negari non potest, definitionem istam manere satis obscuram, & non parum aptam æquiuocationi: nam *ly sequitur*, quod in ipsa ponitur absque alio addito, non denotat sequelam, quæ sit per verum influxum, sed potius ad vtrumlibet significandum est indifferens. Constat autem ad verè exactam definitionem, relegandam esse omnem obscuritatem, & æquiuocationem.

14 Propter hæc Suarez in metaph. disp. 1. 2. sect. 2. num. 4. hanc causæ in communi assignat definitionem. *Causa est principium per se influens esse in aliud*. Quæ definitio, si ad omnes præcedentes comparetur, exactior est illis: nam (præterquam quod datur per *ly principium*, quod est genus immediatum, in quo causa conuenit cum priuatione, puncto, instanti, & alijs principijs, quæ non

in-

induunt rationem causæ) superat omnes difficultates, quas supra allatæ definitiones non superabant; nam per *ly influens* non solum differet ab alijs principijs, quæ non induunt rationem causæ, (scilicet, à puncto, instanti, priuatione, &c.) sed etiam tollitur obscuritas, & aptitudo ad æquiuocationem, quæ *ly sequitur* positum in tertia definitione secum attrahebat. Et per *ly in aliud* (stando in principijs auctorum tertiæ definitionis) non solum excluduntur diuinæ personæ à ratione causæ, sed etiam explicatur id, quod in duabus prioribus definitionibus desiderabatur, scilicet, ratio, & causa, ob quæ influxus, qui adscribitur causæ est influxus in effectum, siue est influxus habens annexam dependentiam.

15 Et dixi notanter, hanc definitionem Suarez esse exactiorem, si ad omnes præcedentes comparetur; nam, si in rei veritate attentè consideretur, plures etiam patitur difficultates. Nam in primis ponitur in ea *ly influens esse*, quod propriè sumptum solum potest verificari de causâ efficienti; nam causâ finalis non propriè, sed metaphoricè insinuat esse in effectum; causæ verò materialis, & formalis non insinuant esse in effectum, sed potius esse effectus intrinsecè, & essentialiter componunt, seu constituunt.

16 Deinde non competit omni-

bus cõtentis sub definito, siqui dē sub definito continetur causa conseruatiua esse producti ab alio: huic autem causæ definitio, quam assignat Suarez, nullatenus potest competere; quia non est principium influens esse in aliud; (aliàs esset causa productiua) sed, quod influit, est conseruationem esse, quod præsupponitur habere aliud.

17 Demum ad hoc, vt influxus aliquis habeat annexam dependentiam, & consequenter principium illius dicatur causa, & terminus illius dicatur effectus, quantum est ex parte distinctionis, sufficit, quod terminus totalis illius influxus sit realiter distinctus à principio influenti. Neque hoc impediri potest ex eo quod terminus formalis à principio influenti realiter non distinguatur: ergo perperam ponitur non solum à Suarez, sed etiam ab auctoribus tertiæ definitionis in definitione causæ in communi *ly in aliud*; quod (vt ipsi rectè affirmant) solum denotat distinctionem in essentia, seu termino formali, ad denotandum per ipsam particulam, influxum, qui adscribitur causæ, necessariò habere annexam dependentiam. Et non minus perperam per illam volunt excludere Patrem in productione Filij, atque Patrem, & Filium in productione Spiritus Sancti à ratione causæ; siquidē in his productionibus, etsi terminus formalis non

fit

fit distinctus realiter à principio producenti; est tamē realiter distinctus terminus totalis. Antecedens probari potest duabus vijs.

18 Primò instantia alterationis, qua ignis, v. grat. calefacit lignum, quæ non solum in ordine ad principium efficiens, sed etiam in ordine ad principium formale habet necessariò annexam dependentiam termini per ipsam producti; & consequenter tam principium efficiens, quam formale induunt rationem causæ; & calidum, quod per ipsam producit, induit rationem effectus: & tamen solus terminus totalis huius alterationis distinguitur realiter à causa formali illius, non verò terminus formalis; cuius sit idem numero calor causa formalis, & terminus formalis.

19 Secundò hac ratione. Nō maior distinctio requiritur inter duo extrema ad hoc, vt vnum dicatur principium producus, & alterum terminus productus, ac requiritur inter eadem extrema, vt vnum dicatur causa, & alterum dicatur effectus (cum in vtroque casu distinctio realis requiratur) sed ad hoc, vt vnum extremum denominetur principium producus, & alterum productū, sufficit, quòd hæc extrema sint distincta personaliter, nec impedit, quòd sint idem essentialiter: (vt patet in diuinis, vbi

Pater est principium productuum Filij, & tamen Pater, & Filius non distinguuntur in esse essentiali, sed solum in esse personali) ergo etiam sufficit distinctio personalis, nec obstabit identitas essentialis (si alijs aliquid aliud non obstat, vt statim ostendam, obstat in productionibus diuinarū personarum) ad hoc, vt vnum extremum dicatur causa, & aliud denominetur effectus. Non ergo rectè Suarez, & Carmelitani requirunt distinctionem in essentia, quam denotat *ly in aliud* positam in definitione causæ, quam ipsi adducunt, ad rationem causæ, & effectus; & consequenter, neque ex hoc capite rectè excludunt personas diuinas producentes alias personas à ratione causæ; sed aliunde hoc debet prouenire. Non enim capio, quam vim possit habere ista conuenientia, qua nituntur isti Patres; (*Essentia diuina, quæ est in Filio, nō dependet à Patre, neque Pater causat illam, eo quòd essentia diuina, quæ est in Filio, est idem realiter cum Patre: ergo neque Filius dependet à Patre, neque Pater causat Filium*) siquidem ex parte identitatis, qua isti fundantur ad negandum primum, non solum non currat eadem ratio in posteriori, sed potius currat opposita; sicuti non habet vim, sed potius concludit oppositum propter diuersitatem fundamenti hæc conuenientia, *Pa-*

ter non producit essentiam, quæ est in Filio, eo quòd essentia, quæ est in Filio, est idem realiter cum Patre: ergo neque etiam producit Filium.

20 Exactissima ergo definitio causæ in communi (& quæ in toto isto tractatu est nobis præ oculis habenda) est, quam tradidit Scotus q. 7. super hoc 2. lib. Physicorum his verbis, *Causa est principium, propter quod alterum est secundum esse, vel secundum fieri, aut conseruari, aut secundum aliquam aliam dispositionem.* In qua definitione ponitur *ly principium* pro genere: est enim principium genus immediatum, in quo causa cum alijs principijs, quæ rationem causæ non attingunt, vt sunt priuatio respectu generationis, & punctum respectu lineæ, & instans respectu temporis, conuenit.

21 Verba autem illa, *propter quod alterum est*, ponuntur loco differentiæ; significat enim id, à quo alterum dependet; & si c per ipsa non solum excluduntur à ratione causæ priuatio, punctum, & instans, quæ etsi sint principia, vel generationis, vel lineæ, vel temporis, sed non propter, quæ hæc sint; sed etiam excluduntur personæ diuina, quæ etiam respectu personarum, quæ ab ipsis procedunt, dicantur principia, ex quibus aliæ personæ procedunt, seu originantur, non tamen dici possunt principia, propter quæ aliæ personæ sunt; & hoc

non quia non habent requisitam distinctionem, quam exigit illa particula *alterum*; habent enim distinctionem realem personalem, quæ sufficiens est ad rationem causæ, & effectus, si aliquid aliud non obstat; sed quia, cum personæ procedentes, & personæ, à quibus procedunt, non solum sint correlatiuæ, sed etiam in esse correlatiuarum constituantur formaliter per ipsas processiones. (Est enim processio actiua in Patre respectu Filij procedentis ipsa relatio paternitatis, qua formaliter constituitur correlatiuum Filij; & è contra processio passiva in Filio respectu Patris, à quo procedit, est relatio filiationis, qua formaliter constituitur correlatiuum Patris) est impossibile, quòd de persona diuina, à qua alia procedit, verificetur, quòd sit principium, propter quod persona procedens sit, non obstante, quòd realiter distinguatur; eo quòd *ly propter quod*, &c. in eo, de quo verificatur, denotat prioritatem naturæ, seu dependentiæ respectu illius, quòd est propter ipsum; & impossibile est, quòd inter correlatiua formaliter sumpta detur prioritas naturæ, seu dependentiæ; cum ex Aristot. & communi omnium Philosophorum placito correlatiua formaliter sumpta sint simul natura. Vnde Arist. correlatiua, eo ipso, quòd correlatiua sunt, excludit à ratione cau-

causæ, si formaliter, & vt correlatiua sunt, consideretur.

22 Adduntur autem in hac definitione Scoti verba illa, *secundum esse, vel secundum fieri, aut conseruari, aut secundum aliquam aliam dispositionem*, nõ quia ad definitionem causæ in cõmuni simpliciter sint necessaria; (stat enim integra causæ in communi definitio in illis prioribus verbis, *Principiũ, propter quod alterum est.*) Sed ad maiorem claritatem priorum verborum, in quibus definitio causæ in communi continetur, & vt ab eis omnis relegetur ambiguitas. Cum enim multis modo possit alterum esse propter aliud, seu dependere ab alio, scilicet, vel in esse essentiali, qua ratione entia naturalia sunt propter materiã, & formã substantialẽ: vel in suo fieri, qua ratione entia naturalia sunt propter efficiens, & etiam propter finem, cuius gratia efficiens operatur; vel in suo conseruari, qua ratione entia naturalia sunt propter conseruans, vel in aliqua dispositione accidentali, qua ratione homoeitalibus propter albedinem, quæ in ipso inheret; vt Scotus declararet, verba definitionis intelligi de dependentia, seu esse propter aliud in his omnibus generibus, & consequenter definitionem causæ competere omnibus causis, addidit definitioni causæ in cõmuni verba ista, *secundum esse, vel secundum fieri, &c.*

23 Nec video, quid obijci possit contra hanc definitionẽ Scoti, nisi quod ipsemet sibi obijcit loco citato, scilicet, sequi ex hac definitione, quod omnis causa sit finalis; nõ Arist. in hoc 2. libro text. 9. vocat causam finalem, *propter quod alterum est.* Sed optimẽ respondet ipse Scotus, quod etiam si hæc definitio sit communis cuilibet causæ; tamen propter excellentiam causæ finalis, ipsi causæ finali appropriatur: & hoc innuit Arist. loco citato.

QVÆSTIO III.

Quid sit causalitas in causa? Et vtrum existentia ad causandum requiratur?

I Circa primum, quod quæritur quæstio prænotandum est, nomine causalitatis nos intelligere id, per quod aliquid habet, quod sit, & denominetur causa: cum enim hoc nomen *causa* concretum, seu denominatiuum sit, non secus ac hoc nomen *pater*, necessariò debet duo importare; vnum pro materiali, & denominato, scilicet, rem illam, quæ denominatur causa; (ignem v.g. hominẽ, &c.) & aliud pro formali, & per se significato, scilicet, formam illam, à qua res, quæ denominatur causa, habet, quod sit, & denominetur causa. Et de hac forma, quæ communiter causalitas dicitur, in præsentia

in.

inquirimus, quid sit? Verum, quia dupliciter potest aliquid esse, vel denominari causa, scilicet, vel in actu primo, seu in potentia, vel in actu secundo, & actualiter; in præsentis sermo est de causalitate, seu forma, à qua aliquid habet, quod sit, seu denominetur causa in actu secundo, & actualiter; nam inde constabit, quid dicendum sit de causalitate, seu forma, à qua aliquid habet, quod sit, seu denominetur causa in actu primo, seu in potentia.

2 Fonseca 5. Metaph. c. 2. q. 13. videtur contendere, causalitatem, seu formam, à qua aliquid habet, quod sit, & denominetur actualiter causa, non esse aliquid distinctum ab ipsa re, quæ actualis causa denominatur. Sed hæc sententia nõ solum est cõtra Scotũ, qui in 4. d. 13. q. 1. §. *Ad huius*. sub lit. B. vers. *Nec potest poni*. sustinet, causalitatem non posse esse aliquid cõtrarium, quæ dicitur causa: sed etiam est contra omnes; imò & cõtra ipsum Fonseca, qui scõ. 3. statuit, causalitatem non esse causam secundum se sumptã, sed quatenus concurrat ad effectum: nam iste concursus, quẽ in eius sententia causalitas addit supra re, quæ dicitur causa, non solũ est quid reale, sed etiã quid distinctum realiter à re, quæ dicitur causa; siquidẽ causa existit sine hoc cõcursu toto tempore, quo actualiter nõ causat.

3 Et ratio manifesta contra

istã sententiã est, quia si causalitas, seu forma, à qua aliquid denominatur causans, siue causa actualis, non esset quid realiter distinctum à re, quæ sic denominatur, sequeretur, quod toto tẽpore, quo res illa existeret, vniiformiter causaret: quod omninò falsum est; nam sol, qui modò existit, non exercet actum illuminandi, quẽ alia die exercebit; & similiter materia, quæ nunc est sub ista forma, non exercet causalitatem, quã exercebit circa formam, quam postea suscipiet, & circa compositum, quod postea constituet.

4 Supponendo, vt certum, causalitatem, seu formam, à qua aliquid habet, quod sit, & denominetur causa actualis, esse aliquid reale distinctum à re, quæ causa actualis denominatur, circa propositam difficultatẽ triplicem reperio philosophandi modum. Primus, & receptus inter Scotistas est, hanc causalitatem consistere in relatione prædicamentali intrinsecis adueniente, & spectante ad secundum genus relationum, quã dicitur omnis res, quæ denominatur causa, ad suum effectum. Quæ sententia videtur expressa Scoti in 2. d. 1. q. 2. §. *Ad primum*. sub lit. B. vbi loquens de creatione, quæ est causalitas, seu forma, à qua Deus denominatur causans per creationem, affirmat consistere in relatione rationis, quã Deus dicit ad creaturas: & in 4. d. 13. q. 1. §. *ad huius*. lit. H. vbi vniuersa

ff

li.

liter de actione (quæ est causalitas, seu forma, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur agens, seu causans) docet, consistere in relatione, vel intrinsicè adueniente; (si agens sit producens effectum, vel educens aut inducens formã) vel extrinsecus adueniente, si agens sit transmutans subiectum.

5. Fundamentum huius sententiæ est, quia hoc nomẽ concretum, seu denominatiuum *causa*, est nomen relatiuum (nò secus, ac hoc concretum *pater*) cum formaliter sumptum totum suum esse sit ad aliud, scilicet, ad effectum: ergo sicut paternitas, seu forma, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur pater, consistit in relatione prædicamentali intrinsicè adueniente, & spectante ad secundum genus relationũ, quam dicit res, quæ denominatur pater, ad filium, ita similiter causalitas, seu forma, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur causa actualis, consistet in relatione prædicamentali intrinsicè adueniente, & spectante ad secundum genus relationũ, quã dicit res, quæ denominatur causa, ad suum effectum.

6. Secundus modus philosophandi, & receptus inter Thomistas, est, causalitatẽ, seu formã, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur actualiter causa, seu causans, nò esse præfatam relationem, sed potius

aliquid absolutum medianter inter causam, & effectum fundans prædictam relationem. Quid autem hoc sit in istorum sententia explicabimus infra, dum de causalitatibus singularum causarum in speciali disputemus.

7. Fundamentum istorum est, quia causalitas, à qua aliqua res habet, quòd sit, & denominetur actualiter causa, est forma actiua, & natura prior ipso effectũ; nam est, qua media causa, aut influit, aut communicat illi esse. Sed relatio prædicamentalis intrinsicè adueniens, & spectans ad secundum genus relationum, qua res, quæ dicitur causa, refertur ad suum effectum, nec est forma actiua (vt omnes fatemur) neque etiam est natura prior ipso effectũ, sed potius posterior, cum resulter ex positione fundamenti, & termini, qui terminus in præsentia est effectus: ergo perperam causalitas, seu forma, à qua, &c. in relatione prædicamentali intrinsicè adueniente, & spectante ad secundum genus relationum, qua res, quæ dicitur causa, refertur ad suum effectum, constituitur, sed potius in aliquo absoluto, mediante inter causam, & effectum, & fundante prædictam relationem.

8. Ego verò ex ultimo, in hac re plus esse æquiuocationis, quàm controuersie. Quod satis clare innuit Scotus loco

quar-

quarti citato, s. *Ad argumẽta* sub litera P. Quam vt auferamus, aduertendum est, quòd sicut dupliciter potest aliquid appellari simile. (Et idem dico de æquali, aut quouis alio relatiuo) Primò fundamentaliter, & remotè; in quo sensu similitudo, seu forma, à qua aliquid simile, vt sic, appellatur, non est relatio similitudinis, sed fundamentum relationis similitudinis, v. g. vnitas in qualitate eorum, quæ denominantur similia. Secundò formaliter, & proximè: in quo sensu similitudo, seu forma, à qua aliquid simile, vt sic, appellatur, non est fundamentum relationis similitudinis, sed potius ipsa similitudinis relatio; ita in proposito dupliciter potest aliquid causa actualis denominari. Primò fundamentaliter, & remotè. Secundò formaliter, & proximè.

9. Ad rem ergo, si aliquid causa actualis denominetur solum fundamentaliter, & remotè, dicendum est, causalitatem, seu formam, à qua habet, quòd sit, & denominetur causa actualis, vt sic, non esse relationem prædicamentalem intrinsicè aduenientem, & spectantem ad secundum genus relationum, quã id, quòd denominatur causa, refertur ad suum effectum, sed potius aliquid medianter inter causam, & effectum, fundans proximè istam relationem: quod in causa effi-

cienti, v. g. nihil aliud est, quàm potentia causandi, non vtique, sed vt subest actioni, sumpta actione materialiter, scilicet, pro influxu, medio quo, res, quæ dicitur causa efficiens, influit in effectum. Et in hoc sensu verus est modus philosophandi Thomistarũ, idque probat ipsorũ fundamentũ, neque impugnat ratio facta pro modo philosophandi Scotistarum: siquidem causa, vt sic, non est nomen formaliter relatiuum, sed solum fundamentum relatiuum, formaliter autem solum est absolutum secundum esse, & relatiuum secundum dici.

10. At verò si aliquid denominetur causa actualis, non fundamentaliter, & remotè, sed formaliter, & proximè, dicendum est, causalitatem, seu formam, à qua habet, quòd sit, & denominetur causa actualis, vt sic, non esse aliquid absolutum medianter inter causam, & effectum fundans proximè relationem prædicamentalem intrinsicè aduenientem, & spectantem ad secundum genus relationum, quibus res, quæ dicuntur causæ, referuntur ad suos effectus, sed potius esse istam relationem. Et in hoc sensu (qui proprius, & legitimus est istius questionis) verissimus est modus philosophandi Scotistarũ, & expressus Scoti locis citatis, ipsaque manifestè conuincit eorũ fundamentũ. Neque illis ratio adducta pro fundamẽto Tho-

mistarum refragatur; nā causalitas, vt sic, neque est forma actiua, neq; prior natura ipso effectu (Hæc enim solū verificatur de causalitate fundamētali, & remota) sed potius illo posterior.

11 Solū aduerto, me vidisse in quotidianis concertationibus, quosdā ex nostris cōtendere, in actuali productione rerū inter causā efficientē habentē virtutē, & omnia alia requisita ad actū primū, & ipsum effectū productū nihil absolutū mediare, quod induat rationē influxus, seu actionis materialiter sumptæ, ductos illis verbis Scoti in 2. d. 1. q. 2. §. *Ad primū*, lit. B. *Di co, sicut dictum est d. 3. §. primi, & aliā frequenter, quod ad absolutum in causa immediatē sequitur absolutū in effectu; & in effectu primō consequitur respectus ad causam, & tūc si aliquis est respectus cause ad effectum, ille respectus ad effectum est ultimus, & aliquando nullus.*

15. Sed bona venia hi Patres rem imperceptibilem contēdunt, atque à mente Scoti maximē alienam. Imperceptibilem, inquā; nam quis (quæso) percipere potest, causam efficientē producere effectū absq; productione prævia illius? hæc autem productio prævia nō potest, vt prævia est, consistere in aliquo respectu; nam (teste Scoto verbis citatis) primus respectus, qui hic interuenit, nō antecedit effectum, sed sequitur ad positionē illius, & simul na-

tura resultat in causa secundus respectus causæ ad effectum, si aliā causa sit illius capax, vt sint omnes, si Deum excipias: ergo consistet necessariō in aliquo absoluto. Rursus hoc absolutum non potest esse sola virtus productiua; nam, cū hæc virtus in sententia Scoti sit idē realiter cum causa, si causa esset actualiter producens per virtutem productiuam, non posset dari causa actualiter existens, quin actualiter esset producens effectum; quod est cōtra experientiam: ergo dicendum est, esse aliquid distinctū ab ista virtute, influxum, scilicet, quo medio causa efficiens influit in effectum; qui influxus, seu actio material ter sumpta nihil aliud est, (vt suo loco dicemus) quam ipse effectus in fieri, seu in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad statum perfectiorem, qualis est, quem habet in suo esse; quæ ratione identificatur cum motu, sumpto motu, non profluxu formæ, (sic enim, vt diximus, in Logica non distinguitur à tempore) sed pro ipsa forma fluente: qui motus sic ab Arist. 3. Physic. definitur, *est actus entis in potentia secundum quod in potentia.*

13 Contendunt insuper rem à Scoti mente maximē alienā. Licet enim Scotus fateatur, actionē, seu productionē formaliter sūptæ scilicet relationē, quæ cōsequitur in causa post positionē effectus

effectus in existentia; tamen sumpta actione pro productione materialiter, id est, (vt ipse loquitur in 4. d. 13. q. 1. *liter. H.*) pro re acta in fieri, expressè ibi docet, esse aliquid absolutum; & de actione, vt sic verificari, quod docet Aristot. 3. Physic. scilicet, actionem esse idem realiter cum motu, & subiectari non in agente, sed in passio. Insuper actionem, seu productionem, vt sic, ex mente Scoti esse quid absolutum medians inter causam, & effectū, colligitur ex dictis in Logica capit. *de ad aliquid disp. 2. q. 1. sect. 2. vbi de actione*, vt sic, locis ibi citatis docet, etsi non sit fundamentum, vt quo relationis producentis ad productum, quæ resultat in causa producente; esse nihilominus conditionem, seu dispositionē præuiam ad hoc, vt potentia productiua induat rationem fundamenti istius relationis.

17 Verba autem Scoti num. 14. relata ineptè satis ad oppositum suadendum adducuntur, cum ab ipso Scoto solum afferantur ad excludendum id, quod argumentum, cui ibi respondet, contendebat, scilicet, in re producente necessariō assignandam esse aliquam relationem, per quam determinetur ad actualiter operandum præuiam, seu natura priorem relatione, quæ est in effectu, ac per consequens, aut Deum nō creare, aut fatendū esse creare

per aliquā mutationē factā in ipso ex receptione talis relationis; quod quā lōgè distet à nostra cōtrouersia, quisq; iudicet. 18 Ex dictis non erit difficile determinare, quid sit causalitas, seu forma, à qua aliquid habet, quod sit, & denominetur causa in actu primo, seu in potentia; dicendum enim est, quod si aliquid denominetur causa in actu primo, seu in potentia, non formaliter, & proximè, sed fundamentaliter, & remotè, causalitas, seu forma, à qua habet, quod sit, & denominetur causa, vt sic, non erit relatio, sed quid absolutū secundum esse, licet respectuum secundum dici; virtus, scilicet, quam vnaquæque causa habet in suo genere ad operandum, v. g. in causa efficiente virtus ad efficiendū, in materiali virtus ad materializandū, in formali virtus ad informandū, &c. quæ virtutes (vt ex dictis 1. lib. disp. 3. q. 3. constat) non sunt aliqua accidētia realiter distincta à rebus, quarum sunt virtutes; neque etiam sunt de conceptu essentiali, & quidditatiuo ipsarum, sed sunt propriæ passionis, licet cum eis realiter identificatæ, tamen formaliter distinctæ.

19 At si aliquid denominetur causa in actu primo, & in potentia, nō fundamētaliter, & remotè, sed formaliter, & proximè, causalitas, seu forma, à qua habet, quod sit, & denominetur causa,

ut sic, non erit quid absolutum, sed relatio, qua causa, ut sic refertur ad effectum: quæ relatio non solum est realis, & secundum esse spectans ad secundum genus relationum; quales sunt illæ, de quibus Aristot. docuit, fundari in nuda potentia; sed etiam actualiter in ea existit, quoties non solum causa, sed etiam effectus existunt: at si effectus non existat, sed solum sit, vel possibilis, vel futurus, vel præteritus, et si prædicta relatio sit realis, & non quid fictum, non tamen erit actu existens, etiam si res, quæ denominatur causa, existat, sed erit, vel possibilis, vel futura, vel præterita iuxta qualitatem termini; ac per consequens res, quæ dicitur causa in actu primo, & in potentia, licet actu sit talis fundamentaliter, & remote, formaliter tamen, & proxime solum erit, & appellari poterit talis, vel possibiliter, vel futuræ, vel præteritæ iuxta exigentiam relationis.

20 Circa secundum, quod querit quæstio, nullus hucusque affirmavit, posse aliquam rem exercere munus causæ formalis, materialis, aut efficientis, quæ, cum tale munus exercet, aut tunc, aut tempore antecedenti, realiter non existat, vel extiterit. Et dico notanter *causæ formalis, materialis, aut efficientis*; nam de finali, cum non influat realiter in effectum, sicut prædicta causæ influunt, sed solum

intentionaliter, fatentur omnes, ad exercendum munus causæ non esse requisitum, quod tunc, aut tempore antecedenti extiterit realiter, sed satis esse; imò per se omnino necessarium, quod existat in cognitione, seu intentione. Unde existentiæ effectus colligere existentiam causæ cum differentia assignata, omnes iudicant irrefragabilem consequentiam.

21 An verò sufficiat ad exercendum prædictum munus causæ, quod tempore antecedenti extiterit, etiam si pro illo instante, in quotali munus exercet, non existat, non est ita receptum apud omnes; nam aliqui Thomistæ (inter quos est Nuñez Cabeceo 3. p. quæst. 62. artic. 1. diff. 5.) contendunt, ad hoc, ut causa efficiens realiter, & physice influat in effectum, non esse necessarium, quod realiter existat pro illo instante, in quo influit, sed sufficit, quod extiterit tempore immediatè antecedente ad illud instans. Et probant instantia Sacramentorum, quæ secundum D. Th. sunt causæ instrumentales physice influentes in gratiam, quæ per ipsa conferuntur; & tamen, cum gratia non conferatur pro tempore, quo proferuntur verba, quæ sunt forma Sacramenti (quia toto illo tempore non est verum dicere esse completum Sacramentum, sed in instanti terminatio prolationis prædictorum verborum, quod

quod instans est extrinsecum prædictæ prolationi verborum, & consequenter ipsi Sacramento, cuius forma in prædicta verborum prolatione consistit) necessario fatendum est, sacramenta influere, seu causare physice gratiam in instanti extrinsecum suæ desinitionis, & pro quo verificatur, *nunc non est Sacramentum, & tempore immediato erat.*

22 Tamen sententiam istam Suarez disp. 14. Metaph. sect. 3. num. 30. improbabilem appellat, & Hurt. disp. 8. physica sect. 5. §. 56. dicit ei Aristotelem refragari hoc libro 2. text. 36. & 37. vbi dicit, quod intereunte causa, necessum est, effectum interire, & existente effectum causam simul existere: & in hoc distinguit causas, quæ actualiter causant, ab eis, quæ solum causant in potètia. Verba Arist. sunt, *omnia, (id est, causarum genera) aut agentia (id est, actu causantia) aut quæ possunt agere. Hoc autem differunt, quod, quæ efficiunt, & singula, atque ea, quorum sunt causæ, simul sunt, & non sunt; ut hic, qui medetur, &c. at, quæ sunt potestate, non semper.*

23 Est igitur verissima sententia, & ferè ab omnibus recepta, ad causandum actualiter per se necessarium esse, non solum in causa materiali, & formali, sed etiam in efficiente physica, ut realiter existat in instante, in quo actualiter causat, nec sufficere, quod extiterit tempore immediatè ante-

cedenti. Probatur: primò à paritate; nam aduersarij fatentur, neque causam materiale, neque formalem posse actu causare, nisi pro illo instanti, in quo causant, realiter existant: ergo cum non minus dependeat effectus à causa efficiente, quàm à materiali, & formali, idem fateri coguntur de illa, ac de istis. Item, fatentur aduersarij in instanti initiatio, antequàm causa efficiens actualiter existat, non posse physice causare; cur ergo idem non fatentur de instanti terminatio, postquàm iam actualiter extiterit? nam si illud est extrinsecum durationi, in qua causa actualiter existit, etiam & istud: & si in isto causam extitisse tempore immediato est denominatio extrinseca, etiam in illo est denominatio extrinseca tempore immediato esse extitutam; & postquàm res fuit, nullam virtutem relinquit magis, quàm antequàm esset: fuisse enim nihil est actu magis, quàm fore. Demum si secundum istos res potest operari aliqua duratione reali, in qua iam non est, cur idem efficere non poterit tempore subsequenti? *Cave igitur, ne te deuoret leo mortuus.*

24 Probatur secundò à priori, quia, cum actus secundus necessariò debeat oriri ex aliquo actu primo, implicationem inuouit, quod datur actus secundus, vbi non datur actus primus. Nec videtur apprehē-

di posse, quomodo existat agendo, quod simpliciter non existit; nam existere agendo supra existentiam addit actionem. Præterea implicationem involvit existere relationem sine existentia reali fundamenti; & similiter existere modum sine existentia reali rei, cuius est modus. Sed actio sumpta formaliter dicit relationem fundatam in ipsa re, quæ agit; & sumpta materialiter dicit modum rei, quæ agit; ergo implicationem involvit existere actionem tã formaliter, quã materialiter sumptam, non existente re, quæ dicitur agere.

25 Instantia autem Sacramentorum, qua Thomistæ nitebatur, probat quidem, non quod ipsi contendunt, (scilicet, sacramenta nouæ legis, vt instrumenta physica causare gratiã in instanti extrinseco suæ durationis, in quo verificatur non esse sacramenta, sed tempore immediato fuisse) sed, quod docet noster Scotus in 4. d. 1. q. 5. quem plures alij secuntur, scilicet, sacramenta nouæ legis, etsi sint causæ instrumentales gratiæ, sed non physicæ, sed tantum morales; nam ad causandum physicè, necessarium est, quod actualiter causa existat: quod non conuenit sacramentis pro instanti, in quo gratia causatur.

stat: quod non conuenit sacramentis pro instanti, in quo gratia causatur.

QVÆSTIO IV. Quotuplex sit causa per se?

1 Percelebris est illa diuisio cause per se in quatuor illa genera, scilicet, in materialem, formalem, efficientem, & finalem; quam hic tradidit Aristot. cap. 3. & 7. & etiã in Metaph. lib. 5. cap. 2. quam & omnes eius interpretes amplectuntur. Huius autem diuisionis expositio ex singulorum membrorum intelligentia maxime pendet, de quibus in singulis, atque proprijs eorum disputationibus. Nunc autem solum proponemus ea, quæ in communi circa hanc diuisionem solent dubitari.

2 Primum est, an hæc quatuor membra diuidentia formaliter, & propriè participant diuisum? Et præsuppono, in hac diuisione, tam diuisam, quã membra diuidentia summi formaliter, id est, non pro rebus, quæ causæ denominantur, sed pro formis, à quibus res causæ denominantur. Quo supposito, respondeo, membra ista non solum formaliter, & verè, sed etiam essentialiter, & quidditatiuè participare diuisum.

3 Ratio huius est, quia ratio principij, quam dicit id, propter quod alterum est, ad alterum, quod propter ipsum est, (quæ est, in qua essentialiter consistit, vt ex dictis patet, id, quod

pro

pro formali, & per se significato dicit nomen causa in communi) nõ solum formaliter, & verè, sed etiã essentialiter, & quidditatiuè includitur in relationibus principij, quas dicunt ea, propter quæ alterum est, vel materialiter, vel formaliter, vel efficienter, vel finaliter, ad alterum, quod propter ipsa est aliquid ex prædictis modis, quæ sunt, quas pro formali, & per se significato dicunt membra diuidentia. Licet enim prædicationes istæ, materia prima est causa; anima est causa; ignis est causa; salus est causa; prædicationes denominatiuæ sint; tamen prædicationes istæ, causa materialis est causa; causa formalis est causa; causa efficiens est causa; causa finalis est causa, essentielles, & quidditatiuæ sunt, non secundus, ac istæ, paternitas est relatio; similitudo est relatio; æqualitas est relatio, &c.

4 Ex quibus resolui potest secundum dubium, quod hic solet exagitari, Vtrum, scilicet, hæc diuisio sit vniuoci in vniuocata? Responderetur enim, non solum esse vniuoci in vniuocata, sed etiam generis in species, cum ratio significata hoc nomine communi causa, non solum sit (vt prædicto nomine communi significatur) eadem in his membris, sed etiam de ipsis prædicetur in quid, vt pars essentialis. Quæ sunt conditiones non solum ad ra-

tionem vniuoci, sed etiam ad rationem generis secundi prædicabilis requisitæ.

5 Nec valet, quod obijcit Caberus tractat. 2. disput. 1. dub. 3. numer. 4. in fine, (quicum Suarez, & alijs Thomistis existimat, hanc diuisionem esse analogi in analogata) nimirum, hoc, quod est influere, solum competere propriè causæ efficienti; alijs verò minus propriè; nam finis influit metaphoricè; materia verò, & forma causant totum, non tam influendo esse in illud, quã per se ipsas esse illius essentialiter componendo, & constituendo. Nam respondetur ex dictis q. 2. circa definitionem causæ in communi, de ratione causæ in communi non esse influere (vt existimant Caberus, & alij, qui causam definiunt *esse principium influens esse in aliud*; & ideo coacti sunt asserere, solam causam efficientem esse verè, & propriè causam, sanè contra Arist. qui rationem causæ verè, & propriè etiam alijs tribus generibus attribuit) sed *esse principium, propter quod alterum est*; (vt cum Scoto statuimus) siue hoc præstet per verum influxum, vt præstat causa efficiens; siue per metaphoricum, vt præstat causafinalis; siue hoc præstet, non per influxum, sed vniendo se alteri extremo, vt sic ex utroque effectus in suo esse essentiali constituatur.

Hæ

Hæ enim differentie potius spectant ad specialia genera causarum, quam ad causam in communi.

6 Tertium dubium est, an hæc diuisio sit immediata, an mediata? Et insuper an hæc membra diuidentia sint species infimæ an subalternæ? Ad quorum primum dico, esse mediatam; siquidem causa materialis, & formalis in ratione causæ conueniunt inter se, & differunt à causa efficiente, & finali: hæ enim causant extrinsecè, & influendo, illæ verò intrinsecè se ipsas effectui communicando. Vnde causa in cōmuni primò diuiditur in causam intrinsecam, & extrinsecam: & rursum intrinseca in materialem, & formalem; extrinseca autem in efficientem, & finalem.

7 Ad secundum respondetur, hæc membra non esse species infimas, sed posse vnumquodque ulterius diuidi in species inferiores. Nam causa materialis potest diuidi in materiam primam, quæ est altera pars cōpositi substantialis; & in materiam secundam, quæ est totum cōpositum, quod respectu formarum accidentalium, & respectu totius accidentalis, quod ex eis resultat, induit rationem causæ materialis. Et similiter causa formalis subdiuidi potest in substantialem, qualis est forma substantialis; & in accidentalem, qualis est

forma accidentalis. Item causa efficiens, & finalis subdiuidi possunt in plura membra, de quibus in proprijs disputationibus.

8 Quartum, & vltimum dubium est, an prædicta membra ita exhauriant latitudinem diuisi, vt præter ea nullum aliud genus causæ possit excogitari? Videtur enim, quod non. Primò, quia instrumentum illius est causa, cuius productioni deseruit; & tamen ad nullum ex his generibus potest reduci: nam in primis non est materia, neque forma, cum non insit in effectu: neque etiam est finis, nam non est, cuius gratia fit effectus. Nec demum est efficiens; nam efficiens sic definit Arist. text. 29. *est id, vnde primò motus exit*; & manifestum est, productionem, seu motum non primò ab instrumento, sed à causa principali deriuari. Secundò: obiectum est causa actus; nam actus ab obiecto pēdet. imò ab eo specificationem accipit: & tamen neque est materia, neque forma illius, cū non insit in ipso actu; neque efficiens, cum non influat in illum; neque etiam finis, cum actus non eliciatur eius gratia. Tertiò: exemplar, siue idea, ad quam respiciens agens aliquādo operatur, verè, & propriè est causa rerum, quæ ad instar illius fiunt; & tamen ad nullū ex numeratis generibus potest reduci: dantur ergo plura gene-

nera causarum, quam quatuor ab Arist. numerata.

9 Dicendum nihilominus est, hæc membra diuidentia diuisi latitudinē exhaurire; nec posse assignari aliquid induēs rationem causæ, quod ad aliquod ex his membris reduci nō possit. Ita Scotus q. 6. super 2. Physic. concl. 2. estque receptum ab omnibus interpretibus. Et præter authoritatem Arist. qui causam in cōmuni in hæc quatuor generatantum diuisit, hæc cōuincit ratio, qua vtitur Scotus, & est sumpta ex ipso met Arist. hic text. 68. & 69. nimirū, quia ad omnem quæstionem quærētem propter quid de aliquo adæquatè sit satis per ista quatuor genera causarum: ergo causa sufficienter, & adæquatè diuisa est in ista quatuor genera. Tenet consequentia; nam, cum causa in communi sit (vt cum Scoto q. 2. dicebamus) *principium, propter quod alterum est*, dubitari nequid, quod quæstio propter quid quærat causam in communi. Antecedens probatur inductione facta ab Arist. tam loco citato, quam text. 28. & 29. Aut enim quærimus, cuius gratia fit aliquid, & respondemus per causam finalem; aut, à quo fit, & respondemus per causam efficientem; aut, ex quo fit, & respondemus per causam materialem; aut per quid fit, & respondemus per causam formalem.

10 Solet præterea probari suf-

ficientia huius diuisionis pluribus rationibus desumptis ex parte rerum, quæ causantur. Sed hæc sufficiat. Id, quod causatur, duas tantum causas intrinsecas habere potest, nimirum, potentiam, ex qua fit, & actū, per quem fit, ex his enim duobus tantum modò vnum quodque intrinsecè coalescit (potentiam appellamus, causam materialem, & actum, formalem). Rursum, duabus etiam causis extrinsecis indiget, scilicet, efficiēti; à quo fiat, (quia nihil potest efficere se ipsum) & finem, propter quem agat; aliàs temerè, & inordinate ageret. Sed præter has duas causas extrinsecas, nulla alia excogitari potest. Sunt ergo quatuor genera causarum, nec plura, nec pauciora, scilicet, duæ causæ intrinsecæ, (materialis, & formalis) atque duæ extrinsecæ, efficiēs, & finalis.

11 Neque rationes in contrarium adductæ oppositum conuincunt. Ad primam dicimus, instrumenta reduci ad causam efficientem, quæ (vt infra dicam) diuiditur in causam principalem, & instrumentalem. Nec obstant verba Arist. in oppositum adducta; quia ibi Arist. solum definit causam efficientem principalem, & præcipuam.

12 Ad secundam respondetur, in obiecto duplex munus nos posse considerare. Primū, mouere potentiam ad elicien-

dum actum circa ipsum. Secundum terminare prædictum actum. Si primum munus consideremus, dicendum est, obiectum respectu actus inducere rationem causæ per se, sed non alterius ab aliqua ex quatuor enumeratis. Nam, si actus sit potestatis cognoscitivæ, obiectum motuum respectu illius induit rationem causæ efficientis partialis, cum hoc præstet concurrendo efficienter cum potentia ad eliciendum actum, vel per se, vel media specie ipsius. Si autem sit potentia appetitivæ, obiectum motuum respectu illius induit rationem causæ finalis, vel propriæ, & formaliter, ut contingit si potentia appetitiva sit rationalis, vel improprie, & materialiter, si potentia appetitiva solum sit sensitiva. De quo latius infra agendo de causa finali.

13 Si verò consideremus in obiecto secundum munus, scilicet, terminandi actum, patet ex dictis in Logica disp. vnica proximali q. 4. sect. 1. num. 49. ut sic non induere rationem causæ, imò nec rationem principij, sed puri termini mensurantis actum; aliàs cognitionis, qua cognoscimus ens rationis, ens rationis esset causa; quod implicatorium est, cum cognitio quid reale sit, & implicatione involuit, quod ens rationis habeat pro effectu aliquid reale.

14 Nec refert, quod actus non

possit existere sine obiecto terminatio; nam hoc non provenit ex eo, quod dependeat ab obiecto terminante a priori, & tanquam a causa, sed quia intrinsece petit commensurari iuxta exigentiam illius in ratione obiecti, hoc est, sicut oportet ad attingendum illud, ut obiectum: falluntur enim, qui existimant, omnem connexionem, & inseparabilitatem unius ab alio, provenire ex dependentia ab alio, tanquam a causa: nam correlativa formaliter, & ut correlativa sunt, sunt connexa, ita ut unum non possit esse sine alio, & tamē unum non dependet ab alio, tanquam a causa, sed potius sunt simul natura. Et in sententia plurium Thomistarum Dei omnipotentia dicit tantam connexionem cum creaturis possibilibus, ut non possit esse sine illis, & tamē nullus affirmare audeat, omnipotentiam Dei dependere, tanquam a causa, a creaturis possibilibus.

15 Nec etiam refert, quod dici solet, scilicet, actus specificari ab obiectis formalibus terminatiuis: nam (ut tenet Scotus quolib. 13. §. Ad ista literis H. H. versiculo. Ad primam rationem) actus dicuntur specificari ab obiectis formalibus, non quia intrinseca specificatio ipsorum proveniat ab obiectis, tanquam a causa, sed quia, cum sint extrinseca mensura actuum, sunt signa manifesta specificationis in-

Intrinsece prædictorum actuum nos latentis; & sic actus dicuntur specificari, seu distingui per obiecta quantum ad manifestationem, quia notior est distinctio obiectorum, quam actuum; & ex illa, tanquam ex manifestiori innoscit ista.

16 Propter tertiam rationem plura solent hic ab aliquibus de causa exemplari, siue ideis disputari. Nos verò pronunciamus solum dicimus, ideam in præfenti significare illud exemplar, siue illam formam habentem esse obiectivè in mente artificis, ad cuius instar opera suæ artis operatur: quæ etsi sit causa per se operis artificiosi; (& in hoc omnes conveniunt, nam res artificiosæ, ut tales sunt, re vera per se pendent ab idea; & de Scotis imagine si quis interroget, cur nalicurva sit non dissolvatur quæstio perfectè, nisi exemplari, ut causa, reddito) non tamen constituit aliud distinctum genus causæ a quatuor enumeratis. Sed in assignando genus causæ, ad quod spectet idea, non omnes conveniunt.

17 Plures existimant, ideam spectare ad genus causæ formalis. Ita Albertus magnus in 1. d. 20. art. 1. Ægidius in theorematibus propositione 37. Henric. quolib. 9. q. 1. Durand. in 1. d. 45. q. 2. Caiet. 1. p. q. 6. art. 4. & q. 44. art. 3. Fons. lib. 1. Metaph. c. 7. q. 1. sect. 5. Conimbricenses super c. 7. huius libri q. 4. Imò isti duo ultimi,

atque Henricus existimant, ideam non tam reduci ad genus causæ formalis, quam novum genus causæ formalis extrinsece constituit.

18 Fundamentum istorum est, tum autoritas Arist. qui hoc libro cap. 3. & 5. metaph. tex. 2. enumerat quatuor genera causarum, & causam formalem dixit esse formam, & exemplar. Tum autoritas Aug. qui non solum libro 83. quæstionum q. 46. sed etiam 12. de civitate ideam, siue exemplar, formam appellavit. Tum etiã, quia exemplar per imitationem passivam concurret ad dandam similem formam, aut speciem effectui: quod proprium est causæ formalis.

19 Sed nobis dicendum est cum Scoto in 1. d. 2. q. 2. §. Quæritur ad primam, & d. 36. q. vnica, §. Contra ista, versiculo. Præterea, ideam spectare ad genus causæ efficientis. Quæ etiam est sententia Alensis 1. p. q. 23. membro 4. art. 1. D. Bonauenturæ in 3. d. 11. q. 3. atque ex iunioribus ipsam secutus Suarez in metaph. dis. 25. sect. 2. Molina 1. p. q. 15. disp. 2. Pererius lib. 8. cap. 1. Rubius tract. 6. q. 3. & plures alij.

20 Probat Scotus hanc sententiam. Primò ex Arist. qui 7. metaph. tex. 23. expressè affirmat, quod externa sanitas, & externa domus effectivè procedunt a sanitatè, quæ est in mente medici, & a domo, quæ est in mente artificis; & hoc libro text. 33. & 5. metaph. cap. &

& text. 2. affirmat, statuarium esse causam efficientem per se statux per artem, quam, vt talis, habet. Sed ars non est principium efficiens huius determinatæ statux, nisi vt determinatur per ideam huius statux: sentit ergo Aristot. ideam, siue exemplar, quo medio determinatur ars ad producendum efficienter hoc opus artificiosum potius, quam illud; ad genus causæ efficientis spectare.

21 Secundò probat hac ratione. Sicut agens naturale completur, & determinatur in ratione principij agendi per formam, ita agens intellectuale, siue artificiale completur, & determinatur in ratione principij agendi artificiosè per exemplar, vel ideam sibi propositam: ergo sicut forma, à qua procedit motus naturalis, pertinet ad genus causæ efficientis, ita etiam pertinebit, & exemplar, siue idea, à qua procedit motus artificialis. Consequentia est manifesta, & antecedens patet; nam sicut agens naturale per formam continet similitudinem effectus, & determinatur in specie ad illum; ita agens intellectuale, seu artificiale per ideam, siue exemplar continet in se similitudinem effectus artificiosi, & recipit quamdam determinationem ad illum, saltem quoad specificationem.

22 Neque ea, quæ adduce-

banur in contrarium, alicuius sunt momenti. Nam ad Arist. respondemus, appellasse causam formalem exemplar, non quia causalitas formalis, & exemplaris coincidunt in vnum; nã, cum causalitas formalis sit intrinseca, & exemplaris extrinseca, impossibile est, quòd coincidunt in vnum genus causalitatis; sed ob rationem, quam libro 1. disp. 4. quæst. 1. num. 3. adduximus explicando varia nomina, quibus explicari solet forma, seu causa formalis; nimirum, quia agentia naturalia ad similitudinem formæ, quam continēt, nituntur, effectus sibi similes producere.

23 Augustinus verò è contrario exemplar, formam appellavit eo quòd exemplar, siue idea quædam forma est, quæ licet respectu producti ab artifice nō exerceat causalitatem formalem, sed potius efficientem; exercet tamen illam respectu sui artificis, quem suo modo informat, & constituit in ratione agentis artificiosi. Quòd si respectu rei exemplatæ exemplar ab aliquibus appellatur forma, non est propter causalitatem formalem, quam circa illam habet, sed quia illam in se habet per modum imaginis, & in esse representatiuo, & idealis, & omnes imagines solent formæ, id est, similitudines rei, quam representant, appellari.

24 Ad rationem dicimus, duplici-

pliciter posse aliquid concurrere ad dandam determinatam similitudinem, & speciem effectui. Primò, intrinsecè constituto illum in esse talis. Et hūc fatemur esse effectum in genere causæ formalis à forma provenientem; sed negamus, exemplar, siue ideam hoc pacto concurrere ad effectum, cuius est exemplar, siue idea, sed potius hoc pacto hunc effectum provenire à forma artificiali. Secundò, tribuendo causæ efficiēti illius effectus determinatam virtutem ad hunc specie effectum, & non alium producendum. Et in hoc sensu verum est, exemplar, siue ideam concurrere ad dandam determinatam similitudinem, & speciem effectui. Tamen ex hoc solum

sequitur, ideam, siue exemplar esse causam formalem respectu artificis, non verò respectu rei artificiatæ, seu exēplatæ; imò potius respectu illius sequitur habere rationem causæ efficientis, cum sit forma tribuens agenti artificioso determinatam virtutem ad agendum.

25 Illud autem, quod Conimbricenses, Fonseca, & Henricus asserēbant, scilicet, ideam, siue exemplar constituere speciale genus causæ formalis extrinsecæ, cōtradictionem in se involuit, cum proprius modus causandi causæ formalis sit per informationē, & se ipsam tribuendo, & communicādo effectui, itaut in illo essentialiter insit; quæ omnia repugnant causæ extrinsecæ.

DISPUTATIO TERTIA.

De causa materiali, & formali.

ACTVM est iam de causis in cōmuni; de causis in particulari venit agendum, & quia materialis, & formalis sunt causæ intrinsecæ, ideò prius de his duabus, & egit Philosophus, & nos cum illius expositoribus disputamus. Circa quas tria sunt examinanda. Primum, *Quid sint causa materialis, & formalis?* Secundum, *Qui sint illarum effectus?* Tertium, *Quæ sint illarum causalitates?*

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint causa materialis, & formalis?

1. **C**Ausam materialem his 3. huius libri, ex quo fit aliquid, verbis definit Arist. cap. cum insit. Quæ definitio eadem est.

est cum illa, quam tradidit 5. metaph. cap. 2. *ex quo inexistenti aliquid fit*. Hanc definitionem recipiunt expositores, & sic declarant. Dicunt enim *ly principium*, quod ibi præsupponitur, & in quo non solum cum reliquis causis, sed etiam cum priuatione conuenit, poni loco generis: reliqua verò loco differentiarum; nam per *ly ex quo* differt non solum à causa efficiēti, & finali, (quæ non sunt principia, *ex quibus*, sed efficiens à quo; finalis, cuius gratia aliquid fit) sed etiam à causa formali. Licet enim *ly ex quo* late sumptum supponat pro omni principio intrinseco intrate in compositionem rei, vel per se requisito ad eius generationem: & in hac acceptione (quæ est, in qua illud accepit Arist. in definitione primorum principiorum entis naturalis, cum sic illa definiuit, *sunt, quæ neque ex se se, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt*) prædicta particula non solum materiam, sed etiam formam; imò & priuationem comprehendat; tamen strictius sumpta, (vt hic sumitur) scilicet, pro principio intrinseco rei naturalis ipsam rei naturalis generationem antecedenti, nullatenus conuenit causæ formali, seu formæ, cum hæc non antecedit generationem; sed potius sit illius terminus. Quia tamen priuatio est principium *ex quo* in toto isto rigore aliquid fit, ideo ad illam excludendam

additur in definitione *ly cum in sit*, seu *inexistenti*, nam priuatio non inest rei, quæ fit, sed potius per eius positionem tollitur.

2 Iuxta hanc definitionem causæ materialis, & eius expositionem rectè inferitur, non solum materiam primam, ex qua simul cum forma substantiali constituitur compositum substantiale, esse verè, & propriè causam materialem, sed etiam hoc verè, & propriè competere materiæ secundæ, id est, roti substantiali, quatenus simul cū forma accidentali, siue naturali, siue artificiali concurrit ad componendum totum accidentale, siue naturale, siue artificiale, quod ex eis resultat: imò hoc genus exempli attulit Aristot. post definitionem dicens, *vt ex ære fit statua, & ex argento phiala*.

3 Præter hæc autem duo, sunt plura alia, quæ ab Arist. reducuntur ad genus causæ materialis, quibus non ita propriè conuenit ratio causæ materialis. Reducit enim partes integrantes, quæ rationem causæ materialis habent, in quantum ex ipsis præexistentibus, & earum continuativis, quæ gerunt rationem formæ, componitur totum integrale; sed deficiunt à ratione causæ materialis perfectæ; quia causa materialis perfecta componit totum recipiēdo in se formam per veram informationem; at partes integrales non recipiunt in se con-

tinuatiua, quæ habent rationem formæ, per veram informationem, sed solum per adhesionem.

4 Reducit præterea quatuor elementa, ex quibus mista componuntur: quibus impropriissime competit ratio causæ materialis, cum elementa non sint in mistis, nec maneat in illis secundum propriam substantiam, sed secundum virtutem. Et demum reducitur præmissas non alia ratione, nisi quia (vt D. Thom. exponit 5. Metaphis. lect. 3.) conclusio, respectu cuius dicuntur causa materialis, componitur ex aliquibus terminis, ex quibus constant præmissæ.

5 Dispositiones autem, quibus materia disponitur ad formam substantialem recipiendam, reducuntur etiam ab aliquibus ad causam materialem. Sed licet negari nequeat, dispositiones in materia esse conditionem requisitam, tam ad causalitatem materiæ, quàm ad causalitatem formæ; non enim potest materia via generationis formam recipere, neque forma ipsam materiam informare, nisi prius fuerit materia per certas dispositiones præparata: tamen falsum est, hoc præstare dispositiones in genere causæ materialis: aliàs forma substantialis immediatè reciperetur in his dispositionibus, & illis mediātib; in materia: quod falsum est. Sed dicimus id præ-

stare in genere causæ formalis, informando, scilicet, subiectum, & per talem informationem, atque expulsiuam contrariarum dispositionum (quæ est effectus formalis secundarius ipsarum) reddendo materiam eius expeditam ad hoc, vt vi agentis naturalis ex eius potentia passiuæ forma substantialis, quam prædictæ dispositiones exigunt, educatur, atque in ipsa immediatè recipiatur.

6 Causa formalis sic ab eodem Philosopho locis citatis definitur, *Est ratio quidditatis esse, seu ratio quidditatis*. Appellat autem hic Aristotel. causam formalem rationem quidditatis, non quia sola forma sit tota quidditas, & essentia compositi substantialis; nam (vt ex libr. I. disput. 3. quæst. 7. constat) etiam materia prima spectat ad essentiam, & quidditatem illius; sed quia (vt ibidem numer. 24 ex Scotto dicebamus) est præcipua pars, & veluti vltimum complementum, & distinctiuum: essentiae, & quidditatis compositi substantialis. Potest autem clarius sic definiri. Causa formalis est, à qua intrinsece actuante aliud dependet. In qua definitione verba illa, à qua aliud dependet ponuntur loco generis. Aequivalent enim verbis illis, quibus disput. præcedenti quæst. 2. causam in communi ex mente Scoti defini-

uimus, *principium*, propter quod alterum est. Et per illa verba *intrinsecè actuante* excluduntur causæ extrinsecæ efficiens (inquam) & finalis: tum etiam intrinseca materialis, quæ non actuando, sed potius patiendo concurrat.

7 Ex qua definitione infero, non solum formam substantialem, sed etiam accidentalem, tam naturalem, quam artificialem esse verè, & propriè causas formales, cum sint rationes quidditatis compositorum accidentalium, tam naturalium, quam artificialium. & ab ipsis intrinsecè actuantibus prædicta composita dependeat.

8 Præter hæc autem sunt alia plura, quæ ab Arist. reducuntur ad genus causæ formalis, nimirum, continuatua, quibus partes integrales uniantur; quæ etsi possint dici causæ formales, in quantum adveniēdo partibus integralibus intrinsecè, & per modum actus complent esse compositi integralis: deficient tamen à rigore causæ formalis, in quantum hoc non præstant informando partes, quas uniant, & habent rationem materiæ, sed illis adherendo, & vt sic illas copulando, seu terminando.

9 Reducitur etiam ad genus causæ formalis copula, qua termini uniantur ad faciendam propositionem, scilicet, verbum est. Item nota illationis, qua consequentia coniungi-

tur cum antecedenti in quacumque argumentatione. Et demum differentia, quæ adveniēdo generi intrinsecè, & actuando complet essentiam speciei. Sed istæ non sunt causæ formales physicæ, & reales, de quibus nunc loquimur; licet possint appellari formæ, vel Logicales, vt duæ priores, vel metaphysica, vt posterior; sicuti neque genus, cui advenit differentia, dicitur materia physica, sed metaphysica. Et consequentia, & antecedens, quæ coniunguntur per notam illationis, non dicuntur materia physica, & realis, sed Logicales, & intentionalis.

QVÆSTIO II.

Qui sint effectus causæ materialis, & formalis?

Plures existimant, vnicum tantum esse materiæ effectum, scilicet, ipsum compositum, quod ex materia, & forma coalescit. Et videtur posse fundari in ipsa definitione causæ materialis: nam, si causa materialis (vt ex Aristotel. quæstione præcedenti referebamus) est, *ex qua inexistenti aliquid fit*; profecto solum compositum poterit esse effectus causæ materialis; siquidem de solo composito potest verificari esse, quod fit ex materia inexistenti, id est, ipsum intrinsecè constituente. Ita sentiunt

Ma-

Maiores in 2. dist. 12. quæst. 2. & Albertus 2. Physicorum tractat. 2.

2 E contrario verò Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 1. sect. 2. Conimbricenses super cap. 7. huius libri quæst. 8. artic. 1. & Suarez in Metaph. disput. 13. sect. 7. atque plures alij sustinent, non solum compositum, sed plura alia esse inter effectus causæ materialis numeranda: nam enumerari debet (inquiunt) etiam forma, quæ ex potentia materiæ educitur. Et similiter ipsa generatio entis naturalis. Quorum fundamentum est, quia non solum compositum pendet à materia in genere causæ materialis, sed etiam hoc pacto pendet à materia forma, quæ ex eius potentialitate educitur: imò & ipsa generatio entis naturalis, hæc enim, si materialiter sumatur, nihil aliud est, quam ens naturale in fieri; & ens naturale non solum in facto esse, sed etiam in fieri dependet à materiali causæ concursu. Vnde Aristot. lib. 1. inter principia per se intrinseca tam esse, quam fieri entis naturalis materiam primam enumeravit.

3 Sed existimo inter hos auctores potius de nomine, quam de re esse controuersiam. Dupliciter enim potest aliquid effectus causæ materialis denominari. Primò, quia re vera pendet à materia, vt à sub-

iecto, siue sit terminus adæquatus huius dependentiæ, siue non. Secundo, quia non solum pendet à materia, vt à subiecto, sed etiam est terminus adæquatus huius dependentiæ, & ad ipsum, tamquam ad finem, cætera, quæ dependent à materia, per se ordinantur, & diriguntur in tali dependentia.

4 Si effectus in primo sensu accipiatur, dicendum est, veram esse secundam sententiã, scilicet, non solum compositum, sed etiam formam, quæ ex potentia materiæ educitur, & similiter illius generationem esse inter effectus causæ materialis numerandam. Quia (vt suo fundamento assumitur, quod auctores primæ sententiæ non reprobant) hæc omnia verè per se dependent, tamquam à subiecto, à materia. At si effectus accipiatur in secundo sensu, vera est prima sententia, scilicet, solum compositum, esse effectum causæ materialis, quia (vt eius auctores supponunt, nec reprobant secundæ sententiæ patroni) solum compositum est terminus adæquatus causalitatis, seu dependentiæ à materia, tamquam à subiecto; nam cætera, quæ dependent à materia, tamquam à subiecto, per se ordinantur ad compositum, vt ad finem per se intentum in tali dependentia.

5 Solum potest dubitari, quæ ex his duabus acceptionibus

nominis effectus sit prior? Existimo, quod prior. Tum, quia definitio causæ materialis tradita ab Arist. solum potest verificari in ordine ad effectum, qui est terminus adæquatus suæ dependentiæ: nam (vt prima sententia obijciebat) de solo composito verificatur, quod fiat ex materia inexistenti, id est, ipsum intrinsicè constituyente: ergo supponit Arist. in hac definitione, nomen effectus propriè, & rigorosè solum de termino adæquato dependentiæ verificari. Tū etiam, quia (vt vulgariter dicitur) *ubi vnam propter aliud, ibi tantum est vnum*. Sed dependentiæ, quas dicunt, tam generatio, quam forma à materia, sunt propter dependentiam, quam dicit ab eadem materia totum compositum: ergo propriè, & in rigore ibi est tantum vna dependentia, & consequenter vnus effectus, scilicet, ipsum compositum.

6. Ex dictis de effectibus causæ materialis non erit difficile assignare effectus causæ formalis. Nam dicendū est, quod, si effectus accipitur in secunda acceptione, scilicet, pro eo, quod non solum dependet à forma, sed est terminus adæquatus istius dependentiæ (quæ acceptio est prior, & rigorosior huius vocis, solū compositum est effectus illius; & sic per solū ordinē ad ipsum propriè, & in rigore verificari definitio

nem causæ formalis, quam ex Arist. quæstione præcedēti retulimus, *Ratio quicquid erat esse, seu ratio quidditatis*.

7. Tamen si accipiatur effectus in primâ acceptione, scilicet, pro omni eo, quod reuera dependet à forma, solent alij duo effectus causæ formalis attribui. Primus est, expulsio formæ substantialis præexistentis à materia, quæ fit in quacunque generatione. Et idē est iudiciū de expulsionem qualitatis contrariæ à subiecto, quæ fit in quacumque alteratione corruptiuâ; quod negari nō potest, si nou intelligatur de effectū primario, sed secundario, & per accidens secuto. Cū enim duæ formæ substantiales vltimæ nō possint simul informare eadē numero materiā, nec duæ qualitates contrariæ in gradibus intensis idē numero subiectū; fit, vt ad introductionem formæ substantialis in materiam, necessariò expellatur ab illa materia forma substantialis præexistens; & ad introductionem qualitatis in subiectum, necessariò expellatur ab illo qualitas contraria, quæ in illo præexistebat.

8. Scio, Sotum hic quæst. 4. concl. 3. §. *Sed dubium est*, contendere, expulsionem formæ præexistentis à materia, seu à subiecto, etsi proueniat à forma de nouo introducta in talem materiam, vel subiectum, sed non in genere causæ for-

formalis, sed potius in genere causæ efficientis. Vnde Scotus reprehendit eo, quod in 4. d. 1. q. 5. §. *Ad primam ergo*, liter. F. expulsionem formæ præexistentis attribuat formæ de nouo introductæ, vt informanti, non verò vt efficienti.

9. Sed certè propter hoc fas erat, reprehendere D. Thom. qui 1. 2. quæst. 85. artic. 1. ad 4. & quæst. 28. de veritate artic. 1. ad 7. & art. 2. ad 9. idem sustinet, ac Scotus. Fallitur ergo ipse Sotus in suo asserto. Primò, quia calor v. g. ex sua intrinseca entitate, & seciusa quacumque efficientia contrarius est frigori: ergo quò primò informauerit subiectum, expellet frigus ab eodem subiecto, non ratione alicuius efficientiæ, sed ob mutuum formarum reluctantiā. Secundò, quia, cum præsum calor adest, iam abest frigus: (secus enim in eodem subiecto coexisterent contraria in gradibus intensis) ergo calor per suam informationem, & antecedenter ad omnem eius productionē, seu efficientiam expellit frigus. Et demum tertio, quia, si calor expellit frigus ab eodem subiecto, non formaliter, & per se ipsum, sed effectiuè, & per aliud ab eo productum, inquiram de illo ab eo producto, an expellat frigus formaliter, & per se ipsum, an effectiuè, & per aliud ab eo productum?

Si des hoc vltimum, processum concedes in infinitum: nam idem inquiram de illo tertio producto. Si admittas primum, cur hoc ipsum calori non concedis? cum calor formaliter, & per se ipsum aduersetur frigori, non minus, quàm illud productum, quod tu fingis.

10. Sed dicet aliquis; quando de nouo introducitur forma in materiam, vel qualitas contraria in subiectum, verè efficitur expulsio formæ præexistentis à materia, vel qualitatis contrariæ præexistentis à subiecto: quæ ergo est causa efficiens huius expulsionis, si non est forma de nouo introducta?

11. Respondetur facile, duplicem causam efficientē huius expulsionis nos posse assignare; vnam positiuam, sed remotam, nimirum, producens formam in materia, seu subiecto incompossibilem cū forma præexistenti: quam positiuam appello, quia per influxū positiuum influit in talem formā; remotam verò, quia etiam si forma producta per istam causam ratione incompossibilitatis, quam habet cum forma præexistenti, exigat expulsionem præexistentis; tamen non est ipsa formalis expulsio. Et alterā negatiuā, sed proximā, scilicet, conseruans formam præexistentem. Quam negatiuam appello, quia conseruans

non causat expulsionem positivè influendo, sed potius negativè, subtrahendo, scilicèt, influxum, quo præexistentem formam conservabat. Proximam verò, quia in negatione formæ præexistentis, quæ est terminus *ad quem* huius subtractionis concursus, ipsa expulsio formæ præexistentis formaliter consistit.

12 Secundus effectus præter supra assignatum, qui solet attribui causæ formali, est determinare, seu specificare materiam: cum enim materia ex se indifferens sit ad esse specificum cuiuscumque entis naturalis recipiendum, & per receptionem istius formæ potius, quam alterius determinetur ad recipiendum esse specificum istius entis naturalis potius, quam illius, videtur necessario affirmandum, determinationem, & specificationem materiæ à forma determinante, & specificante in genere causæ formalis provenire.

13 Hæc doctrina, si intelligatur de determinatione ad esse specificum completum, quod est materiæ primæ extrinsecum, & conveniens ei ratione compositi, quod ex ipsa, & forma substantiali coalescit, verissima est, atque id ostendit eius fundamentum. Tamen si intelligatur de determinatione ad esse specificum incompletum, quod est materiæ primæ intrinsecum, & conveniēs

ei, in quantum quædam entitas partialis est, falsa omnino est: nam hæc determinationem, & specificationem habere materiam primam ex se, & independenter ab omni forma substantiali, non secus, ac habet partiale esse tam essentiæ, quam existentie, constat ex dictis contra Thomistas lib. 1. disp. 3. q. 2. à num. 44. usque ad 48. & similiter ex ibidem dictis q. 4.

QVÆSTIO III.

Quæ sint causalitates materiæ, & formæ?

1 **Q**UAMVIS causa materialis, & formalis sub se comprehendant, (vt ex q. 1. huius disp. patet) non solum materiam primam, & formam substantialem, sed etiam materiam secundam, & formas accidentales; nos tamen hic solum investigamus causalitates materiæ primæ, & formæ substantialis: quia materia prima, & forma substantialis inter causas materiales, & formales primum obtinent locum; & sic quidquid dictum fuerit de causalitatibus materiæ primæ, & formæ substantialis, facile accomodari potest causalitatibus materiæ secundæ, & formarum accidentalium. Et quæstio solum procedit de causalitatibus, seu formis, à quibus materia prima, & forma substantialis habent, quod sint,

sint, & denominentur causæ in actu secundo, seu in actuali exercitio: nam quid sint causalitates, seu formæ, à quibus materia prima, & forma substantialis habent, quod sint, & denominentur causæ in actu primo, seu in potentia, patet ex dictis de causalitate in communi disp. præcedenti q. 3. n. 18. & 19.

2 Thomistæ, qui loquentes de causalitate in communi sustinebant, (vt ex disput. præced. quæst. 3. num. 4. constat) causalitatem, seu formam, à qua res habent, quod sint, & denominentur causæ in actu secundo, seu in actuali exercitio, non esse relationem prædicamentalem intrinsecus advenientem, & spectantem ad secundum genus relationum, qua causa refertur ad suum effectum, sed potius esse quid absolutum, medians inter causam, & effectum, fundans prædictam relationem, dum in speciali de causalitatibus materiæ, & formæ disputant, asserunt, hoc absolutum medians, tam inter materiam, & eius effectum, quam inter formam, & effectum illius, fundans relationes prædicamentales, intrinsecus advenientes, quibus causæ ad suos effectus referuntur, sed potius consistere in huiusmodi relationibus, dum specialiter de causalitatibus materiæ, & formæ locuntur, asserunt causalitatem, seu formam,

quod sint, & denominentur causæ in actu secundo, seu in actuali exercitio, formaliter consistit) esse unionem materiæ, & formæ: quæ unio in istorum sententia non est relatio secundum esse, (vt ex libro 1. disp. 5. quæst. 2. nu. 28. constat) sed potius quidam modus substantialis absolutus secundum esse, & respectivus secundum dici. Et solum inter ipsos controuersia est in explicando, an ad unionem materiæ, & formæ duo modi unionis concurrant; & consequenter utæquè ponendæ sint causalitates, vna ex parte materiæ, & alia ex parte formæ; an tantum vna sufficiat? Etsi vna sufficit, in quo ex his extremis, seu causis sit collocanda; an in materia? an in forma?

3 Scotistæ verò, qui è contrario asserunt in uniuersum causalitatem, seu formam, à qua aliquid habet, quod sit, & denominetur causa in actu secundo, non esse aliquid absolutum medians inter causam, & effectum, & fundans relationes prædicamentales intrinsecus advenientes, spectantes ad secundum genus relationum, quibus causæ ad suos effectus referuntur, sed potius consistere in huiusmodi relationibus, dum specialiter de causalitatibus materiæ, & formæ locuntur, asserunt causalitatem, seu formam,

nam, à qua materia habet, quod sit, & denominetur causa in actu secundo, seu actuali exercitio, esse relationem materializationis, quam dicit ad effectum, seu compositum, quod materialiter constituit, seu componit: causalitatem verò formæ relationem formalizationis, quam dicit ad effectum, seu compositum, quod componit, seu constituit formaliter.

4. Tamen nos, qui in hac re plus æquiuocationis, quam controuersie diximus latitare; ad quam auferendam notabamus dupliciter posse rem aliquam causam in actu secundo, seu actuali exercitio denominari. (sicuti similem, aut æqualem) Primò fundamentaliter, & remotè; secundo, formaliter, & proximè; nunc in præsentī dicimus, causalitatem, seu formam, à qua tam materia, quam forma denominantur causæ in actu secundo, seu actuali exercitio formaliter, & proximè esse relationes prædicamētales intrinsecus aduenientes spectantes ad secundum genus relationum, quibus referuntur ad effectum, seu compositum, scilicet, in materia relationem materializationis, & in forma relationem formalizationis. Et in hoc sensu (qui proprius, & legitimus est questionis) vera est, atque iuxta mentem Scoti Scotistarum

sententia. Causalitatem verò, seu formam, à qua tam materia, quam forma denominantur causæ in actu secundo fundamentaliter, & remotè, non esse præfatas relationes, sed ipsarum fundamentum, scilicet, in materia virtutem materializandi compositum, vt subest vnioni, qua vnitur formæ, & communiter dicitur receptio formæ; in forma verò virtutem formalizandi, seu actuandi compositum, vt subest vnione, qua vnitur materiæ, & communiter dicitur informatio, seu actuatio materiæ. Et in hoc sensu habet veritatē Thomistarum sententia; & solum inter ipsos, & nos potest esse dissidium in explicando, in quo formaliter consistant istæ vniones, quas requirimus, vt conditiones per se, & necessario requisiti ad hoc, vt tam virtus materializandi, quæ est in materia, quam virtus formalizandi, quæ est in forma, induat rationem causalitatis ipsarum fundamentalem, & remotam. Nā Thomistæ (vt latè exagitaui-
mus lib. 1. disp. 5. q. 2.) comēdunt, formaliter consistere in quodam, seu quibusdam modis substantialibus. Nos verò sustinemus consistere in quibusdam relationibus secundū esse, non ex intrinsecus aduenientibus, quæ sunt, quæ spectant ad tertium prædicamentum, sed ex aduenientibus extrinsecus, & quæ spectant ad vñū

ex.

ex sex vltimis prædicamentis, scilicet, vnionem, quam dicit materia ad formam, ad prædicamentum passionis; nā est relatio transmutati ad transmutans formaliter; vnionem verò, quam dicit forma ad materiam, ad prædicamentū actionis, nam est relatio transmutatis formaliter ad transmutatū.

5. Solum aduerto, Caberum tract. 2. disput. 3. dub. 2. contendere; (non obstante, quod sit, vt ipse fatetur, contra communem sententiam) nihil dari medium inter materiam, & compositum, & similiter inter formam, & compositum, quod induat rationem causalitatis, quam materia, & forma exercent in ipsum compositum; nam vnio materiæ, & formæ, quæ est, quæ mediat tam inter materiam, & compositum, quam inter formam, & compositum, non potest (inquit hic auctor) induere rationem causalitatis, quam materia, & forma exercent circa ipsum compositum; quod multipliciter probat.

6. Primò, quia, cum hæc vnio educatur de potentia materiæ media actione reali, propriè est effectus; ergo non propriè causalitas. Secundo, quia tam forma, quam materia causant, seu constituunt totum non influendo esse in illud, (Hoc enim solum est propriū causæ efficientis) sed potius dando, seu communicando se-

illi: ergo superflua est in illis causalitas media inter ipsas, & effectum, quæ necessario exigitur in causa efficiēti. Tertio probat instantiæ tam totius integralis, (quod componitur ex partibus, tanquam ex potentia, & ex continuatiuis, tanquam ex actu) quam huius hominis *Christus*, qui componitur ex natura humana, tanquam ex potentia, & ex persona Verbi, tanquam ex actu terminante potentialitatem, quæ est in natura humana ad iudicandum; & tamen in his compositionibus nulla interuenit causalitas materialis, vel formalis.

7. Quod si huic auctori obijcias; materia, & forma per suas entitates solum habent, quod sint causæ totius, quod ex eis resultat, in actu primo, seu in potentia: per quid ergo constituuntur causæ illius in actu secundo, seu in actuali exercitio, si hoc non habent per vnionem? Respondet, materiam, & formam constitui causas in actu secundo per ipsum effectum (scilicet, compositum) iam existentem; nam quatenus connotant effectum iam existentem, dicuntur causæ illius in actu secundo. Itaque connotatio extrinseca effectus iam existentis est in sententia huius auctoris causalitas, seu forma, a qua tam materia, quam forma habet, quod sint, & denominentur causæ in actu

sc.

secundo, seu in exercitio.

8 Verum si hic auctor contendat, inter materiam, & compositum, & similiter inter formam, & compositum nihil mediare, quod induat rationem causalitatis formalis, & proxima ipsarum, non possumus Scotista ipsi refragari, cum sustineamus, causalitatem, seu formam, a qua tam materia, quam forma formaliter, & proximè denominantur causæ in actu secundo, seu actuali exercitio, esse relationes materializationis, & formalizationis, quibus realiter referuntur ad ipsum compositum, quæ relationes in omnium sententia non mediant inter materiam, & compositum, seu inter formam, & compositum, sed potius resultant in eis ad positionem compositi in actuali existentia. Quamvis non parùm displiceat id, quod hic auctor adiecit, scilicet, materiam, vel formam constitui formaliter, & proximè causas in actu secundo per ipsum effectum (scilicet, compositum) iam existentem, seu (vt ipse se magis explicans dicit) per connotationem extrinsecam effectus iam existentis; nam ex existentia effectus realis non resultat in causa reali ipsius connotationis extrinseca, sed relatio realis, & intrinseca ad illum, vt etiam in sua Logica sustinuit ipse Caberus.

9 At si conetur hic auctor, in-

ter materiam, & compositum, & similiter inter formam, & compositum nihil mediare, quod induat rationem causalitatis fundamentalis, & remote ipsarum, non solum Thomista, sed etiam Scotista ipsi refragantur; & meritò. Nam, cum causalitas, seu forma, a qua tam materia, quam forma fundametaliter, & remotè causæ in actu secundo denominantur, nihil aliud sit, quam fundamentum proximum relationum materializationis, & informationis, quibus materia, & forma referuntur ad compositum, & a quibus formaliter, & proximè causæ in actu secundo denominantur; ita falsum existimo, inter materiam, & compositum, seu inter formam, & compositum non mediare aliquid, quod induat rationem causalitatis fundamentalis, & remotæ, ac falsum est, inter materiam, & compositum, seu inter formam, & compositum non mediare aliquid, quod induat rationem fundamenti proximi relationum materializationis, seu formalizationis, quibus materia, & forma ad compositum, quod causant, referuntur.

10 Verum est, posse esse dissidium inter auctores in explicando, in quonam formaliter consistat illud fundamentum proximum, & consequenter ista causalitas fundamentalis, & remotæ? Nam sicut Thomista

stre loquendo de fundamento, proximo relationis, qua causa efficiens refertur ad suum effectum, dicunt, non esse potentiam, seu virtutem productiuam, sed potius influxum actuale, seu actionem materialiter sumptam, qua media efficiens influit in effectum; ita consequenter debent dicere, fundamentum proximum relationum, quibus causa materialis, & formalis referuntur ad suum effectum, (scilicet, compositum) non esse potentias, seu virtutes materializandi, & formalizandi compositum, sed potius vnionem, seu vniones materiae, & formæ, quibus medijs materiae, & forma se dant, seu communicant composito, quod altera materialiter & formaliter altera constituant.

11 At Scotista, qui cum Scoto (vt constat ex dictis in Logica cap. de *Ad aliquid* disp. 2. q. 1. sect. 2.) asseruimus, fundamentum proximum relationis, qua causa efficiens ad suum effectum refertur, non esse influxum, seu actionem materialiter sumptam, qua media efficiens influit in effectum, sed potentiam productiuam; influxum autem, seu actionem materialiter sumptam solum esse conditionem, seu dispositionem per se, & essentialiter requisitam ad hoc, vt prædicta potentia induat rationem fundamenti; consequenter nunc asserimus, fundamentum proximum re-

lationum, quibus causa materialis, & formalis referuntur ad suum effectum (scilicet, totum) non esse vniones materiae, & formæ, quibus medijs materia, & forma se dant, seu communicant composito, sed potius virtutes, quas habent materializandi, & formalizando compositum, vniones vero esse conditiones, seu dispositiones per se, & essentialiter requisitas ad hoc, vt prædictæ virtutes induant rationem fundamenti proximi, & consequenter causalitatis fundamentalis, & remotæ.

12 Neque rationes, quibus nitetur Caberus, sunt momenti. Ad primam responderetur, ex eo, quod vnio educatur de potentia materiae media actione reali, solum inferri, non posse vnionem esse causalitatem causæ efficientis, cum potius sit effectus illius, & terminus causalitatis eius, licet non per se, & primariò intentus ex vi illius actionis, saltem per accidens, & in quantum talis vnio est quid per se requisitum ad resultantiam compositi substantialis, quod est terminus per se, & primariò intentus ex vi illius actionis; tamen, quod non sit causalitas, seu conditio per se, & essentialiter requisita ad causalitatem fundamentalem, & remotam causæ materialis, sed potius effectus illius, nullatenus inferri. Nam ad hoc erat requisitum, quod perderet à materia, non im-

immediatè, sed mediante alia vnione; non secus ac pendet compositum mediante ipsa, aut forma substantialis, quæ educitur ex illius potentia, quæ in quæstione præcedenti inter effectus causæ materialis enumerauimus.

13 Ad secundum dicimus, ex eo, quod materia, & forma causent, seu constituent totum non influendo esse in illud, sicut causat causa efficiens, sed potius dando, seu communicando se illi, ineptè satis inferri, superfluum esse causalitatem fundamentalem, & remotam mediã inter ipsas, & effectũ. Sed, quod debebat inferri, est, causalitatem istam, seu conditionem ad causalitatem istam per se, & essentialiter requisitam respectu materiæ, & formæ non esse aliquem influxum, sicut contingit in causa efficiente, sed aliquid aliud, nimirum vniones materiæ, & formæ, quibus medijs tam materia, quam forma se dant, seu communicant composito.

14 Ad instantias tam compositi integralis, quam huius hominis *Christus* respondetur, non esse ad rem, vel, si aliquo modo ad rem sunt, potius conuincere oppositum. Non sunt ad rem, quia etiam si ad compositionem totius integralis concurrant partes per modum potentia, & continuatiua per modum actus; & similiter ad compositionem huius totius hominis *Christus*

concurrat natura humana per modum potentia, & persona diuini Verbi per modum actus, tamen ex dictis in q. 1. huius disputationis constat, neque partes integrales habere rationem propriae causæ materialis, neque continuatiua habere rationem propriae causæ formalis; eo quod prædicta continuatiua non informant partes integrales, sed solum illis adherent ipsas terminando. Et potiori ratione idem fatendum erit de humanitate *Christi Domini*, & persona diuini Verbi, cum multo certius sit, personam Verbi non informare naturam humanam. Quod si in his compositionibus non reperiuntur propriae, & in rigore causæ materialis, & formalis, quid mirum, quod neque etiam propriae, & in rigore reperiuntur earum causalitates.

15 Quod si causa materialis late sumatur, scilicet, pro omni eo, quod concurrat ad aliquid constituendum per modum potentia; & similiter causa formalis late sumatur, scilicet, pro omni eo, quod concurrat ad aliquid constituendum per modum actus, etiam si non interueniat informatio; constat, potius has instantias conuincere oppositum: siquidem ad constituendum hæc composita aliquid antecedit, cui potest, & debet ratio causalitatis impropriae fundamentalis, & remotæ attribui, videlicet, in compositione *Christi*

sti Domini virtus, quæ est in humanitate ad tribuendum esse humanum, & in persona Verbi virtus, quæ est ad ipsum esse humanum per terminationem extrinsecam recipiendum, vt subsunt vnioni hypostaticæ. Et in compositione totius integralis virtus, quæ est in partibus ad dandum esse extensiuum entitatum toti integrali; & virtus, quæ est in cõ-

tinuatiuis ad copulandas partes extensionis, vt subsunt vnioni, quam dicunt continuatiua cum partibus integralibus, quæ diuersa est, & præua ad vnionem, quam dicunt partes inter se, cum hæc sit relatio intrinsecus adueniens; illa verò relatio extrinsecus adueniens, vt ex dictis 1. libro disput. 5. quæstio. 2. numer. 11. & 12. latius constat.

DISPUTATIO QUARTA.

De causa efficiente.

E GIMVS de causis intrinsecis, de extrinsecis iam venit agendum; atque prius de efficiente, quam de finali, non quia causa efficiens in modo cauendi nobilior, & prior sit causa finali; nam, cum ipsum agens moueatur, & determinetur ad agendum à fine, potius è contrario euenit. Quod his verbis satis expressit Aristot lib. 1. de partibus animalium cap. 1. *Principatum sanè illa obtinere videtur, quam sub hoc Verbo, cuius gratia, significamus.* Sed quia ratio causæ non solum nobis notior est in efficienti, quam in finali, sed adeo in ipsa reipendet, vt per excellentiam interdum appelletur nomine causæ, & ab ipsa specialiter desumptum sit nomen effectus pro his rebus, quæ à sua causa dependent. Ordo autem doctrinæ postulat, vt à notioribus nobis incipiãmus. De causa ergo efficiente octo solent exagitari. Primum, *An sit?* Secundum, *Quid sit?* Tertium, *Quotuplex sit?* Quartum, *Quos habeat effectus?* Quintum, *Quid sit illius causalitas?* Sextum, *Vtrum substantia sit per se, & immediate effectiua?* Septimum, *Vtrum accidentia attingant effectiue productionem substantiæ?* Octauo, & vltimo solet disputari de concursu Dei cum causis secundis.

(.S.)

QVÆSTIO PRIMA.

An sit causa efficiens?

1 **E**SSE causam efficiētem nullus vnquam dubitauit. Cum enim quotidie experiamur, aliqua de nouo produci; & insuper lumine naturali sit perspicuum, nihil producere se ipsum, coacti sunt omnes asserere, dari aliquid, à quo ista producantur, & consequenter dari causam efficientem: nam (ex dicendis quæstione sequenti) causam efficientem appellamus *id, propter quod alterum est, tanquam ab illo.*

2 In assignandis autem causis efficientibus dissidium fuit inter auctores. Nam in primis quidam dixerunt, res alias infra Deum nihil efficere, sed ad earum præsentiam res omnes, quæ ab eis oriri videntur, Deū efficere. Huius opinionis meminerunt Auerroes 9. Metaph. commento 7. D. Th. 1. par. q. 705. & contragentes cap. 69. Albertus Magnus 2. Physicor. tract. 2. cap. 3. & noster Scotus ibidem q. 8. & vt probabilem defendere non dubitauit Gab. in 4. d. 1. q. 1. artic. 3. dub. 3. & citari solet, vt inclinans in ipsam Petrus Aliacensis in 4. d. 1. q. 1. art. 1.

3 Fundamentum huius sententiæ esse potuit, quia, cum

Deus sit perfectissima causa, debet illi tribui perfectissimus modus operandi. Sed perfectior modus operandi est operari se solo, quam cum consortio aliarum causarum: ergo sola prima causa omnia effectiue producit; & causæ secundæ nihil. Confirmatur, quia frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora. Sed causa prima omnia effectiue producit: (Ideo enim dicitur causa vniuersalis) ergo frustra conceditur aliqua efficiētia causis secundis. His accedunt aliqua testimonia scripturæ, quæ videntur causis secundis omnem efficiētiā denegare. Primæ ad Chorin. 12. *Deus, qui operatur omnia in nobis: & secundæ ad Chorint. 3. numquid sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis?*

4 Alteram sententiā huic cognatam secutus est Auicbron Maurorum Princeps in libro fontis vitæ (vt refert D. Th. 1. part. q. 115. art. 1.) Hic enim concedebat efficiētiā rebus, sed illam negabat corporalibus: quippe dicebat, à rebus corporalibus nullā actionem oriri, sed à substantia quadam spiritali intimè existente in corporibus. Fundamentum erat,

erat, quia ad agendum necessarium reputabat, quod agens sit intimè præsens passo; quod nullatenus potest rebus corporalibus ratione quantitatis conuenire. Et videtur huic sententiæ fauere Aug. dum lib. 5. de Ciuitate Dei sic fatetur: *Corporeæ cause non debent inter efficientes numerari.*

5 Tertia sententiā est aliorum, qui rebus corporeis non omnium efficiētiā denegabāt: dicebant enim, res corporeas efficere quidem accidentia, sed non attingere ad productionē substantiæ, v. g. ignem quidē producere calorem, non verò alium ignem. Hanc sententiā tribuit D. Th. supra citatus Auicennæ, qui libro sufficientiæ c. 10. & 4. metaph. cap. 4. & 5. docuit, ita esse dispositum ordinem rerum naturalium, vt à prima causa solūm produceretur vna substantia spiritalis omnium perfectissima, & ab hac secunda, atque à secunda tertia vsque ad intimam substantiam spiritalē; quæ infima substantia spiritalis induebat omnes formas substantiales in materias à causis corporeis dispositas: & sic ab ipsa, & non à causis corporeis fieri omnes substantias.

6 Fundamentum Auicennæ erat, quia existimabat, substantias corporeas non esse immediatè operatiuas, sed operari medijs accidentibus, quæ, cum imperfectiora sint quacumque

substantia, non poterunt illam effectiue attingere: & sic necessarium videbatur Auicennæ assignandam esse aliquam intelligentiam, seu substantiam spiritalē omnibus substantijs corporalibus superiorem, cui tribuenda esset talis efficiētia, seu productio substantiarum. Quod confirmabat experientia, quia experimur, plures substantias generari, quæ non habent causas substantiales efficientes proximas; vt animalia, quæ generantur ex putrefactione terræ, respectu quorū assignanda est aliqua substantia spiritalis omnibus corporeis superior, à qua istæ substantiæ generentur.

7 Verūm omnes istæ sententiæ per absurdum sunt; nam tollere virtutem agendi communicatam, & dependentē à Deo non solūm ab omnibus causis infra Deum, sed etiam à solis corporeis, tam respectu accidentium, quam respectu substantiarum, contrarium est non solūm omnibus Philosophis, & Theologis, sed etiam Patribus. Aug. 7. de Ciuitate Dei cap. 30. Damasc. 3. fidei cap. 18. Anselmo libro de Cōcordia præsciētiae, & libero arbitrio, Basilio homil. 9. Ambrosio lib. 3. Exameron, atque alijs pluribus. Imò est error manifestus tam in fide, quam in vera philosophia.

8 Est error in fide, quia expressè scriptura docet, Deum

dedisse creaturis corporis virtutem producendi non solum accidentia, sed etiam veras substantias, Genes. 1. *Germinet terra herbam viventem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum.* Et Lucæ 21. *Videte sicutneam, & omnes arbores, cum producant iam ex se fructum.* Et in Trident. sessione 6. can. 4. anathemate damnatur, quicumque dixerit, liberum hominis arbitrium, dum à Deo excitatur, & mouetur, nihil cooperari vocanti Deo assentiens; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passiuè se habere. Quibus accedit, auctores primæ sententiæ Deum facere impium, nã coguntur asserere Deum esse causam peccati: nam in ipsorum sententia non homines, sed ipse Deus ad præsentiam hominum, flagitia hominum committeret.

9 Est error in vera philosophia, nam negant auctores isti id, quod sensibus experimur, scilicet, solum illuminare, ignem calefacere, hominem generare, &c. Quod si respõdeant experiri quidem nos, fieri hos effectus præsentibus his rebus, non tamen fieri ab illis, fateor ita esse, ac per consequens, (vt docet Scotus loco citato) non posse nos contra proteruos asserum istud euidentia simpliciter demonstrare. Tamen negari non potest, sic respondentes, omnem viam philosophicæ

indagationis euertere. Nos enim non possumus aliter experiri emanationem effectum à causis, aut ex effectibus causas colligere, nisi quia præsentem sole fit illuminatio, & præsentem igne calefactio, &c. Deinde si sol non verè illuminat, neque ignis calefacit, sequitur, non esse vera ea pronuntiata, quibus hoc asserimus, quod est contra omnium hominum iudicium. Neque enim, vt illa vera sint, fat est, Deum sole præsentem funderè lucẽ, & præsentem igni lignum calefacere; aliàs quis verè posset dicere, Angelum creatum à lapide, si Deus ad lapidis præsentiam Angelum procreasset. Item, cum ex Aristot. 1. Ethicorum cap. 7. & 2. de Cælo cap. 3. vnum quodque sit propter suam operationem, si res infra Deum nihil operantur, frustra, & absque fine essent in rerum vniuersitate, perperamque eis naturæ auctor tantam potentiæ varietatem, tot organorum apparatus, & distributionẽ cõtexisset. Quod est blasphemia.

10 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, falsum esse perfectiorem modum operandi esse Deum operari se solo, quàm cum causarum secundarum consortio. Quia maiorem arguit virtutem, bonitatem, & sapietiam in Deo, quod rebus creatis non solum dederit esse, sed etiam virtutem ad operandum; præsertim cum Deus

Deus propter consortium causarum secundarum non desinat totum effectum producere; neque pendeat ab illarum cõcursum cõcursum eius, sed potius cõtingat è contra. Ad confirmationem dicimus, quod etiam si Deus producat effectiuè omnia, non ideo censetur superfluous concursus causarum secundarum, quia etsi non simpliciter necessarius, valde tamen conueniens est, cum hac via maximè reluceant (vt dictum est) virtus, bonitas, & sapientia Dei. Ex testimonijs autem scripturæ primum probat quidem, Deum immediatè attingere omnes effectus, sed non excludit creaturarum cõcursum. Secundum loquitur de operibus conducẽtib; ad vitam æternam, quæ certum est, non posse ab homine præstari proprijs viribus, sed indigere speciali Dei auxilio.

11 Ad fundamentum secundæ sententiæ dicimus, ad agendum non esse necessariũ, quod agens sit intimè præsens passio per suũ esse, sed sufficere, quod sit illi præsens per suam virtutem, id est, quod passum sit intra spheram actiuitatis agentis. Verba Aug. pro eadem sententiã adducta nihil ei fauent; nã solum loquitur de causis efficientibus liberis, & quæ suarum operationum dominiũ habent.

12 Ad fundamentum tertie sententiæ dices, asserum illud, *substantiæ corporeæ non sunt imme-*

diatè operatiuæ, sed medijs accidentibus posse præstare duplicem sensum. Primus est, substantias corporeas nullam habere virtutem operandi, quæ sit substantia, sed omnes virtutes operandi in eis esse accidentia: & hic sensus est falsus, vt ex quæstione 6. latius constabit. Secundus sensus est, substantias corporeas, etiam si habeant virtutem operandi, quæ sit substantia, habere etiam virtutes operandi, quæ sint accidentia, & medijs operationibus harum virtutum accidentalium, tanquam prævijs dispositionibus, attingere per virtutem suam effectum. Et hic sensus est verus, sed non pro tertia sententiã, sed potius contra illam.

13 Ad illius confirmationem admissio antecedere negamus consequens, scilicet, deputandam esse infimam intelligentiam, siue substantiam spiritualem ad prædictas formas inducendas in materiam dispositam; quia, cum ad primam causam spectet, supplere omnes defectus secundarum, ideo ab ea immediatè inducentur formæ in materiam ultimò dispositam per causas accidentales, quoniam deficit causa substantialis proxima, à qua inducantur. Et hoc contingit in prædictis experientijs, vt

latius dicemus in

quæst. 6.

(.s.)

QVÆSTIO II.

Quid sit causa efficiens?

I Conueniunt omnes, optimè Arist. quid sit causa efficiens, explicuisse, illam sic definiendam hic text. 29. quàm 5. Metaph. cap. 2. *Efficiens est id, unde est primum principium motus, aut quietis*, id est, (sic enim construenda sunt prædicta verba) *primum principium, à quo prouenit motus, aut quies*. In qua definitione ponitur loco generis *ly primum principium*, in quo cum reliquis causis conuenit efficiens, omnis enim causa in suo genere est primum principium. Nisi forte velis, *ly primum* significare idem, ac *per se*, aut denotare aliquam prioritatem facta comparatione ad alias causas; nam in hac hypothesi dicendum erit loco generis solum poni *ly principium*; & per particulam *primum*, si significat idem, ac *per se*, excludi causas per accidens; at si denotet aliquam prioritatem facta comparatione ad alias causas, hoc solum esse intelligendum, facta comparatione ad alias causas, quæ causant in executione, sicut & ipsa causa efficiens causat, quales sunt materia; & forma; facta enim comparatione solum inter has causas, verum est, efficiens esse *primum primum*, id est, prius na-

tura concurrens: hæc enim causalis est vera; quia efficiens agit, ideo materia recipit formam, & forma informat materiam, & sequitur compositum. Nam si comparatio fiat inter omnes causas, siue causent in executione, siue in intentione, constat ex dictis in præmio huius disputationis, prius natura causare causam finalem, quàm efficiens, ac per consequens respectu illius non posse induere rationem *primi principij*.

2. Reliquæ particulæ, (scilicet, *unde motus, aut quies*) ponuntur loco differentiarum; licet enim *ly unde*, latè sumptum (qua ratione illud sumpsit Aristotel. 5. Metaph. cap. 1. in definitione principij) denotet omnem principij habitudinem; tamen sumptum strictè (vt in hac definitione sumitur) solum significat habitudinem principij, à quo est motus; aut quies. Et hæc est propria nota causæ efficientis; per ipsam namque differt causa efficiens à reliquis causis; nam materia non est *unde*, id est, à qua est motus, sed ex qua; forma verò, in quam tendit; & finis, cuius gratia procedit ab agente.

3. Sed circa *ly motus* dubitant interpretes, quo pacto positum fuerit ab Aristot. in hac definitione? Et ratio dubitandi est, quia causa creans verè est causa efficiens, imò perfectissima inter omnes efficien-

tes, & tamen non est principium, unde est motus, seu à quo est motus, siquidem creatio, quæ est à causa creante, verè non est motus, quippè, quæ non supponit subiectum, quod necessario motus, aut mutatio prærequirit.

4. Communis, & vera solutio huius difficultatis est, nomine motus in hac definitione intelligendum esse quemcumque influxum; quo medio efficiens tendit in effectum, siue efficiens agat ex præsupposito subiecto, qua ratione influxus dicitur motus, vel mutatio; siue agat ex nullo præsupposito subiecto, qua ratione influxus dicitur creatio. Licet enim Arist. non agnouerit creationem; (Quippè existimauit, ex nihilominus fieri, ac per consequens omne agens agere ex præsupposito subiecto; & sic nullum influxum agentis esse creationem, sed omnem esse motum, seu mutationem) tamen apponens exempla causæ efficientis clarè indicauit, nomine motus posito in definitione causæ efficientis se intelligere quemcumque influxum, quo efficiens tendit in effectum, siue hic influxus sit motus, vt est alteratio; siue sit mutatio, vt est generatio; siue nullam mutationem includeret, vt contingit in creatione. Imò siue sit influxus physicus, siue moralis, vt est consultatio, præceptio, &c. Verba Arist. sunt,

Qualis est causa is, qui consultat, & pater filij, atque omnino quod efficit, eius, quod efficitur; & quod mutat, eius, quod mutatur.

5. Demum circa *ly, aut quietis* ultimo loco huius definitionis positum aduertendum est, Pererium lib. 8. cap. 2. Fōsecam 5. Metaph. cap. 2. q. 5. sect. 1. illam omisisse; sed immeritò cum ab Aristot. tam 2. Physicorum, quàm 5. Metaph. ponatur. Aliqui verò existimant *ly motus, aut quietis* debere accipi copulatiuè; & nomine motus intelligere Arist. actionem, seu influxum, quo res producitur; nomine autem quietis terminum talis actionis, seu influxus, sicut dicebamus in definitione naturæ intelligi verba illa *mouendi, & quiescendi*, seu (vt alij verunt) *motus, & quietis*. Sed hoc sustineri nequit; quia Arist. expressè loquitur disiunctiue, & non copulatiuè, quo modo loquutus est in definitione naturæ.

6. Dicendum ergo est prædicta verba *motus, aut quietis* intelligenda esse disiunctiue, vt rigor particulæ, aut exposcit; & nomine *motus* intelligere Aristotelem rerum productionem, nomine verò *quietis* rerum conseruationem; quæ optimè nomine quietis significatur; materia enim, cum sub forma in ipsa producta conseruetur, potius dicitur sub ea quiescere, quàm ad eam moueri; quasi diceret Aristotel. efficiens

ciens est primum principium, à quo res fit primo, vel post seruat.

7 Nisi forte velis dicere, voluisse Philosophum his verbis efficientem simul, atque deficientem causam definire, & sic apposuisse ly, aut quietis ad denotandum, quòd sicut causa efficiens est principium, vnde motus, quando per actionem influit in effectum; ita etiam est principium, vnde quies, (id est, deficientis) per cessationem ab operando. Quæ expositio non longè est à mente Philosophi; subdit enim in prædicto textu 29. *Idem insuper contrariorum est causa. Quod enim præsens causa cuiuspiam est, id & absens nonnunquam causam esse contrarij dicimus, vt gubernationis absentia subuersionis nauis, cuius presentia causa erat salutis.* Ecce Aristot. deficientis causæ meminit, cuius rationem per id, vnde est primum principium quietis, declarauerat, sicut & efficientis per id, vnde est principium primam motus.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit causa efficiens?

1 **C**AUSA efficiens primò dicitur in causam per se, quæ est illa, à qua, vt talis est, procedit effectus, vt statuarius respectu statuæ; & in causam per accidens, quæ est illa, à qua licet, vt talis est, non procedat

effectus; denominatur tamen causa illius, vel propter conjunctionem accidentalem, quæ habet cum causa per se; qua ratione dicitur musicam adificare, aquam calefacere, &c. vel propter conjunctionem accidentalem, quam habet eius effectus per se cum effectu, cuius dicitur causa per accidens, qua ratione fodiesteram dicitur causa per accidens inuentionis thesauri.

2 Dimissa causa per accidens, (quia verè causa non est) causa efficiens per se subdiuiditur in physicam, & moralem. Causa physica, vt distinguitur contra moralem, dicitur omnis illa, quæ realiter influit in effectum, siue sit causa naturalis, siue artificialis, siue corporea, siue incorporea, siue necessaria, siue libera. Causa verò moralis dicitur, quæ licet realiter non influat in effectum, ita tamen quoad mores se habet ad illum, ac si influeret, cum non minùs imputetur ei ad culpam, vel ad meritum, ac si in illum haberet influxum. Tales causæ sunt cõsulentes, præcipientes, suadentes, consentientes, non impediendes, &c. Vndè sequitur, causam moralem solum esse causam per se in genere moris; nam in genere naturæ semper est causa per accidens, & idè eius tractatio non pertinet ad istos libros.

3 Rur-

3 Rursum causa per se efficiens physica subdiuiditur in principalem, & instrumentalem. Pro cuius diuisionis intelligentia pulchrè aduertit Scotus in 4. d. r. q. 1. §. 1. *Ad quæstionem ergo, literis DD dupliciter posse aliquid appellari causam principalem. Primò per exclusionem cuiuscumque causæ superioris, à qua in sua operatione dependet. Secundò, quia agit per formam propriam, & sibi intrinsecam. Si cõtra causam principalem primo modo sumptam distinguatur instrumentum, omnis causa secunda (inquit Scotus) dici potest instrumentum, & sola causa prima causa principalis, siquidem omnes causæ secundæ agunt dependenter à causa superiori, scilicet, à causa prima, & sola causa prima excludit omnem causam superiorem, à qua in sua operatione dependeat. At si instrumentum sumatur, vt condistinguitur contra causam principalem secundo modo sumptam, tunc illud dici potest instrumentum, (inquit Scotus) quod non habet in se formam actiuam in suo ordine, etiam dependendo in actione sua ab alio superiori, sed tantum agit per actualem motionem agentis principalis in se receptam, vt patet de instrumentis artificialibus, securi, serra, &c. quæ (vt docet idè Scotus distinctione citata q. 5. §. 1. *Ad primam ergo quæstionem, lit.**

F.) non sunt instrumenta per se actiua, cum in se nullam habeant propriam, & intrinsecam virtutem agendi respectu effectus artificiali, in ordine ad quem dicuntur instrumenta, sed solum sunt receptiua effectus prioris, scilicet, motus artificiali ordinati ad effectum posteriorem, scilicet, ad rem artificiosam.

4 Quod si instrumentum (subdit Scotus) ponatur actiuum ad aliquem terminum, seu effectum, (vt necessarium est poni saltem aliquod instrumentum naturale, vt sic saluari possit distinctio illa causæ efficiētis per se physicæ in principalem, & instrumentalem) non poterit distingui instrumentum à causa principali secundo modo sumpta penes hoc, quòd non habeat in se formam intrinsecam actiuam in suo ordine; (vt dictum est distingui instrumenta non actiua, scilicet, artificialia) nam eo ipso, quòd actiuum est, necessario constituenda est in ipso aliqua forma propria, & intrinseca, per quæ attingat, vel in effectum principalem, vel in aliquam dispositionem, ad quam immediate consequatur effectus principalis. Cum enim actus primus (inquit Scotus) sit principium actus secundi, id, quòd nullum actum primum habet in se actiuum in suo ordine, in nullum actum secundum potest in illo ordine; alioquin quodlibet posset poni

hh 3 in 2

instrumentum respectu cuiuslibet, & consequenter posset dici, quod Deus per matrem, ut per instrumentum, crearet Angelum. Quod nihil est.

5. Quod si a Scoto inquiras. Per quid ergo causa principalis secundo modo sumpta distinguitur ab instrumento activo, seu (quod idem est) a causa efficienti per se physica instrumentali? Respondet loco citato, §. Ad argumenta, literis SS. & d. 6. quæst. 5. §. Ad istam questionem, liter. D. (& est admirabilis doctrina) distinguitur per hoc, quod causa principalis efficiens per se physica habet in esse quieto (id est) ante actualem operationem) formam, quæ sit principium agendi in suo ordine: at instrumentum actiuum, seu (quod idem est) causa efficiens per se physica instrumentalis non habet in esse quieto formam, quæ sit principium agendi in suo ordine, sed potius illam recipit in ipsa actuali motione, seu operatione. Cuius optimum adducit exemplum loco ultimo citato, scilicet, speciei coloris illuminati in aëre receptæ; quæ respectu motionis visus ad visionem producendam dicitur causa efficiens per se instrumentalis, & color illuminatus causa principalis, eo quod respectu huius motionis color illuminatus habet formam actiuam in esse quieto, & ante actualem motionem, species autem prædicti

coloris recepta in aëre non; sed sicut in actuali motione sumi esse recipit, ita & formam actiuam propriam, per quam in suo genere mouet.

6. Præter hos duos modos enumeratos causarum principalium, & instrumentalium illis oppositos enumerat Scotus alios duos. Primus, secundum quem causa principalis dicitur, quæ attingit effectiuè terminum principalem; instrumentalis verò, quæ non attingit effectiuè terminum principalem, sed dispositionem præuiam ad effectum principalem, v. g. in generatione ignis, ignis generans dicitur causa principalis, cum terminum principalem, scilicet, substantiam ignis geniti effectiuè attingat, calor verò, quo medio agit ignis, dicitur causa instrumentalis, eo quod (ut infra demonstrabimus) non attingit effectiuè substantiam ignis geniti, quæ est terminus principalis, sed dispositionem præuiam ad terminum principalem, ut est calor receptus in passo. Secundus est, secundum quem causa principalis dicitur totum, quod operatur; causa verò instrumentalis pars prædicti totius, cui primò competit esse principium operationis, toti verò non, nisi ratione prædictæ partis, v. g. respectu visionis, qua animal percipit colorem, ipsum animal dicitur causa principalis; nam est totum, cui per se com-

pe.

petit elicere visionem; oculus verò dicitur causa instrumentalis; nam est pars prædicti animalis, cui primò competit elicere visionem, toti verò animali non primò, sed ratione oculorum. In qua acceptione (inquit Scotus) sumpsit Arist. nomen instrumentum, cum de anima partes illas, secundum quas conuenit toti operatio, organa, seu instrumenta appellauit.

7. Demum aduertit Scotus inter has quatuor acceptiones causarum principalium, & instrumentalium, solum secundam acceptionem esse propriam huius nominis, reliquas verò esse improprias, & metaphoricæ. Quod inde suadet; quia solum in secunda acceptione nomen instrumentum competit instrumentis artificialibus, quæ sunt, quibus primò impositum est hoc nomen instrumentum, & à quibus translatum est ad alia significanda, quæ ad ipsam dicunt aliquam analogiam, seu similitudinem. Sed quia instrumenta artificialia non sunt effectiua, (ut propabilius iudicat Scotus loco citato nu. 3.) ideò dicendum est, quod, si sermo sit de instrumentis effectiuis, (ut in præenti est; quippe hæc solum induunt rationem causæ efficientis instrumentalis) propriè, & verè solum dicitur causæ efficiètes per se physice instrumentales, quæ non habent formam effectiuam pro-

priam, & intrinsecam in esse quieto, id est, ante actualem operationem, sed potius illam recipiunt in ipsa actuali operatione. Et per hoc distinguuntur à causis efficiètib; per se physice principalibus, quod hæc habent formam effectiuam propriam, & intrinsecam in esse quieto, & antequam incipiat operatio, siue hæc virtus sit sufficiens, & completa, siue insufficientis, & incompleta respectu effectus, & ideò indigeat iuamine, siue adiutorio alterius concausæ; nam hoc discrimen sufficientis, & insufficientis, completæ, & incompletæ non concludit ad hoc, ut causa dicatur principalis, vel instrumentalis, (in quo non pauci, neque infimæ notæ auctores decepti sūt) sed ad hoc, ut causa principalis dicatur totalis, vel partialis, completa, vel incompleta, ut statim dicam.

8. Ex quibus infero, quod stando in vera, & propria acceptione horum nominum, *causa efficiens principalis, causa efficiens instrumentalis*, omnia illa, quæ in alijs tribus improprie, & metaphoricis acceptionibus horum nominum causas instrumentales appellabamus, potius sunt, & debent appellari causæ principales; siquidem omnia ista respectu effectus, quem efficienter producant, habent formam actiuam, seu effectiuam in esse quieto, & ante actualem operationem agē-

hh 4

tis,

tis, quod simul cū ipsis concurrat, & cui in prædictis acceptio- nibus improprijs, & metapho- ricis nomen causæ principalis attribuebamus, vt per singula discurrenti erit manifestum.

9 Præterea causâ principalis multis alijs modis diuiditur; nam primò diuiditur in totalem, seu còpletam; & in partialem, seu incompletam. Totalis, seu còpleta dicitur, quæ habet in esse quieto virtutē sufficientē in suo genere ad producendum effectū, etiam si in operando sit dependens à concursu causæ superioris, cui per se subordina- tur; talis est ignis respectu pro- ductiōis alterius ignis. Partia- lis verò, seu incòpleta dicitur; quæ etiam si in esse quieto ha- beat virtutē ad producendum effectū; tamē hæc virtus est in- sufficiens; & sic ad producendum effectum, præter concur- sum generalē causæ superio- ris, cui per se subordinatur, in- diget confortio alterius con- causæ, cui in agēdo non est per se subordinata. Tales causæ sūt pater, & mater (in sentētia, quæ docet, matrē etiam concurrere actiue) respectu generatio- nis prolis; & duo portantes la- pidē, quorū quodlibet ad illū portandū non est sufficiens; atq; intellectus, & lumē gloriæ res- pectū elicitionis visionis beatę.

10 Causarū totalium, seu cò- pletarū quedā sunt subordina- tæ, quedā nō subordinatæ. Nō subordinatæ dicuntur, quarum

vna, neque in suo esse, neq; in sua actuali operatione depēdet ab alia; vt aqua, & ignis. Sub- ordinatæ verò, quartū vna depēdet ab alia, vel in suo esse; vel in sua operatione. Quæ ad- huc sunt sub duplici differētia; nā quedam dicuntur subordi- natæ essentialiter, & per se; quæ- dā verò subordinatæ per acci- dens. Subordinatæ essentiali- ter, & per se dicuntur, quādo vna in esse causæ, id est, in agēdo, depēdet ex actione, & concur- su alterius: tales sunt causa pri- ma, & causæ secundæ; & simi- liter sol, & alia astrā ad hæc in- feriora agentia cōparata. Sub- ordinatæ verò per accidēs ap- pellantur, quando vna depēdet ab alia in suo esse, non verò in sua operatione actuali ab ac- tione, & concursu actuali al- terius. Tales sunt pater, & filius, & in vniuersam omnis causæ producta respectu causæ, quæ ipsam produxit.

11 Secundò causâ principalis diuiditur in primā, & secundā. Causa prima dicitur, quæ nul- li alteri subordinatur, neq; ab aliqua alia dependet, aut in esse, aut in operatione. Talis est solus Deus. Causa secunda ap- pellatur, quæ subordinatur cau- sæ primæ, & ab ipsa tam in suo esse, quā in sua operatione pē- det. Tales sunt omnes causæ creatæ. Tertio diuiditur in vni- uersalem, & particularē. Vni- uersalis dicitur, quæ plures, & diuersos attingit effectus, vt

sol.

sol. Particularis, quæ ad vnum tantum effectum determinata est, vt ignis ad producendum ignem. Et denique quartò di- uiditur in vniuocā, & æquiuo- cam. Vniuocam dicitur, quæ producit effectum eiusdē spe- ciei cum ipsa, v. g. homo, ig- nis, calor, &c. Æquiuoca verò, quæ producit effectum diuer- sę speciei, v. g. sol; cum gene- rat aurum, & terra; cum gene- rat mures.

12 Solet similiter causa in- strumentalis diuidi in coniun- ctam, & separatam; & sic diui- dentes coniunctam appellant, quæ in esse, vel operatione ha- bet coniunctionem cum esse, vel operatione causæ principa- lis, vt sunt manus, & ferra. Se- paratam verò, quæ neque in esse, neque in operatione ha- bet coniunctionē eum esse, vel operatione causæ principalis, vt est semen, quo mediāte ani- mal producit sibi simile, & ca- lor, quo mediāte ignis produ- cit alium ignem. Sed hæc diui- sio solum potest accommodari causis instrumentalibus sump- tis in tertia, & quarta acceptio- ne: quas acceptiones diximus esse improprijs, atque meta- phoricas: nā sumpta causa in- strumentali in secunda, & pro- pria acceptione, (scilicet, pro eo, quod non habet formam actiuā in esse quieto, sed illam accipit in actuali motione prin- cipalis agentis) dicendum est omnem causam instrumenta-

lem esse coniunctam, cum ne- cessarium sit, quod hæ causæ instrumentales semper sint cō- iunctæ, licet non in esse, saltem in operatione agentis prin- cipalis.

QVÆSTIO IV.

Qui sint effectus causæ efficientis?

1. AD quatuor rerum genera- lia reduci possunt ea, de qui- bus dubitari potest, an sint effe- ctus causæ efficientis? Primò sunt ea, quæ non recipiuntur in subiecto; vt materia prima, & substantiæ spirituales. Secū- dō sunt illa, quæ recipiuntur in aliquo subiecto; vt formę, tam substantiales, quàm acciden- tales. Tertio sunt composita ex subiecto, & forma: quæ etiā sunt in duplici differētia, non fecus, ac formæ. Quedam enim sunt composita substan- tialia; vt ignis, lignū, &c. quæ- dam verò composita acciden- talia; vt calidum, frigidum, &c. Quartò sunt vniones, quibus subiectum, & forma, ex quibus composita, tam substā- tialia, quàm accidentalia coale- scunt, adinuicem coniungū- tur, & copulantur.

2. Antiqui illi Philosophi, qui existimarunt, illud axio- ma, *Ex nihilo nihil fit*, intelli- gendum esse in ordine ad quamcumque virtutem effi- cientē, dixerunt consequēter, neque materiā primam, neque

sub-

substantias spirituales esse effectus alienius causæ efficientis, sed per se ipsas extitisse ab æterno, & reclusa quacumque ipsorum productione, eo quod respectu istorum nullum est a signabile subiectum, ex quo fiant.

3 Tamen Catholici, qui fatentur prædictum axioma intelligendum fore in ordine ad virtutem finitam, & limitatam; consequenter sustinemus, quod etsi materia prima, & substantiæ spirituales non fuerint, neque esse potuerint effectus alienius causæ efficientis virtutis finitæ, & limitatæ; vt sunt omnes causæ creatæ, & creabiles; sunt tamen effectus causæ efficientis virtutis infinitæ, & illimitatæ, qualis est Deus, qui hæc omnia in tempore creauit.

4 Ex alijs tribus generibus aliqui docent, composita, tam substantialia, quam accidentalia esse effectus causæ efficientis; formis verò non posse nomen effectus causæ efficientis propriè conuenire; & loquuntur de formis tam substantialibus, quam accidentalibus, quæ educuntur de potentia subiecti, vel materiæ, & sic sunt per eandem actionem; qua fit compositum; nam de anima rationali, quæ non educitur de potentia materiæ, & sic produci- tur per creationem, quæ est distincta actio ab ea, per quam fit compositum, planè fatentur, proptèr, & in rigore esse effe-

ctum causæ efficiētis per creationem, scilicet, Dei, appellandum.

5 Fundamenta istorum esse potest auctoritas Arist. qui 1. Physic. text. 64. ait, *omne, quod fit, semper compositum est.* Et 7. Metaph. tex. 27. excludere videtur formam à ratione effectus causæ efficientis; nam ait, *id, quod fit ab agente, non esse formam, sed compositum;* quod non solum de substantijs, sed etiam de accidentibus esse intelligendum explicat tex. 32. his verbis, *Non autem de substantia solum ostendit ratio, non fieri formam, sed de omnibus prædicamentis communis est ratio; vt puta quantitate, qualitate, & alijs.* Vnde concludit, *non fit qualitas, sed quale lignum, nec quantitas, sed quantum lignum, aut animal.*

6 E contrario verò alij auctores censent, non solum compositum, tam substantiale, quàm accidentale, sed etiam formas, tam substantiales, quàm accidentales, & ipsarum vniones cum materia, vel subiecto, ex quibus educuntur, debere inter effectus causæ efficientis numerari. Quorum fundamentum est, quia non solum prædicta composita, sed etiã prædictæ formæ, & ipsarum vniones cum materia; vel subiecto verè dependent à causa efficiēti, & sunt termini influxus, seu causalitatis illius.

7 Sed (vt in simili dixi de effectibus causæ materialis, & for-

formalis disp. præcedēti q. 2.) inter hos auctores plus de nomine, quàm de re potest esse cōtrouersia: Vt enim loco citato num. 3. annotabam dupliciter potest aliquid effectus causæ efficientis appellari. Primò, quia reuera pēdet ab illa, siue sit terminus adæquatus huius dependentiæ siue non. Secundo, quia non solum pēdet ab illa, sed etiam est terminus adæquatus, & per se primò intentus: huius dependentiæ, & ad ipsum, tanquam ad finem, cetera, quæ dependent à causa efficiēti, ordinantur, & diriguntur in tali dependentiâ. Auctores primæ sententiæ locuntur in hoc posteriori sensu, in quo vera est ipsorum sententia, nec negant auctores secundæ; atque id intēdit Arist. locis pro prima sententia adductis. Auctores verò secundæ sententiæ sumunt effectum in priori sensu, in quo negari nō potest, quod formæ, atque earum vniones cum materia, seu subiecto sint effectus causæ efficiēti, vt probat ipsorum fundamentum.

8 Solum posset dubitari, quænam ex his duabus acceptionibus nominis effectus sit prior? Sed ad hanc dubitationē loco citato num. 5. diximus, quod posterior. Quod non solum probat modus loquendi Arist. qui solum compositum appellauit effectum, sed etiam ratio, quam loco citato ad idē probandum adduximus.

QVÆSTIO V.

Quid sit causalitas causæ efficiēti?

1. **Q**uestio solum procedit de causalitate, seu forma, à qua causa efficiēns habet, quod sit, & denominetur causa in actu secundo, seu actuali exercitio: nam quid sit causalitas, seu forma, à qua causa efficiēns habet, quod sit, seu denominetur causa in actu primo, seu in potentia, patet ex dictis disp. 2. quæst. 3. num. 18. & 19.

2. **T**hōmistæ (qui loquentes de causalitate in communi sustinebant, vt ex disp. 2. q. 3. n. 4. constat, causalitatem, seu formam, à qua res habent, quod sit, & denominentur causæ in actu secundo, non esse relationem, qua causa refertur ad effectum, sed potius quid absolutum medianter causam, & effectum, fundans proximè prædictam relationem) dum in speciali de causalitate causæ efficiēti agunt, asserunt hoc absolutum esse influxum, seu actum illum, quo mediante causa efficiēns tribuit esse effectui, qui secundum ipsos in abstracto dicitur actio, in concreto verò dicitur agere. Quæ sententia videtur esse expressa Arist. 3. Physicor. tex. 19. vbi ponit hæc verba: *Necesse fortassis est esse quemdam actum alium actui, atq; passiu; illud enim actio est, hoc vero passio.*

3 Scotistæ verò (qui è contra afferbant, in vniuersum causalitatem, seu formam, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur causa in actu secundo, non esse aliquid absolutum medianis inter causam, & effectum, fundansque relationes, quibus causæ ad suos effectus referuntur, (eo quòd nomen *causa* non est nomen absolutum, sed respectiuum) sed potius consistere in huiusmodi relationibus, dum in speciali de causalitate causæ efficientis disserunt, affirmant, causalitatem, seu formam, à qua res habet, quòd sit, & denominetur causa efficiens in actu secundo, esse relationem producentis ad productum, (si causa efficiens sit producens) seu conseruantis ad conseruatum, (si causa efficiens sit conseruans) quibus referuntur ad effectum, quem producant, seu conseruant.

4 Tamen nos (qui in hac re plus æquiuocationis latere, quam cõtrouersia reperiri iudicauimus; atque ideo ad ipsam auferendam aduertebamus, dupliciter posse aliquid denominari causam, (sicuti simile, & æquale) primò fundamentaliter, & remotè; secundò formaliter, & proximè) nunc in presenti dicimus causalitatem, seu formam, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur formaliter, & proximè causa efficiens (siue productiua, siue conseruatiua) in actu secundo,

seu in actuali exercitio, efferectionem, qua res, quæ dicitur causa efficiens, refertur ad suum effectum. Et in hoc sensu (qui proprius, & legitimus est huius quaestionis) veram esse, atque iuxta mentem Scoti sententiã Scotistarum; idque conuincere ipsorum fundamentum. Causalitatem verò, seu formam, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur fundamentaliter, & remotè causa efficiens (siue productiua, siue conseruatiua) in actu secundo, siue in actuali exercitio, non esse prædictam relationem, sed potius quid medianis inter causam, & effectum; videlicet, fundamentum proximum istius relationis; & in hoc sensu habere veritatem sententiã Thomistarum.

5 Verum est, posse esse disidiu inter Thomistas, & Scotistas in explicãdo, in quonam formaliter consistat hoc absolutum medianis inter causam, & effectum, fundansque proximè prædictam relationem. Nam Thomistæ, qui (vt vidimus in Logica capite de ad aliquid, disp. 2. q. 1. sect. 2.) sustinent, fundamentum proximum, seu rationem fundandi has relationes secundi generis, non esse potentiam actiuam, sed actionem, (sumpta actione, non esse potentiam, sed pro influxu, quo medio agens influit in effectum) consequenter dicunt, causalitatem istam fundamentalem, & re-

mo-

motam consistere formaliter in isto influxu, seu actione: locunturque in suis principijs consequenter.

6 Nos verò, qui eum Scoto, & pluribus alijs auctoribus sustinimus, fundamentum proximum, seu rationem fundandi istas relationes non esse actionem materialiter sumptam, (scilicet, pro influxu, seu actu, quo medio agens influit in effectum) sed potius potentiam actiuam, quæ est in re, quæ dicitur causa; actionem verò, seu influxum solū esse conditionem, seu dispositionem præuiam per se, & essentialiter requisitam ad hoc, vt prædicta potentia actiua induat rationem fundamenti proximi; consequenter dicimus, causalitatem istam fundamentalem, & remotam esse potentiam actiuam, quæ est in re, quæ fundamentaliter, & remotè causa in actu secundo denominatur, non vt cumq; sed vt subest, seu connotat influxum, seu actionem materialiter sumptam, qua media agens influit in effectum.

7 Quæ doctrina (præter ea, quæ diximus loco citato) nunc confirmari potest ratione, qua vsus est Scotus in 4. d. 13. q. 1. §. Ad huius, lit. E. ad probandū, formam, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur actualiter agens, seu causans, non posse esse influxum, quo medio agens, seu causans influit in effectum, & in omnium sententia non subiectatur in ipso agē-

te, sed potius in passo, sed debere consistere in aliquo existente in ipso agente, seu causante, v. g. si sit, & denominetur causans formaliter, & proximè; in relatione, qua refertur agens, seu causans ad suum effectum; & si sit, & denominetur causans fundamentaliter, & remotè, in potentia actiua, non vt cūque; sed vt subest, seu connotat influxum. Quæ ratio (non obstante, quòd ab aliquibus Thomistis, qui eius vim non penetrant, paruipendatur) mihi efficacissima videtur. Ratio talis est. In quocumque est forma aliqua illud est simpliciter tale secundum formam illam: (Omnino enim irrationabile videtur, inquit Scotus, quòd forma sit in aliquo ipsum informans, & non constituat ipsum informatum secundum ipsam) sed influxus, quo medio agens, seu causans influit in effectum, in omnium sententia non est, neque informat ipsum agens, seu causans, sed potius est, atque informat passum: ergo, si in isto influxu consistit causalitas, seu forma, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur fundamentaliter, & remotè causans, seu agens, (vt Thomistæ contendunt) & non in potentia actiua, vt subest, seu connotat istum influxum (vt nos contendimus) sequitur euidenter, quòd non ipsum agens, & causans, sed potius ipsum passum habeat, quòd sit,

lit,

fit, & denominetur agens, seu causans actualiter: quo nihil absurdus. Et idem argumentum fieri potest contra illos, qui affirmant, causalitatem, seu formam, à qua aliquid habet, quod sit, & denominetur causans, seu agens formaliter, & proximè, non esse relationem, qua agens, seu causans, refertur ad effectum, sed potius esse influxum, quo medio influit in effectum.

QVÆSTIO VI.

Vtrum substantia sit per se, & immediate effectiua?

EXplicuimus hucusque non solum quid, & quotuplex sit causa efficiens, sed & qui fiat illius effectus, atque quænam illius causalitas. Explicandum superest, quibusnam rebus per se, & immediate ratio efficiendi competat? Et in hac quæstione inquiremus, an ratio efficiendi per se, & immediate conueniat substantijs? in sequenti verò idem inquiremus de accidentibus respectu effectiouis substantiæ.

2 Sensus autem quæstionis est, an virtus, seu facultas efficiendi, quæ est in substantia respectu effectuum, qui substantiæ, vt principio quod efficiendi attribuitur, & dicitur principium quo, seu ratio formalis efficiendi, sit aliquod accidens superadditum substantiæ, & ab

ea realiter distinctum? an verò sit, quid substantiale, licet non intrans conceptum quidditatum illius, identificatum tamen realiter cum ipsa? vt in vniuersum de omnibus proprijs passionibus substantiæ philosophamur Scotistæ. Qui enim primum elegerint, consequenter debent dicere, substantiam per se, & immediate non esse effectiuam alicuius effectus, sed potius omnia operari, seu efficere per accidens, medio, scilicet, aliquo accidenti ei superaddito, ab eaque realiter distincto. Qui autem postremum elegerint, saltem respectu aliquarum operationum, debent consequenter affirmare, substantiam, saltem respectu aliquarum operationum, esse per se, & immediate effectiuam, & non per accidens, & mediante aliquo accidente ei superaddito, ab eaque realiter distincto.

3 Sunt autem tria genera actionum, quæ attribuitur substantiæ, & de quibus procedere potest præiens controuersia. Primum est actionum accidentalium, quibus medijs attribuitur substantiæ producere accidentia in externo subiecto, v. g. actio, qua mediante attribuitur igni producere calorem in manu; actio, qua mediante tribuitur aquæ producere frigiditatem in corpore, &c. Secundum est actionum substantialium, quibus

me.

mediantibus attribuitur substantiæ producere substantiam, v. g. actio, qua mediante tribuitur igni producere, seu generare aliud ignem; actio, qua mediante tribuitur soli producere, seu generare aurum, &c. Tertium est emanationum accidentalium, quibus medijs attribuitur substantiæ, quod ab ipsa emanent, seu pullulent accidentia, quæ in ipsa sunt, & requiruntur, vt dispositiones connaturaliter requisite ad ipsius substantiæ conseruationem, v. g. actio, qua mediante à substantia ignis emanant calor, & siccitas; actio, qua mediante à substantia aquæ emanant frigiditas, & humiditas.

4 Thomistæ addunt quartum genus actionum, seu emanationum, nimirum, actiones, seu emanationes, quibus medijs attribuitur essentijs rerum, quod ab ipsis fluant, seu pullulent propriæ passionibus. Sed non est, cur hoc quartum genus actionum, seu emanationum, vt distinctum à tribus relictis admittamus. Nam in sententia Thomistarum, quæ ponit, proprias passionibus distinguere realiter ab essentijs, è quibus profluunt, seu emanant, esseque accidentia ipsi superaddita, actiones, seu emanationes istæ coincidunt cum actionibus, seu emanationibus tertij generis à nobis relictis. In sententia verò Scotistarum, qui sustinemus proprias passionibus non di-

stinguere realiter à suis essentijs, reduci que ad prædicamentum essentialium, quarum sunt propriæ passionibus, dicendum est, proprias passionibus dici emanare, seu fluere ab essentijs, non quia fiant per aliam distinctam actionem ad ea, qua producuntur ipsarum essentialium; (implicat enim, quod ea, quæ sunt idem realiter, fiant diuersis realiter actionibus,) sed quia, cum propriæ passionibus sint natura posterioribus ipsis essentijs, quarum sunt passionibus, actio, qua producantur, tam essentialia, quam propriæ illius passionibus. & sicut vna realiter, tamen prius natura intelligitur terminari ad essentialiam rei, quam terminetur ad ipsius passionibus.

5 His prælibatis, si de actionibus prioris generis sermo sit, nulla est dissensio; constat enim inter omnes auctores, virtutem, seu facultatem, quæ est in substantijs ad eliciendas huiusmodi actiones, non esse aliquid substantiale identificatum cum ipsa substantia, cui tribuuntur actiones istæ; sed esse aliquid accidens superadditum substantiæ, atque ab ipsa realiter distinctum; v. g. in calefactione manus, quæ fit ab igne, virtutem, seu facultatem productiuam, seu elicitiuam prædictæ calefactionis non esse aliquid substantiale identificatum cum substantia ignis, sed esse calorem, qui est accidens superadditum substantiæ ignis, & ab ea realiter

ter

ter distinctum. Vnde consequenter dicunt, huiusmodi operationes per se, & immediate nullo modo provenire à substantijs, sed potius ab aliquo accidenti ipsis superaddito, ab eis que realiter distincto; attribui autem substantijs huiusmodi operationes omnino per accidens, vel quia sunt subiecta, in quibus inhaerent accidentia, quae sunt principium per se, & immediatum harum operationum; vel quia huiusmodi accidentia ab ipsis substantijs, quibus per accidens operationes istae attribuantur, emanarunt, seu fluxerunt; non secus, ac generatio filij attribuitur per accidens auctori patrem producenti, seu, qui patrem produxit.

6. Solum potest esse dubitatio, an actiones istae tribuendae sint his accidentibus, ut causis principalibus, an verò ut causis instrumentalibus? Foseca 5. Metaph. cap. 2. q. 6. sect. 6. Conimbricenses 2. Physic. capit. 7. q. 18. art. 3. assertione 5. contendunt, respectu harum operationum accidentia esse causas instrumentales. Quorum fundamentum est, quia in Thomistarum sententia ad hoc, ut aliquod dicatur instrumentum alicuius agentis principalis, non est necessarium, quod effectus attingatur immediate, & per se à causa principali, sed fat est, quod id, quod dicitur instrumentum, effectum attingat, ut virtus agentis principalis; ut pa-

ter in semine deciso ab animali, quod in sententia Thomistarum non est causa principalis, sed instrumentalis generationis animalis (non obstante, quod animal, à quo deciditur, per se, & immediate non attingat generationem animalis) ex eo precise, quod generationem animalis, quam semen immediate attingit, attingit, ut est virtus animalis, à quo decisum est, & cui, ut causae principali, attribuitur generatio. Sed accidentia attingunt suos effectus, ut sunt virtutes substantiae: ergo etiam si substantiae per se, & immediate non attingant effectus praedictorum accidentium, praedicta accidentia dicentur respectu productionis suorum effectuum causae instrumentales, substantiae verò, quarum sunt virtutes, causae principales.

7. Sed vera est sententia, quam tenet non solum Scotus in 4. d. 6. q. 5. lit. D. sed etiam D. Th. 3. p. q. 62. art. 1. estque communis, et recepta inter discipulos utriusque scholae: sustinet ergo haec sententia, accidentia respectu praedictarum actionum, non solum esse causas principales, sed etiam esse causas totales, & adaequatas. Et ratio efficax est, quia (ut ex dictis q. 3. huius disputationis constat) ad rationem causae principalis, ut distinguitur contra instrumentalem proprie sumptam, solum requiritur, quod in esse quieto habeat formam, seu virtutem ad agen-

agendum; & ad rationem causae totalis, & adaequatae, quod in suo genere virtus eius sit sufficiens ad producendum effectum, neque ad hoc indigeat consortio alterius causae, cui per se non subordinatur. Sed accidentia respectu istarum actionum, non solum habent formam seu virtutem ad agendum in esse quieto, (ut ex se perspicuum est) sed etiam haec virtus est sufficiens ad producendum effectum istarum actionum, neque ad hoc indigent consortio alterius causae, cui per se non subordinantur. Quod inde colligi potest, (inquit Scotus) quia, si per se essent separata ab omni subiecto, eosdem producerent effectus, ac modo producant, dum sunt in subiecto: ergo dicendum est, accidentia, respectu istarum actionum non solum esse causas principales, sed etiam esse causas in suo genere totales, & adaequatas.

8. Fundamentum autem Fosecae, & Conimbricensium, ad hoc contra Thomistas (est quorum principiis desumptum est) nihil concludit: nam (ut ipsi asserunt) ad rationem formae instrumentariè effectivae non sufficit operari, ut virtus alterius, ut cumque. Sed ut virtus alterius in ordine ad effectus excedentem virtutem, ut contingit in semine deciso ab animali respectu generationis alterius animalis, & in accidenti respectu productionis substantiae,

secus verò respectu productionis accidentium similium ipsis accidentibus producentibus. Quod si contra Thomistas praedictum fundamentum Fosecae, & Conimbricensium nihil concludit, quid concludet contra Scotistas? qui plura ex his, quae in praedicto fundamento, ut certa supponuntur, falsa iudicamus, ut ex quaestione sequenti constabit.

9. Si verò de actionibus secundi generis sermo sit, dissensio est inter auctores. Prima sententia affirmat, virtutem, seu facultatem, quae est in substantijs ad eliciendas actiones substantiales, non esse aliquid substantiale identificatum cum ipsis, sed esse aliquod accidens ipsis superadditum, ab eisque realiter distinctum; v. g. in generatione ignis virtutem, & facultatem generandi ignem non esse in igne, cui tribuitur talis generatio, aliquod substantiale identificatum realiter cum ipsa substantia ignis, sed aliquod accidens substantiae ignis superadditum, ab eaque realiter distinctum, nimirum, calorem, & siccitatem. Vnde consequenter dicit, huiusmodi operationes per se, & immediate nullatenus provenire à substantijs, sed potius ab accidentibus ipsis superadditis, ab ipsisque realiter distinctis. Ita communiter Thomistae, Caiet. Bañez, & Zúmel 1. p. q. 54. artic. 3. Ferrara 4. contra
ii gen.

gentes cap. 66. Sotus in 4. d. 10. q. 2. art. 3. Maius hęc cap. 3. sect. 3. q. 4. & quàm plures alij, quos referunt, & secuntur Patres Carmelitani: disp. 10. q. 4. § 2. qui etiam pro ipsa citant D. Th. 1. p. q. § 4. artic. 3. & q. 77. art. 1. & 3. p. q. 77. art. 3. & in 4. d. 12. q. 1. Et ex alijs Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 6. sect. 3. Pererius libr. 8. cap. 11. Valencia 3. p. disp. 6. q. 5. puncto 2. Vazquez 1. p. disp. 189. cap. 7. & 10. & citari potest Rubius in 2. editione tractat. 4. q. 6.

10. Suaderi solet hęc sententia. Primò auctoritate Aristot. qui libro de sensu, & sensibili capite de sapore ait, *ignem non agere, ut ignis est, sed ut calidus est;* & libro de ortu, & interitu simile non agere in simile, sed contrarium in contrarium; nam, si agens debet esse contrarium passio, & aliàs contrarietas, non inter substantias, sed inter accidentia reperiat, videtur inferri actiuitatem solum in accidentibus, & nullo modo in substantijs reperiri. Quibus accedit dictum Cōmentatoris 7. Metaph. com. 2. 2. & 31. & 12. commento 18. *idem est agens disponens materiā, & inducens formā;* nam, cum substantiæ non disponant materiā per se, & immediatè, sed medijs accidentibus, videtur inferri ex dicto Cōmentatoris, neque etiam per se, & immediatè inducere, seu generare formā substantialem, sed

hoc præstare medijs accidentibus

11. Secundò suaderi solet rationibus. Prima, & qua vtuntur Patres Carmelitani, est; in creaturis esse, & operari realiter distinguuntur: ergo etiā in creaturis potentia, quæ ordinatur ad esse, debet distingui realiter à potētia, quæ ordinatur ad operari. Sed essentia substantiæ est potentia, quæ ordinatur ad esse substantiale; & virtus, seu facultas operandi est potentia, quæ ordinatur ad operari: ergo essentia substantiæ debet esse realiter distincta à virtute, seu potentia operatiua; ac per consequens ipsa substantia nō per se, & immediatè operabitur, sed mediò aliquo accidenti ei superaddito, & ab ea realiter distincto.

12. Secunda (& quæ refertur ab Hurt. disp. 9. physica lect. 3. §. 14.) est huiusmodi. Prius est esse, quàm operari: ergo prius est esse, quàm operari posse: ergo virtus, seu potentia operatiua distinguitur realiter ab esse substantiali; ac per consequens substantia per se, & immediatè nō erit operatiua, seu effectiua, sed ratione alicuius accidentis ei superadditi, & ab ea realiter distincti.

13. Tertia (& quæ refertur à Cabero tract. 2. disp. 5. dub. 4. n. 3.) desumpta est ex inconuenienti, quod sequeretur ex eo, quòd substantia esset per se, & immediatè operatiua substantiæ, nimirū, quòd frustra essent

in

in ipsa tot accidentia de se operatiua, seu effectiua; siquidem productio substantiæ, ad quem præstandā data sunt substantiæ huiusmodi accidentia, sufficiens, & adæquatè proueniret à substantia.

14. Secunda sententia vera, & à nobis amplectenda tenet oppositū, scilicet, virtutem, seu facultatē, quæ est in substantijs ad eliciendas actiones substantiales, non esse aliquod accidens eis superadditū, & ab eis realiter distinctū, sed potius quid substantiale, licet non intrans in conceptū quidditatiū ipsarū, identificatū tamen realiter cū ipsis; vt in vniuersum Scotistæ de omnibus proprijs passionibus substantiæ sustinemus; v. g. in actione substantiali, qua ignis generat ignē in externā materiā, virtutē, seu facultatē generandi ignē non esse calorē, & siccitatē, quæ sunt accidentia substantiæ ignis superaddita, ab ipsaque realiter distincta; sed potius quid substantiale, licet non intrans in conceptum quidditatiū ipsius substantiæ ignis, identificatū tamen realiter cū illo. Vnde consequenter dicimus, huiusmodi actiones substantiales per se, & immediatè à substantijs, vt à causis principalibus prouenire. Hęc est sententia Scoti in 4. d. 12. q. 3. & 9. Metaph. q. 7. quem, præter discipulos, secuntur Durandus in 2. d. 1. q. 4. & in 4. d. 12. q. 2. Ochamus, & cæteri No-

minales in 2. d. 23. Iandunus 1. de anima q. 8. Valles controu. 3. ad Tyrones, Suarez in Metaph. disput. 18. sect. 2. Hurtado disp. 9. physica sect. 3. Cabe rus tract. 2. disp. 5. dub. 4. num. 10. Martinus q. 5. *discutiendo primo,* & alij plures.

15. Probatum primò testimonij Arist. qui formæ substantiali efficiētā diuersis verbis tribuit. Nam cap. 7. huius libri text. 71. docet, causam formalem, finalem, & efficiētē nō numquam in eandem rem incidere, vt in generatione equi. Et 2. de ortu, & interitu cap. 9. text. 52. asserit materiæ esse pati, formæ verò agere. Et ibidē text. 53. eos reprehendit, qui omnem actionem ē solis qualitatibus educebant. Et 2. de anima cap. 4. tex. 36. & 37. statuit, animam esse effectricem causam, vnde principij mortis præcipuum emergit.

16. Secundò probatur rationibus. Prima; in materia prima, virtus, seu facultas recipiendi formas substantiales non est aliquod accidens superadditum, & ab ea realiter distinctū, sed potius quid substantiale, licet non intrans in conceptum quidditatiū illius, identificatum tamen realiter cum illa (vt ex libr. 1. disp. 3. q. 3. constat.) Item virtus, seu facultas, quæ est in formis accidentalibus ad producendas alias similes formas accidentales, non est aliquod accidens ipsis su-

ii 2

per-

peradditum, ab ipsiſque reali-
ter diſtinctum, ſed eſt aliquid,
licet non intras in conceptum
formalem ipſarum, identifica-
tum tamē realiter cum illis, &
reductiue ſpectans ad idē præ-
dicamentum, in quo prædictæ
formæ conſtituuntur: ergo pa-
riformiter dicendum eſt, in
ſubſtantijs completis non ſo-
lū virtutem, ſeu facultatē re-
cipiendi formas accidentales,
quæ in ipſis immediatē ſubie-
ctantur, ſed etiā eliciēdi actio-
nes ſubſtantiales ſibi propor-
tionatas, & reſpectu quarum
ſunt cauſæ principales, non eſ-
ſe aliquod accidens ipſis ſu-
peradditum, ab eiſque realiter
diſtinctum, ſed quid ſubſtantia-
le, licet non intrans in ipſarum
quidditatum conceptū, idē-
tificatum tamen realiter cum
ipſis.

16 Secunda. Si ſubſtantijs nō
poſſet competere eſſe princi-
pium per ſe, & immediatē effe-
ctiuū, hoc proueniret, vel prop-
ter ipſarum perfectionem, vel
propter imperfectionem. Sed
non poſſet euenire propter ip-
ſarum perfectionem: (Cum di-
uina ſubſtantia, ſcilicet, Deus,
infinite perfectior ſit, & tamen
illi competit eſſe principium
per ſe, & immediatē effectiuum
rerum ad extra) neque etiā
propter ipſarum imperfectionem;
cum formæ accidentales
longē imperfectiores ſint qua-
cumque ſubſtantia, & tamē il-
lis competit eſſe principium ef-

fectiuum ſimiliū formarū acci-
dentalium: ergo ſine fundamē-
to aſtruitur, ſubſtantijs non poſſe
competere eſſe principium per
ſe, & immediatē effectiuum.

17 Tertia. Principium eſſen-
di, & principium operandi, eſſi
formaliter diſtinguantur, ſunt
tamen idem realiter: (Alias fal-
ſum eſſet illud commune pro-
loquium, *Qui dat eſſe, dat & ope-
rari*; & iterum, *Vnumquodque
eſt propter ſuam operationem*) ſed
in ſubſtantijs principium eſſen-
di eſt forma ſubſtantialis: ergo
eadem realiter forma, licet ſub
diuerſa ratione formali, erit
principium operandi opera-
tionis ipſis ſubſtantijs propor-
tionatas, & non aliquod acci-
dens illis ſuperadditum, ab eiſ-
que realiter diſtinctum.

18 Quarta. Nullus negare
poſſet, actionum ſubſtantia-
lium, vt ſunt generatio ignis,
generatio aquæ, &c. dari cau-
ſas per ſe principales. Sed hu-
juſmodi cauſæ non poſſunt eſ-
ſe accidentia: (Quia acciden-
tia, vt quaſt. 7. videbimus, vel
nullo modo ſunt principium
effectiuum iſtarum operatio-
num, vt docet Scotus, vel ad-
ſummum ſunt principium ef-
fectiuum instrumentale, vt do-
cent Thomiſtæ:) ergo neces-
ſario fatendum eſt, cauſas per
ſe principales iſtarum opera-
tionum, ſeu actionum eſſe ſub-
ſtantias.

19 Nec fit ſatis, ſi respondeas,
ſubſtantias quidem eſſe cauſas
per

per ſe principales iſtarū opera-
tionū, ſed principium quo, ſeu ra-
tionē formale agendi in ipſis
non eſſe formā ſubſtantialem,
ſed formā accidentalem ipſis
ſuperadditā, ab eiſque realiter
diſtinctā. Nam (vt optime ob-
ijcit Scotus loco Metaph. cita-
to) in dictis inuoluunt impli-
cationē, qui dicunt, ſubſtantiā
eſſe cauſam per ſe iſtarū ope-
rationum, & aliās contēdunt,
principium quo, ſeu rationē
formalem agendi in ipſis ſub-
ſtantijs eſſe aliquod accidens
eiſ ſuperadditū, ab ipſiſque rea-
liter diſtinctum. Nam, ſi prin-
cipium quo, ſeu ratio formalis
agendi in ſubſtantijs non eſt
forma ſubſtantialis earum, ſed
accidens ſuperadditum, agere
non conueniet ſubſtantijs per
ſe, ſed per accidens. Quis hoc
non videt? Ergo aduertarij, aut
nobiscum fateantur, ipſa ſunt
ſubſtantias eſſe, & cauſas per ſe
principales iſtarum actionum
ſubſtantialium; aut è medio
tollent cauſas per ſe principa-
les operationum ſubſtantialium.
Quod ſanè absurdum eſt.

20 His adde ex oppoſita ſen-
tentia neceſſario ſequi, gene-
rationem ſubſtantialem non
eſſe actionem realiter diſtin-
ctam ab alteratione prævia. Se-
quela patet; nam id ipſum ha-
bet calefactio v.g. in actu ſecū-
do, quod calor habet in actu
primo. Sed in iſtorum ſentētia
calor in actu primo non ſolū
eſt virtus, ſeu facultas ad produ-

cendū calorem; qui eſt termi-
nus formalis alterationis, ſed
etiā eſt virtus, ſeu facultas ad
producendum formam ſub-
ſtantialem ignis, quæ eſt termi-
nus formalis generationis ſub-
ſtantalium: ergo calefactio in iſto-
rum ſentētia non ſolū erit
in actu ſecundo productio cal-
oris, & conſequenter altera-
tio, ſed etiā productio forme
ignis, & conſequenter genera-
tio ſubſtantialis. Quæ ſequela,
eſſi admittatur ab aduertarijs,
tamen pronunciamus quā falſa,
atque aliena à peripatetica
doctrina ſit, quiſque conſide-
ret; eius namque refutatio
non eſt huius loci, ſed ſpectat
ad libros de generatione, &
corruptione.

21 Sed argumentis in con-
trarium adductis occurramus.
Ad auctoritatem Ariſtot. in li-
bro de ſenſu, & ſenſibili op-
timè reſpondet Scotus in lo-
co Metaph. citato, Ariſtot. non
loqui de quacumque actione,
ſed de actione rei ſenſibilis in
ſenſum; hoc enim genere ac-
tionis ignis non agit, vt ig-
nis; (nam ſubſtantia non eſt
res per ſe ſenſibilis) ſed potius
agit vt calidus, qua ratione ig-
nis ſenſibilis eſt.

22 Ad locum de ortu, & in-
teritu dicimus, idē Ariſt. affir-
maſſe actionem corruptiuam,
quæ eſt, de qua ibi loquitur, ſo-
lū fieri poſſe inter cōtraria, quia
in qualibet generatione ſubſtā-
tiali neceſſario debet præcede-

re, vt prævia dispositio, alteratio, quæ non est similis in simile, sed contrarij in contrarium, sed ista habita sequitur generatio, quæ non est inter contraria formaliter, licet possit dici inter contraria radicaliter; & ad hanc per se, & immediatè concurrat substantia.

23. Ad dictum Commentatoris respondetur, idè eidè agèti attribui disponere materiã, & inducere formã, quia eadè numero substantia utrũq; præstat, licet per diuersas facultates, seu virtutes in ipsa residentes: primum per virtutem, & facultatem accidentalem, ipsi superadditam, & ab ea realiter distinctam: secundum autè per virtutem, & facultatem substantialem, quæ, etsi non intret in conceptum quidditatum illius, est tamen cum ea realiter identificata, vt in vniuersum de omnibus proprijs passionibus nos cū Scoto sustinemus.

24. Ad primam rationem dicimus, ex eo, quod in creaturis esse, & operari realiter distinguantur, etsi optimè inferatur, principium operandi in ipsis creaturis formaliter distingui; tamen inferre non esse idem realiter, (vt aduersarij contendunt) non solum esse falsum, & contra Philosophum, qui (vt num. 15. vidimus) cap. 7. huius libri text. 71. docet, causam formalem, finalem, & efficientem in eandem rem aliquando inci-

dere; sed etiam contra ipsos aduersarios, qui in formis accidentalibus principium formale essendi accidentaliter, non distinguunt realiter à principio operandi similes formas accidentales; & tamen esse accidentale realiter distinguitur ab ipsa operatione prædictarum formarum accidentalium.

25. Ad secundam (quæ si aliquam vim haberet, militaret etiam contra aduersarios, qui in formis accidentalibus non distinguunt realiter potentiam operatiuam ab esse prædictarum formarum, & tamen in eis etiam est verum, quod prius sit esse earum, quàm operari, seu operari posse) respondetur, nõ solum pro nobis, sed etiã pro ipsis, distinguendo antecedens. Prius est esse, quàm operari, seu operari posse, si intelligatur de prioritate naturæ, verum est; at, si intelligatur de prioritate durationis, est falsum; vt patet in corpore luminoso, quod non solum in eodè instanti durationis, in quo est, potest illuminare, sed etiam de facto illuminat. Ex prioritate autem naturæ inter aliqua (sumpta prioritate naturæ, non pro dependèntia reali vnius ab alio, qua ratione causa dicitur prior natura suo effectui, sed pro eo, à quo non valet subsistendi consequentia, qua ratione binarius dicitur prior natura ternario) ineptè satis inferitur distinctio realis inter illa; nam prædicata

ta quidditatiua superiora in hoc sensu sunt prius natura, quàm prædicata quidditatiua inferiora; & tamen prædicata superiora non distinguuntur realiter ab inferioribus.

26. Ad tertiam respondetur, militare quidem contra Suarez, Caberũ, Martiniũ, & alios, qui etsi nobiscum fateantur, substantiam per se, & immediatè esse productiuam substantiæ, non tamen esse vnicum principium huius productionis, sed ad hanc etiam concurrere accidentia, licet nõ vt causas principales, saltem vt instrumentales: non tamen militare contra nos, qui cum Scoto sustinemus (vt ex q. 7. constabit) substantiam non solum esse principium per se, & immediatè productiuum substantiæ, sed etiam esse vnicum principium, neq; ad productionem substantiæ concurrere accidentia, sed solum dispositione, scilicet; producendo dispositiones, quæ ad productionem substantiæ debent in materia præcedere. In hac ergo nostra sententiã nullam vim habet prædicta ratio. Respondetur enim, nõ esse frustra in substantia tot accidentia operatiua, sed potius maximè necessaria; quia licet non sint data à natura, vt attingant effectiue productionem substantiæ; (Quippè ad hoc sufficientissimum principium est ipsa forma substantialis) data tamen sunt ad producenda similia accidentia,

quæ sunt dispositiones præviæ ad productionem substantiæ, respectu quarum dispositionum productionis vnicum sunt principium ipsa accidentia; neque indigent aliquo concursu, quo per se, & immediatè concurrat simul cū ipsis forma substantialis, vt ex n. 7. satis est manifestum.

27. Si demum de actionibus, seu emanationibus tertij generis sermo sit, Thomistæ, qui dubitatione præcedenti asserebãt, substantiam non esse principium per se, & immediatè effectiuum, seu elicitiuum actionum substantialium, quibus substantiæ producuntur, idem affirmant de actionibus, seu emanationibus accidentalibus, quibus medijs accidentia, quæ sunt in substantijs, vt dispositiones naturaliter requisitæ ad ipsarum conseruationem, dicuntur ab ipsis substantijs fluere, seu emanare.

28. Probant. Primò, ex illo communi axiomate desumpto ex Aristot. 9. Metaph. *Actus, & potentia sunt in eodem genere*: quod verificari non posset, si substantia esset potentia productiua actus, seu formæ accidentalis. Secundò, quia potentia debet proportionari actui, cuius est potentia, & per se ad illum ordinari. Substantia autem non proportionatur accidenti; & cum sit perfectior ipso, non potest ad ipsum ordinari. Tertio, potentia specificatur ab actu. Sed ab accidentibus non potest specificari substan-

stantia : ergo neque inducere rationem potentiae in ordine ad actum accidentalem.

29 Sed opposita sententia (scilicet, substantiam esse principium per se, & immediatè effectiuum, seu elicitiuum actionum, seu emanationum accidentalium, quibus medijs accidentia, quae sunt in substantijs, vt dispositiones naturaliter requisitae ad ipsarum conseruationem, dicuntur ab ipsis substantijs fluere, seu emanare) longè probabiliore est, quam expressè tenet Scotus in 2. d. 16. q. vnica, §. *Rationes istae*, lit. A. & recipitur non solum à Scotistis omnibus, sed etiam à Nominalibus, atq; alijs auctoribus n. 14. citatis: imò videtur D. Th. 1. p. q. 77. art. 6. vbi loquens de modo, quo proprietates emanant ab essentia (quae proprietates in sententia D. Th. non sunt idè realiter cum essentia, sed potius accidentia ipsi superaddita, ab eaque realiter distincta) ponit haec verba, *Vnde actualitas formae accidentalis causatur ab actualitate subiecti ita, quod subiectum, in quantum est in potentia, est susceptiuum formae accidentalis; in quantum autem est in actu, est eius productiuum: & hoc dico de proprio, & per se accidentis; nam respectu accidentis extranei subiectum est susceptiuum tantum; productiuum verò talis accidentis est agens extrinsecum. Et infra, Vnde manifestum est, quod omnes potentiae animae, siue subiectum earum, scilicet anima sola, siue totum co-*

positum, fluunt ab essentia animae, sicut à principio, quia iam dictum est, quod accidens causatur à subiecto secundum quod est actu. & recipitur in eo, in quantum est potentia. Quod clarius?

30 Probat Scotus istam sententiam auctoritate Aristotelis, qui 7. Metaph. text. 32. affirmat, substantiam non produci in esse, nisi à substantia praexistente in actu; sed quantum, vel quale produci in esse, nullo quanto, vel quali praesupposito in actu, sed in potentia tantum: ergo secundum Arist. substantia ponitur esse immediatè effectiua accidentis. Verba Arist. sunt, *Ceterum ex his proprium substantiae accipere est; quod necesse est praexistere semper aliam substantiam actu existentem, quae facit, vt puta, animal; si animal sit. Quale verò, aut quantum, non est necesse, nisi potentia solum.*

31 Probatur deinde hoc discursu. Haec accidentia sunt aliquid reale de nouo existens in rerum natura: ergo necessariò assignanda est aliqua vera actio, per quam ex non habentibus esse reale existentiae in rerum natura fiant entia realia existètia in rerum natura, sumpta actione pro re acta in fieri, & in statu imperfecto viae, & tendentiae ad statum perfectiorè, includendo respectum, quem exprimit hoc, quod est ab alio. Et similiter necessariò assignandum est aliquod principium per se, & immediatè ef-

fectiuum, seu elicitiuum huiusmodi actionis, cui per se, & immediatè tribuatur esse causam effectiuam istorum accidentium. Sed haec actio nihil aliud esse potest, quam emanatio, seu fluxus, quo mediante dicuntur haec accidentia fluere, seu emanare à substantijs, in quibus sunt, seu recipiuntur: & principium per se, & immediatè effectiuum, seu elicitiuum istius actionis nihil aliud potest assignari, quam ipsae substantiae, à quibus profluunt, seu emanant huiusmodi accidentia; (si sermo sit de principio quod) & si sermo sit de principio quo, seu ratione formali agendi, virtus, seu facultas efficiendi huiusmodi accidentia, quae non est aliquod accidens superadditum ipsis substantijs, & ab eis realiter distinctum, sed quid substantiale, licet non intrans in conceptum quidditatum ipsarum, identificatum tamen realiter cum ipsis, vt supra philosophatum est de virtute, seu facultate producendi substantiam; & in vniuersum philosophamur Scotistae de omnibus proprijs passionibus substantiae: ergo negari non potest, substantiam esse principium per se, & immediatè effectiuum, seu elicitiuum actionum accidentalium, quibus medijs sunt haec accidentia; & consequenter esse causam effectiuam per se, & immediatam istorum accidentium.

32 Minor huius discursus, in

quo sita est tota difficultas, probatur; primò, nam in primis, cum accidentia ista sint entia realiter distincta à substantijs, ex quibus profluunt, seu emanant fluxus iste, seu emanatio istorum accidentium à substantijs nil aliud esse potest, quam ipsamet accidentia in fieri, id est, in statu imperfecto viae, & tendentiae ad statum perfectum, qualis est, quem habent in facto esse, includendo respectum, quem exprimit hoc, quod est ab alio, scilicet, à substantijs. Hoc igitur in praesenti actionem veram, & propriam, quae media vnumquodque procedit à suo principio efficienti, appellamus. Est ergo vera illa prior pars minoris, scilicet, veram, & propriam actionem per quam huiusmodi accidentia ex non habentibus esse reale existentiae in rerum natura sunt, seu transeunt ad esse reale existentiae in rerum natura, nil aliud esse, quam emanationem, seu fluxum, quo mediante dicuntur haec accidentia fluere, seu emanare à substantijs, in quibus sunt.

33 Deinde principium per se, & immediatè effectiuum, seu elicitiuum huiusmodi actionis nil aliud esse, quam ipsamet substantias, è quibus per se, & immediatè haec accidentia profluunt, (quod erat posterior pars minoris discursus supra facti) ostendit ipse modus loquendi ab omnibus receptus:

omnes enim fatemur, huiusmodi accidentia fluere per se, & immediatè à substantijs, in quibus sunt. Sed actio, qua media huiusmodi accidentia trāsseunt ex non esse reali existentie in rerum natura ad esse reale existentie in rerum natura, nihil aliud est, quàm fluxus, seu emanatio, qua mediante dicuntur hæc accidentia fluere, seu emanare à substantijs, in quibus sunt: (vt probatum est) ergo ipse communis modus loquendi clarè prædicat, principium per se, & immediatè effectuum, seu elicitiuum harum operationum esse ipsas substantias, è quibus per se, & immediatè profluunt huiusmodi accidentia.

34 Non melaret, Thomistas contendere, actionem, per quã huiusmodi accidentia transeunt ex non esse reali existentie ad esse reale existentie, non esse prædictum fluxum, seu emanationem, sed actionem, qua media generans substantias; tam ipsas substantias, quàm prædicta accidentia attingit; ac per consequens rationem principij per se, & immediatè elicitiui actionum, quibus accidentia ista ex non esse reali existentie ad esse reale existentie trāsseunt, & consequenter effectiui, seu productiui istorum accidentium, non esse attribuendam ipsis substantijs, sed potius generanti ipsas substantias, quod per eandem numero actionem

tam ipsas substantias, quàm ipsarum connaturalia accidentia attingit. Neque per hoc (inquiunt) aufertur, quòd prædicta accidentia dicantur verè, & proprie, à prædictis substantijs fluere, seu emanare: quippè ad hoc non est necessarium, quòd accidentia fluant à substantijs media aliqua actione, sed sat est, quòd actio, qua generans producit tam substantias, quàm accidentia, prius natura terminetur ad substantias, quàm ad accidentia. Quod in præsentia contingit.

35 Verùm si Thomistæ isti ponerent, accidentia identificari realiter cum substantijs, quibus sunt propria, & connaturalia, non possemus ipsorum doctrinæ refragari: imò potius supra numer. 4. dicebamus, in sententia Scotistarum, quæ ponit, proprias passiones non distingui realiter ab essentia, fore philosophandum, sicut philosophantur hi Thomistæ, scilicet passiones produci eadem numero actione, qua producuntur earum essentia, & solum dici fluere, seu emanare ab essentia, quia actio, qua tam proprias passiones, quàm essentia producuntur, prius natura terminatur ad essentiam, quàm terminetur ad passiones. Tamen cum Thomistæ sustineant, (quod omnibus manifestum est) huiusmodi accidentia distingui realiter à substantijs, quibus connaturalia sunt, volun-

luntariè sanè assumunt, accidentia ista fieri, seu produci eadem numero actione, qua à generante producuntur eorū substantiæ. Quod non leuiter demonstrari potest.

36 Primò, quia sicut implicat, quòd ea, quæ sunt idem realiter fiant diuersis realiter actionibus; ita implicat, quòd ea, quæ sunt distincta realiter, eadem realiter actione producantur. Et vtriusque implicationis ratio à priori est, quia actio in præsentia nil aliud est, quàm ipsa entitas effectus in fieri, id est, in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad statum perfectiorem considerata, includens respectum, quem exprimit hoc, quod est *ab alio*.

37 Secundò, quia, si eadem realiter actione, qua à generante producitur substantia, produceretur accidens connaturale substantiæ, sequeretur, adhuc potentia absoluta nõ posse produci substantiam sine accidente ipsi substantiæ connaturali. Quod omnium calculo falsum est. Sequela patet, nam inter actionem, & eius terminum tanta est cõnexio, vt implicet, esse actionem, & eius terminum non existere: ergo, si actio productiua substantiæ est eadem actio productiua accidentis connaturalis substantiæ, implicabit sanè esse productionem substantiæ, & non esse accidens, quia est etiã terminus huius productionis.

38 Respondent Thomistæ negando sequelã. Et ad probationem dicunt, duplicem terminum nos posse in aliqua actione considerare. Vnum per se, & primarium; & alterum per accidens, & secundarium. Quæ distinctione supposita, respondent, actionem esse non posse sine termino per se, & primario; benè tamen sine termino per accidens, & secundario. Et hoc contigeret (inquiunt) in casu, quòd potentia Dei absoluta produceretur substantia sine accidente ipsi connaturali; existeret quidem actio sine termino per accidens, & secundario, non verò sine termino per se, & primario; nam actionis productiua substantiæ, & accidentis prædictæ substantiæ connaturalis terminus per se, & primarius est substantia, secundarius verò, & per accidens est accidens connaturale substantiæ. Quod exemplificant in causalitate formali, v. g. in calefactione formali; quæ fit calore recepto in subiecto frigido, cuius duplex datur effectus formalis; vnus primarius, scilicet, subiectum esse calidum; & alter secundarius, scilicet, expulsio frigiditatis præexistentis in subiecto, seu (quod idem est) subiectum non esse frigidum; vbi licet non possit esse causalitas formalis sine primario effectu, tamen de potentia Dei absoluta benè potest esse sine secundario.

39 Sed contra istam solutionem sic possumus insurgere. Per vos accidens connaturale substantiæ et si sit terminus actionis, per quam producit substantia à generante; non tamen est terminus per se, & primarius istius actionis, sed per accidens, & secundarius, & ideo, adhuc stante ista actione, potest à Deo impediri: ergo necessariò assignanda erit alia actio, et si naturaliter connexa cum actione, qua generas producit substantiam, distincta tamen realiter ab illa, respectu cuius accidens sit terminus per se, & primarius, per cuius negationem cõcursum, Deus possit impedire accidentis resultantiam; & aliud principium per se, & immediatè effectivum istius actionis, distinctum à generante; nam iuxta commune proloquutum, cuius effectus per accidens assignanda est aliqua causa per se. Hæc autem actio nõ potest esse alia, quàm fluxus, seu emanatio accidentis à substantia; & hoc principium nullum aliud potest excogitari, quàm ipsa substantia, à qua prædictum accidens profluit, seu emanat.

40 Quod confirmari, & declarari potest exemplo calefactionis formalis, quo utuntur aduersarij; vbi, quia expulsio frigiditatis præexistens in subiecto, quod de nouo fit calidum, seu (quod idem est) subiectum non esse frigidum, non est ef-

fectus formalis per se, & primarius caloris, sed potius per accidens, & secundarius, omnes assignant, non solum aliam causam formalem distinctam à calore, à qua per se, & immediatè proueniat talis effectus, nimirum, negationem frigiditatis) sed etiam aliud efficiens ab efficiente caloris, à quotalis forma per se, & immediatè actione sibi proportionata dicitur prouenire, nimirum, cõseruans frigiditatem, quod per suspensionem concursum, seu actionis, qua frigiditatem illam cõseruabat in subiecto, dicitur causa efficiens per se, & immediatè negationis frigiditatis. En quo modò Thomistarum solutio, atque exemplum ab ipsis adductum penitus evertit ipsorum positionem.

41 Tertio, & efficacius demonstrari potest eadem veritas (scilicet, actionem, per quam per se, & immediatè huiusmodi accidentia transeunt, ex nõ esse reali existentiæ ad esse reale existentiæ, non esse actionem, qua generans producit substantiam, sed potius esse fluxum, seu emanationem, qua mediatè fluunt à substantijs, in quibus sunt, & recipiuntur, vt dispositiones ad ipsarum cõseruationem naturaliter requisitas; & consequenter substantiam esse principium per se, & immediatè effectivum istorum accidentium) experientia aquæ calidæ reducens se in frigiditatem

tatem pristinam, & connaturalem: nam in hac reductione negari nequit interuenire veram actionem, per quam frigiditas ex non esse existentiæ; imò proprium, & verum motum, quo medio aqua ex esse calidæ transeat, & mutetur ad esse frigidæ. Sed hæc actio non potest esse illa, per quam generans produxit substantiam aquæ, quia actio illa iam transiit: neque principium eius per se, & immediatum potest esse id, quod generauit aquam; quia potest contingere, quod pro illo tempore in rerum natura non existat; atque ex Aristotel. in hoc libro text. 37. causa in actu, & effectus in actu necessariò debent esse simul: ergo coguntur aduersarij fateri, actionem istam esse fluxum, seu emanationem, qua mediante frigiditas ista emanat ab aqua; & principium per se, & immediatè effectivum, seu elicitiuum illius esse ipsam substantiam aquæ.

42 Quod si respondeas, et si in hoc casu actio, qua producit frigiditas non sit actio, qua generans generauit substantiam aquæ, sed alia, nimirum, fluxus, seu emanatio frigiditatis à substantia aquæ, (vt nos asserimus) & consequenter substantiam aquæ esse in hoc casu principium per se, & immediatè effectivum fri-

giditytis; hoc tamen esse per accidens, & quia pro tunc non existit principium, quod generauit aquam, neque actio, qua aqua genita fuit. Quod non tollit, quòd in prima productione aquæ, quando non solum adest principium generas aquam, sed etià ipsa actio productiua aquæ, prædicta frigiditas fuerit producta à generante aquam ipsamet actione, qua aqua producta fuit. Si hoc, inquam, respondeas, opponeris sententiæ Thomistarum, qui dicunt, implicationem involvere, quòd substantia sit principium per se, & immediatè effectivum, tam substantiæ, quàm accidentis, ac per consequens in nullo casu hoc posse illi conuenire. Deinde non concludis intentum. Nam semel admissò, pro aliquo tempore actionem productiuam frigiditatis in aqua esse fluxum, seu emanationem, qua frigiditas fluit, seu emanat ab aqua, & consequenter ipsam substantiam aquæ esse principium per se, & immediatè effectivum frigiditatis, hoc ipso fatendum erit pro omni tempore, etiam pro illo, quo existit agens producens aquam, & actio, qua ipsa aqua producit: siquidem ad hoc valde per accidens se habet circumstantia temporis, licet ex ipsa à posteriori non leue sumatur argumentum (vt desumptum est)

ad probandum, actionem, qua producitur frigiditas in aqua, non esse actionem, qua generans producit aquam.

43 Scio, labellum alia via conari effugere argumentum desumptum ex experientia aquae calidae reducentis se in pristinam, & connaturalem frigiditatem. Fafetur enim, actionem, qua de nouo in aqua producitur frigiditas, non esse actionem generantis aquam, sed fluxum, seu emanationem, qua frigiditas fluit, seu emanat ab aqua. Negat tamen, hanc emanationem à substantia aquae provenire per se, & immediatè, sed per accidens, ratione scilicet, cuiusdam qualitatis occultae superadditae substantiae aquae, ab eaque realiter distinctae, quam accepit aqua à suo generante, quae per calefactionem aquae non deperditur, sed remanet in aqua calida, ut principium quo, seu ratio producendi amissam frigiditatem.

44 Sed (ut bene loquitur Hurta) tamen occulta est ista qualitas (præter labelli oculos cæterorum omnium Philosophorum effugerit. Unde impugnari potest. Primum, quia si per te hæc qualitas est omnino ignota, & occulta, unde ergo illam nosti? certe ex nullo effectu, si quem enim haberet, ille esset maximè notus, qui non pateretur suam qualitatem esse occultam. Deinde, si ista qualitas occulta infrigidat aquam, in

qua est, cur, & aliam, cui applicetur, non infrigidat, sed frigus oritur ex alio frigore? Si enim negas aquae influxum in suum frigus, quia posset & infrigidare aliam, frigusque non infrigidaret, nega etiam similem influxum huic ignotae qualitati propter rationem eandem. Demum, aut hæc ignota qualitas est remissibilis, & intensibilis, aut non? si dicas ultimum, sine fundamento loqueris, & contra Arist. qui capit. de Qualitate solis qualitatibus quarti modi, seu speciei, quae dicuntur formae, & figuræ proprietatem suscipiendi magis, & minus secundum intensiōem denegavit. Si primum asseras, interrogo à quo prædicta qualitas intendatur? Non potest dici, quod ab aliqua qualitate, quia idem inquiram de illa priori; & sic dabitur processus in infinitum. Quod, si ad vitandum processum respondeas, quod immediatè intenditur ab ipsa substantia aquae, idem dicito de frigiditate; atque è medio telle occultam, & ignoram qualitatem, quam cognoscis occultè.

45 Sed argumentis adductis à Thomistis in contrarium satisfaciamus. Ad illud axioma, *Actus & potentia sunt in eodem genere*, optimè respondet Scotus loco num. 29. cirato, non esse intelligendum de potentia actiua, neque de passiva, & de actibus illis corresponden-

tibus, sed de potentia obiectiua, atque de actu illi correspondente. Cum enim indiuiduum, quod nunc est actu, fuerit ipsummet in potentia obiectiua: hinc est, (inquit Scotus) ut potentia obiectiua, & actus illi correspondens non solum sint eiusdem generis, sed etiã eiusdem speciei, imò eiusdem numeri. Et quod prædictum axioma non possit intelligi de potentia actiua, neque de subiectiua fateri tenentur ipsi Thomistae; siquidem ipsi ponunt, potentiam productiuam substantiae non esse substantiam, sed accidens substantiae superadditum, & tamen substantia producta, quae est actus huic potentiae correspondens, non est eiusdem generis cum ipsa. Item, ipsi ponunt, substantiam esse immediatè receptiuam alicuius accidentis, (aliàs daretur processus in infinitum) v. grat. substantia materialis quantitatis; & substantia spiritualis (nèpè anima rationalis) suarum potentiarum, quae in sententia ipsorum non sunt substantiae, sed qualitates. Et tamen substantia, quae respectu horum accidentium est potentia passiva, seu receptiua, non est eiusdem generis cum his accidentibus, quae induunt rationem actus.

46 Ad secundum negamus substantiam non proportionari cum accidenti in ratione principij, seu causae æquiuocæ

illius; nam ad hoc non est necessarium, quod sint eiusdem speciei; sed fat est, quod id, quod induit rationem causae, eminenter, & virtualiter effectum in se contineat: quod optimè competit substantiae, cum sit omni accidenti superior. Ad illud de ordinatione dicimus, omnes substantias creatas ordinari ad suas perfectiones accidentales, tamquam ad finem *qui*, quia perfectio accidentalis substantiae est finis, qui intenditur in productione accidentium: at verò omnes illae perfectiones accidentales ordinantur ad substantiam, tamquam ad finem *cui*; substantia enim est finis *cui*, & propter quem perfectiones accidentales producuntur. Cum autem dicitur, perfectius non posse ordinari ad imperfectius, intelligitur, tamquam ad finem *cui*, qui est finis principalis, non verò ad finem *qui*.

47 Ad tertium (quod non minus militat contra ipsos Thomistas, quam contra nos, cum ipsi ponant, accidens producere substantiam, & consequenter potentiam, quae sit accidens, respectu actus, qui est substantia) Respondetur pro omnibus, quod, si illud axioma, *Potentiae specificantur per actus, & actus per obiecta*, intelligendum foret de specificatione intrinseca, concluderet argumentum, non posse esse potentiam, quae sit substantia, in ordine ad actum, qui sit

fit accidens, & è contra. Tamen, quæ prædictum axioma non intelligitur (vt sepè dictū est) de specificatione intrinseca, sed de extrinseca, & quoad nostram cognitionem, nihil concludit argumentum. Nam sicut potest dari actus, qui sit accidens in ordine ad obiectum, quod sit substantia; imò, & actus, qui sit ens reale in ordine ad obiectum, quod sit ens rationis; ita & potentia, quæ sit substantia in ordine ad actū, qui sit accidens.

QVÆSTIO VII.

Vtrum accidentia attingant effectiue productionem substantia?

1 **N**Otante dicitur in titulo quæstionis attingant effectiue, nam accidentia actiua, vt sunt primæ qualitatis, attingere productionem substantiæ dispositiue producendo scilicet, similes qualitates, quæ sint dispositiones præuiæ ad hoc, vt in subiecto per ipsas disposito producatu noua forma substantialis, & præexistēs corrumptur; & hoc non utcumque, sed vt causas principales, imò totales, & adæquatas, constat ex dictis q. 6. num. 5. & 7. solum ergo est difficultas de attingentia effectiua, & immediata.

2 Thomistæ, & alij auctores, qui (vt vidimus q. 6. num. 9.)

sustinebant, substantias non esse per se, & immediatè effectiuas substantiæ, sed hoc illis competere medio aliquo accidenti ipsis superaddito, ab eisque realiter distincto, consequenter sustinent, non solum accidentia effectiue attingere productionem substantiæ, sed etiam hanc productionem immediatè à solis accidentibus provenire, à substantijs verò solum radicaliter, & remotè, in quantum scilicet, sunt radices, è quibus accidentia, quæ sunt causæ proximæ huius substantialis productionis, emanarunt, seu fluxerunt. Et cum dupliciter possit aliquid immediatè attingere ad productionem substantiæ, scilicet, principaliter, & instrumentaliter, Pererius loco citato capit. 13. sustinet accidens effectiue attingere productionem substantiæ, vt causam principalem, nã illam (inquit) attingit virtute propria; at Thomistæ, ceterique auctores dicunt, accidens attingere ad productionem substantiæ, vt causam instrumentalem; quia illa (inquiunt) nō attingunt in virtute propria, sed in virtute substantiæ, cuius sunt virtutes, & instrumenta operandi.

3 Ex auctoribus verò, qui nobiscum q. 6. num. 14. allegebant, substantias esse per se, & immediatè effectiuas substantiæ, Suarez, Caberus, & Martinius sustinent, quod essi pro-

productio substantiæ per se, & immediatè à substantia effectiue attingatur, hoc non obest, quin etiam attingatur effectiue per se, & immediatè ab accidentibus, quibus medijs substantia operatur: sed cum hoc discrimine, quod à substantia attingitur, vt à causa principali, ab accidentibus verò, vt à causa instrumentali. Itaque auctores isti, at que auctores præcedentis sententiæ ex parte conueniunt, & ex parte differunt. Conueniunt in quantum omnes asserunt, accidentia attingere vt causas instrumentales effectiuas productionem substantiæ. Differunt, quia auctores prioris sententiæ productionem substantiæ solum accidentibus attribuunt, vt causis immediatè effectiuis: at auctores posterioris sententiæ, tã accidentibus, quàm substantiæ, vt causis immediatè effectiuis, productionem substantiæ adscribunt, licet cum discrimine principalis, & instrumentalis assignato.

4 Huius autem, in quo omnes isti auctores conueniunt, præcipuum fundamentum est experientia, qua experimur, in pluribus euentibus substantiã ab accidentibus generari. Experimur enim, calorem, qui est in ferro ignito, ignire stupã; & à lumine aëris ob reflexionem radorum produci ignē; & virtutem feminalem (quæ secundum Galenum quoddam acci-

dens est) producere animal. Et quã plures aliæ experiētiae adduci possent ad hoc propositū.

5 Et confirmari solet hac ratione. Eisdem instrumentis expellitur vna substantialis forma, & introducitur alia, quia corruptio vnus est generatio alterius, & è contra. Sed forma imperfectior expellit perfectiorem formam, non immediatè, & per se ipsam, sed medijs suis accidentibus operatiuis: ergo neque etiam introducit formã imperfectiorem immediatè, & per se ipsã, sed medijs suis accidentibus operatiuis. Minor probatur, quia forma substantialis perfectior expellenda non resistit immediatè, & per se ipsam introductioni formæ imperfectioris in eadem materiã: (Alioqui nūquã posset corrumpi, quia, cū perfectior sit alia, & hic excelsus essentialis perfectionis nō possit superari, fiet inde, vt maiorem præstaret resistentiã, quàm sit illa vis, & influxus, quem adhibet forma imperfectior in ordine ad introductionem sui) ergo etiã forma imperfectior introducenda non agit immediatè, & per se ipsam ad expulsionem formæ perfectioris, sed medijs suis accidentibus, quæ in sua actiuitate possunt multoties superare actiuitatē accidentium formæ superioris, & consequenter illorum resistentiam.

6 His addunt auctoritatem Aristotel. ex secundo de anima

text. 50. vbi ait, quòd calor materialis est, quo anima agit: ergo substantia non agit immediate, sed medijs accidentibus, ac per consequens illa, & non substantia, erunt, quæ effectiue per se, & immediate attingunt productionem substantiæ, vel virtute propria, & consequenter, vt causæ principales, (vt contendit Pererius) vel in virtute substantiæ à qua procedunt, & cuius sunt virtutes, ac per consequens, vt causæ instrumentales (vt sustinent reliqui auctores.)

7. Scotus verò noster in 4. d. 12. q. 3. multò probabiliùs sustinet, accidentia nullo modo attingere effectiue productionem substantiæ, neque vt causas principales, neque vt causas instrumentales, sed solum agere ad productionem substantiæ dispositiue, producendo, scilicet, in materia dispositionis requisitas ad hoc, vt in ipsa formæ substantiales ab aliqua alia forma substantiali per se, & immediate producantur. Itaque in generatione substantiali, quæ fit ab agente naturali, v.g. in generatione ignis, quæ fit in ligno ab altero igne, distinguit Scotus duas actiones subordinatas, vnam alteratiuam, per quam ignis calefacit lignum, & dicitur calefactio; & huius principium effectiuum sustinet nõ esse formam ignis, sed calorem in ipso igni existentem; &

alteram generatiuam ignis, quæ sequitur ad alterationem, & dicitur ignitio; & huius principium effectiuum affirmat nullo modo esse calorem existentem in igne, aut aliquid aliud accidens, sed potius formam substantialem ipsius ignis agentis. Scorum sequuntur, non solum omnes discipuli, sed etiam Durandus, Ochamus, Iandunus, Valles, & Hurtado. locis citatis q. 6. num. 14.

7. Et in primis accidens non posse attingere effectiue productionem substantiæ, vt causam principalem totalem; & adæquatam, (vt sustinet attingere Pererius) sic optime probat Scotus q. 3. citata, §. *Lico ergo*, lit. F. omne agens totale, vel est vniuocum; (& ita est æquè perfectum producto) vel est æquiuocum (& ita est producto perfectius) sed accidens est imperfectius substantia: ergo accidens non potest attingere effectiue productionem substantiæ, vt agens principale, totale, & adæquatam. Minor est clara: maior etiam est manifesta; sed quia forsan negaretur à proteruo, ideò Scotus illam multis probat, atque declarat.

8. In primis illam probat, quia negata prædicta propositione, non possumus probare aliquem ordinem perfectionis inter entia, nec quòd primum ens esset omnium perfectissimum; imò posset proteruus asserere, totum vniuersum, & quodlibet existens

stans in eo esse factum à musca. Si enim arguas, muscam esse imperfectiorẽ toto vniuerso, nihil contra illud concludes: nam ipse negat, requiri ad producendum, quòd producens principale, & adæquatũ sit perfectius, aut æquè perfectum cum producto.

9. Deinde illam probat, quia, si effectus potest esse præstantior sua causa principali totali, & adæquata, et si in re sit, quid simplex, diuidatur per intellectum talis effectus in duo, scilicet, in id, quod adæquat causam, & in id, quo illam excellit. (Quæ enim in hoc potest esse contradictio?) Modò inquiram, à quo habet effectus id, quo excellit causam? Non habet illud à se; (vt manifestum est) neque à causa: (quia nemò dat, quod non habet, vel formaliter, vel virtualiter) ergo à nullo. Sed à nullo nihil prouenit: ergo non debet poni in effectum aliquid, quo excellat suam causam principalem totalem, & adæquatam. Omitto plures alias rationes, quas ibi adducit Scotus, quia in ipso videri possunt.

10. Duobus modis conatur Pererius huic argumento Scoti satisfacere. Primum admissa maiori propositione, distinguit minorẽ. Dupliciter enim (inquit) potest inter substantiam, & accidens fieri comparatio, scilicet, & in ratione entis, & in ratione productiui. Si primo modo fiat compara-

tio, fatetur, accidens esse imperfectius substantia: secus verò, si comparatio fiat secundo modo: nam in ratione productiui accidens (inquit) exuperat substantiam; siquidem accidens productiuum est, substantia verò minimè, sed tantum est producibilis.

11. Sed bona venia Pererius vim argumenti Scoti non attingit. Maior enim, quam Scotus assumit in suo argumento, est, ad rationem principij productiui principalis totalis, & adæquati requiri, quòd principium producens in entitate sua sit perfectius, aut æquè perfectum cum producto: ergo, cum hanc maiorem admittat Pererius, nec negare audeat propter rationes, quibus ipsam probat, & declarat Scotus contra proteruos; & aliàs fateatur minorem argumenti Scoti, scilicet, in ratione entis accidens non adæquare substantiam, quantò minis superare, sed esse imperfectius illa, velit, nolit, cogitur Pererius fateri consequentiam, quã infert Scotus, videlicet accidens non posse esse principium effectiuum principale totale, & adæquatam productionis substantiæ. Aliàs procederet contra ipsum ratio, quam fecit Scotus contra proteruos, scilicet, posse aliquem proteruum asserere totum vniuersum factum fuisse à musca: nam sicut Pererius affirmat, substantiam

tiam fieri ab accidente, non obstante, quòd accidens sit imperfectius in ratione entis ipsa substantia, quia cum hoc stat, quòd sit perfectius in ratione productiui; ita diceret proteruus, totum vniuersum factum fuisse à musca, non obstante, quòd musca sit imperfectior in entitate toto vniuerso, quia cum hoc stat (potest respondere proteruus) quòd musca sit perfectior toto vniuerso in ratione productiui.

12 Et ratio à priori contra Pererium est, quia vis producendi fundatur in entitate rei, & cum illa proportionatur: (operari enim, vt commune fert axioma, sequitur ad esse) ergo falsò, & sine fundamento assumit Pererius, posse aliquid esse imperfectius alio in ratione entis, & perfectius respectu eiusdem in ratione productiui. Et confirmatur amplius, nam necessarium est, quòd causa efficiens contineat effectum, vel formaliter, vel eminenter (quia nemo per efficientiam potest præstare, quòd non habet aliquo ex prædictis modis) sed eo ipso, quòd accidens in ratione entis est imperfectius substantia, non potest entitatem substantiæ continere, neque formaliter, neque eminenter: ergo neque poterit entitatem substantiæ efficere, vt causa principalis totalis, & adæquata.

13. Secundò conatur Pererius

satisfacere argumento Scoti distinguendo duplicem effectum respectu alicuius agentis; vnum intrinsecum actui agentis, (scilicet, illū, qui per actionē eius immediatē attingitur) & alterum extrinsecum actui agentis, videlicet illum, qui non attingitur immediatē per actionē eius, sed ex vi alterius; attribuitur tamen illi propter naturalem connexionem, quā habet cum primo illo intrinsecò effectū; nam positò isto connaturalis rerum ordo exposcit, quòd secundus effectus ponatur, & sic sequitur ad illū per modum naturalis sequelæ. Qua distinctione supposita, respondet, illud dictum Scoti (omne agens principale, & totale non debet esse imperfectius suo productò, sed æqualiter perfectum, si sit vniocum, vel magis perfectum, si sit æquiuocum) verum esse de productò, seu effectū intrinsecò actui agentis, non verò de extrinsecò actui agentis; quia hic, cum sit extrinsecus, & totū sequatur ab illo propter connexionē, & naturalem sequelam, quam dicit ad effectū illius intrinsecum, non sequitur mensurā, & modum virtutis agentis, & sic potest esse, vel perfectius, vel imperfectius illo. Ad rem ergo. Cū substantia (inquit Pererius) non sit effectus accidentis primo modo, sed potius secundò, non enim est terminus intrinsecus actionis illius; nā hic est

est (in calefactione, v. g. qua calor producit substantiā ignis) calor, vt octo; sed solūm attribuitur illi, quia positò in materia calore, vt octo, qui est terminus intrinsecus calefactionis, statim per naturalē sequelā ponitur in materia forma ignis, & expellitur forma substantialis, quæ in eadē materia præexistebat. Hinc fit, vt accidens possit producere substantiam, vt causa principalis, & totalis, nō obstante, quòd in sua entitate sit illa valde imperfectius.

14 Sed in solutione ista Pererius propria sententia relicta Scotico placito adhæret; quòd sic ostēdo. In ista solutione cōcedit Pererius, substantiam nō esse terminum, seu effectum intrinsecum, & per se actionis accidentis, sed potius esse terminum, seu effectum illi extrinsecum, & per accidens, solūmq; attribui accidenti, vt principio propter naturalem connexionem, quā habet productio substantiæ cum effectū intrinsecò, & per se ipsius accidentis; nam ipso positò connaturalis rerum ordo exposcit, quòd ponatur productio substantiæ: ergo fieri cogitur Pererius, præter actionem accidentis dari aliam actionem, quæ etsi possit appellari emanatio propter connexionem naturalē, quam habet cum termino intrinsecò actionis accidentis; nihilominus est vera actio, cuius terminus intrinsecus, & per se sit ipsa sub-

stantia producta. Mirum sanè esset, quòd respectu accidentis, quod non est ens simpliciter, assignaretur vera actio, quæ media ex non esse existentia transit ad esse existentia, & quod respectu substantiæ, quæ est ens simpliciter, nulla assignaretur vera actio, quæ media ex non esse existentia transiret ad esse actualis existentia, sumpta actione (vt in præsentibus sumitur) pro re acta in fieri, vt includit respectum, quem exprimit *esse ab alio*. Sed huius actionis principium per se in sententia Pererij non potest esse accidens; nam habet pro termino intrinsecò, & per se substantiam, & quando terminus est intrinsecus actioni, fatetur Pererius, esse verum id, quod assumit Scotus: (scilicet, omne principium producens non debet esse imperfectius suo productò) ergo necessariò fatendum est, esse substantiam. Constituit ergo Pererius in productione substantiæ duplicem actionem, vnam, qua per se & intrinsecè producitur accidens, quod est dispositio prævia ad productionem substantiæ: & aliam, qua producitur substantia: quarum prior habet pro principio per se, & intrinsecò accidens; posterior verò habet pro principio per se, & intrinsecò substantiā; licet quia hæc posterior præsupponit priorem, & ad positionem termini illius,

quæ est vltima dispositio materiæ, consequitur, possit etiam tribui accidenti, licet non tanquam principio productiuo ipsius, saltem vt principio dispositiuo. Hæc ergo est positio Scoti, non verò sententia, quam Pererius defendendam suscepit.

15 Accedamus iam ad probandam secundam partem sententiæ Scoti. (scilicet, neque instrumentaliter attingere accidens effectiuè productionem substantiæ) Et quidē contra Thomistas, & alios auctores, qui negāt substantiā esse per se effectiuam substantiæ, sed totam productionem substantiæ attribuunt solis accidentibus, vt principijs per se, & immediatè effectiuis, directè militat ratio Scoti supra facta cōtra Pererium, siquidē in horū sententiā non solum est fatendū accidentia attingere effectiuè productionē substantiæ, sed etiā est affirmandū, sola accidentia esse causam effectiuam istius productionis, & cōsequēter totalem, & adæquatā. Argumentum autem Scoti supra factum vniuersaliter procedit contra omnes, qui defendunt, accidens attingere effectiuè productionem substantiæ, vt causam totalem, & adæquatā, (siue illud appellent causam principalem, siue instrumentalem) vt perspicuum est.

16 Nec valet, quod respondent Thomistæ, scilicet, acci-

dens dupliciter posse efficere; vno modo in virtute propria, qua ratione induit rationē causæ principalis, & vt sic esse imperfectius substantia, nec posse attingere effectiuè productionē illius, sed solum dispositiuè, producēdo, scilicet, in materia simile accidens, quod sit dispositio ad productionem substantiæ. Alio verò modo in virtute substantiæ; qua ratione nō induit rationem causæ principalis, sed potius est instrumentum illius substantiæ, in cuius virtute agit. Et hoc pacto (inquiunt) in virtute agendi non est imperfectius substantia producta, cum hæc sit virtus substantiæ. Et sic non mirū, quod productionem substantiæ instrumentaliter attingat.

17 Hoc (inquā) nihil valet; nam optimè confurgit Scorus inquirendo ab his auctoribus, quid sit agere accidens in virtute substantiæ? vel enim est, accidens operari non propria actione, sed actione, seu motu substantiæ in se recepto, nō secus, ac dici solet, securim agere in virtute artificis, quia, scilicet, nō operatur effectus artificiosus actione propria, sed per actionem, seu motū artificis in se receptū. At in sententiā Thomistarū, qui sustinēt, substantiā per se nullo modo esse actiuā, seu operatiuā, hic modus agendi accidēs in virtute substantiæ, nō solū astrui, sed neque imaginari potest. Vel est accidens ope-

operari per virtutem in ipsum deriuatam à substantia distinctam à virtute propria, & innata ipsius accidentis: & tunc rursus inquiram, an hæc virtus, quæ fingitur in accidenti deriuata à substantia, sit accidens, an substantia? Si est accidens, eisdem omninò difficultatibus implicaris. Si substantia, ergo iam substantia est immediatè operatiua. Præterea, quomodo substantia subiectatur in accidenti? ergo commentitia est virtus, quam asseris in accidens deriuari à substantia distincta à virtute propria, & innata ipsius accidentis.

18 Quod si cum Caietano 1. p. q. 77. art. 1. & peritioribus Thomistis respondeas, *accidens agere in virtute substantiæ* esse cōstructionem intransitiuā, face-reque hunc sensum, accidens, quod est propria, & naturalis virtus substantiæ ab ea dependens, eique à natura tributum, tanquam instrumentum ad ob-eundas eius actiones, agit in quantum tale; argumentum Scoti manet in sua vi; quomodo scilicet, agens, vt sic, possit se solo, & consequenter, vt causa totalis & adæquata attingere productionem substantiæ; siquidem accidēs, vt sic, vltra virtutem propriā, & innatam, ratione cuius fatentur Thomistæ, non posse attingere substantiam, solum dicitur relationem, & habitudinem ad substantiam; quæ rela-

tionis non potest esse per se primo terminus actionis, ita neque eius principium.

19 Et confirmatur, & declaratur amplius; nam per hoc, quod accidens dicatur virtus, seu instrumentum substantiæ, solum habet accidens vltra entitatem suam, vel quod fluxerit, seu emanauerit à substantia. (Et per hoc non crescit eius virtus actiua, quæ tāta est, quanta est perfectio, quam in se recipit, non quanta est in illo, à quo fluxerit,) vel quod loco substantiæ substituatur ad agendum; & hoc est, quod mirabile, & repugnans apparet, nempe, quod natura substituatur virtutem imperfectam, vt se sola, & absque actuali iuuamine superioris virtutis (& cōsequenter, vt causa totalis, & adæquata) efficiat vice principalis agentis effectum prædicta virtute nobiliorem. Cōcludit ergo argumentum Scoti numer. 7. adductum contra Pererium, accidens non posse attingere productionem substantiæ se solo, & vt causam totalem, & adæquatam, nō solum in virtute propria, & vt causam principalem; (vt sustinebat Pererius) sed neque in virtute substantiæ, & vt causam instrumentalem illius, vt defendunt Thomistæ.

20 At contra Suarez, & reliquos recentiores, qui fatentur, productionem substantiæ, nō solum, effectiuè per se, & im-

mediate ab accidenti prouenire, sed etiã, & præcipuè à substantia, fateor, ratione Scoti supra factam non militare: nam Scoti ratio solum procedit (vt dictum est) contra ponetes accidens causam totalem, & adæquatam productionis substantiæ; isti autem solum ponunt accidens causam inadæquatam huius productionis, qui ideo causam instrumentalem appellant; melius autè, & proprius loquerentur, si principalem partialem illam appellarent iuxta dicta q. 3. num. 7. loquendo de discrimine, quod versatur inter causam principalem, & instrumentalem; siquidem virtutem incompletã, quam in istorum sententia habent accidentia respectu productionis substantiæ, habent in esse quieto, & non receptam per actualem concursum, quo substantia influit in productionem substantiæ.

2.1 Verum ex alio capite non minus efficaciter reijcit Scotus hanc sententiã. Primò, quia his auctoribus nullum relinquitur fundamentum ad asserendum, accidens effectiuè attingere productionem substantiæ. Assumptum probo; nam totum fundamentum, quo nituntur auctores ad asserendum, accidens attingere effectiuè productionem substantiæ, sunt experientiæ illæ, quas adduximus numer. 4. Hæ autem experientiæ, aut nil

valent, concludunt, prædictam substantiam à solis accidentibus effectiuè prouenire; non verò à forma substantiali (vt isti dicunt) vt à causa principali, & ab accidente, vt ab instrumentali; siquidem in illis si quid experimur, est, substantiam produci ab accidentibus absque villo concursu, seu influxu formæ substantialis.

2.2 Secundò, quia si substantia per se, & immediate est effectiuè substantiæ: (vt hi auctores affirmant) ergo superfluous est concursus accidentis attingens effectiuè productionem substantiæ, solumque erit necessarium, vt ab accidenti producat simile accidens, quò disponatur materia, eo quòd substantia non producit substantiam, nisi in materia disposita. Probo consequentiam: nam, si generatio substantiæ est vniuersa, forma substantialis, quæ supponitur per se, & immediate influere, habet proportionem, & perfectionem requisitam, vt secluso concursu alterius concausæ, cui per se non subordinatur, (siue instrumentalis, siue partialis appellatur) producat effectum sibi similem in materia disposita; nã si hoc conceditur formis accidentalibus, cur denegabitur substantialibus, supposito, quòd influxus per se, & immediatus ab his auctoribus illis non denegatur. Si verò generatio substantialis sit æquiuoca, cum

for-

forma generantis sit eminentior, maiori ratione ad similem actionem erit sufficiens.

2.3 Tertiò, quia in substantia producta, nulla reperitur formalitas, quæ attribui possit per appropriationem accidenti, tamquam causæ effectiuæ; sed omnes formalitates, quæ in ipsa reperiuntur, attribuantur substantiæ producenti, tamquam causæ effectiuæ ipsarum: ergo signum est, solã substantiam concurrere effectiuè ad productionem substantiæ, & nullo modo effectiuè accidens. Antecedens est manifestum; nam formalitas entis, quæ est, quæ posset accidenti attribui, cum sit transcendens ipsam substantiam productam, illi principio correspondet, cui correspondet ipsa formalitas substantiæ. Consequentia autem apparet necessaria; nam nos pro hoc statu non habemus aliud principium inuestigandi, quænam sit causa adæquata alicuius effectus, & quænam non, nisi ex eo, quòd videmus, omnes formalitates, quæ reperiuntur in effectui, correspondere alicui; tamquam principio, vel non correspondere: ex eo enim, quòd omnes formalitates, quæ sunt in calore producto, correspondent calori producenti, vt principio, & causæ, optimè colligimus, calorem esse principium, & causam adæquatam productionis alterius

caloris. E contra verò, quia videmus, omnes formalitates, quæ sunt in visione beatifica, non correspondere intellectui, vt principio, neque etiam correspondere, vt principio, lumini gloriæ, sed formalitatem vitalitatis correspondere intellectui; formalitatè supernaturalitatis correspondere lumini gloriæ, optimè inferimus, neque solum intellectum, neque solum lumen gloriæ esse principium, & causam adæquatam visionis beatificæ, sed vnumquodque ex his esse causam partialem, causam verò totalem, & adæquatam ex vtroque coalescere: aut assigment nobis aduersarij, si hoc principium ipsis non placet, aliud melius principium, ex quo deducere possimus, quænam sit causa adæquata alicuius effectus, & quænam non.

2.4 Instantia verò gratiæ baptismalis (quæ in Thomistarum sententia procedit à baptismo, tamquam à principio instrumentali physicè effectiuo, & tamè in gratia baptismali nulla est formalitas, quæ correspondere possit baptismo, vt principio physicè effectiuo) etsi adducatur à Cabero ad labefactã dũ hoc principium, tamè ineptè adducitur; nã, si Thomistæ defendunt, sacramenta esse causas instrumentales physicè effectiuas gratiæ, quæ per ipsa confertur: tamen Scotus, & plures alij hoc negant: & quando alia

ar-

argumenta deficerent ad Scoti sententiam suadendam, mihi sufficeret, quod in gratia nulla formalitas assignari potest, quæ sacramentis attribui possit, vt causis instrumentalibus physicè effectiuis. Sed de his latius in Theologia.

25 Ad fundamentum aduersariorum, quod detumprū erat ex experientia, qua experimur, in pluribus euentibus substantiam ab accidentibus generari, (omissa experientia ferri igniti comburentis stupam, quia existimo, combustionem istam non provenire à calore ferri igniti, sed ab aliquibus particulis ignis inclusis in ferro ignito. Quod facile colliges, tum ex eo, quod prædictum ferrum sæpè flammescit, quod est proprium ignis. Tum etiam, quia postea in ferro illo apparent aliqui cineres, qui numquam generantur, nisi ad desitionem formæ ignis.) Respondetur, in nullo euentu substantiam produci ab accidentibus effectiue, sed solum dispositiue. Quod si aliquando facta vltima dispositione ab accidentibus in materia, non fuerit forma substantialis inferior, à qua producat in materia forma substantialis, supplendus erit iste defectus per concursum æquiuocum alicuius formæ substantialis superioris, vt est forma solis in generatione ignis, quæ fit à lumine aëris per refractionem radiorum. Neque obstat

distancia formæ substantialis solis; nam ad hoc, vt aliqua forma substantialis agat, non est necessarium, quod ipsa per suam substantiam sit intimè præsens passio, sed sufficit, quod sit intimè præsens passio per suam virtutem, id est, quod passum contineatur intra spheram actiuitatis illius formæ: actiuitas autem formæ substantialis solis attingit vsque ad viscera terre, vbi ab ipsa generatur aurum.

26 Quod si nulla ex superioribus formis creatis fuerit sufficiens ad producendam prædictam formam substantialem (vt abique dubio contingit in generatione animalium perfectorum, quæ ratione vitæ perfectè sentitiuæ sunt perfectiora simpliciter forma solis, & cuiuscumque alterius astri) ille defectus supplendus erit per concursum primæ causæ; quæ sicut & decreuit, omnes causas secundas vltimè dispositas ad agendum per suum concursum iuuare, ita etiam decreuit per suum concursum supplere defectum illarum in casibus, in quibus, si non suppleret aliquid, contingeret contra naturalem rerum ordinem (vt est in proposito) quod detur materia vltimè disposita ad aliquam formam substantialem, & quod talis forma in ipsa materia non producat.

27 Et dixi notanter, vt contingit in generatione animalium perfectorum; nam verum existimo id,

id, quod asserit Hurtado disp. 9. physica sect. 4. §. 35. scilicet, soleni esse simpliciter perfectiorem plantis, & consequenter formam eius esse sufficientem ad introductionem formæ plantæ in materia disposita, quoties deficit forma inferior, à qua introducatur; vt deficere sustinet Scotus in 2. d. 18. q. vnica quoties plantæ primò producuntur ex semine; nam (vt ibi ait) nullum semen effectiue attingit id, quod ex semine generatur; tum quia est imperfectius; tum etiam, quia in instanti generationis non est semen, sed corrumpitur; & quod non est in instanti generationis, non potest effectiue attingere terminum generationis. Nec obstat, quod plantæ habent vitam, secus autem sol. Nam etsi viuēs ex genere suo sit nobilior non viuenti; tamen non viuens ex differentie conceptu potest ad eum excedere differentiam viuents, vt sit illo simpliciter perfectius. Quis enim dicat, minimam plantam simpliciter perfectiorem esse, quàm solem. Imò addo ex mente Scoti, idem fore affirmandum de animalibus imperfectis; nā loco citato, §. *Restat igitur*, lit. E. expressè affirmat, ranam immediate fieri à sole: quod minimè concederet, si existimasset, ranam simpliciter perfectiorem esse forma solis.

28 Sed dices. Si semen (vt sustinet Scotus) non concurrat

effectiue ad generationem viuents, sed solum dispositiue, posita autem vltima dispositione formæ viuents, effectiue causantur, vel à forma solis (vt contingit in plantis, & animalibus imperfectis) vel ab ipso Deo (vt contingit in animalibus perfectis) sequuntur duo inconuenientia. Primum est, quod vnum viuens non possit dici generare alterum: siquidem illius productionem, neque per se, neque per semen à se decitum effectiue attingit. Secundum est, improvidam, & defectuosam fuisse naturam, siquidem statuit generationes viuents adeò defectuosas, vt in eis semper sit necessarium ex defectu virtutis agentis recurrere, vel ad causas superiores creatas, vel ad primam, & increatam, scilicet, Deum.

29 Respondetur negando sequelam. Ad primum inconueniens dicimus, ad hoc vt vnum viuens dicatur verè, & propriè generare aliud, non esse necessarium, quod per se, vel per semen à se decitum attingat effectiue introductionem formæ substantialis illius; sed sufficere, quod semen à se decitum disponat materiam, vel immediate, vel mediante alia priori forma (qualis est forma organica, seu corporeitatis) ad introductionem illius. Quod necessariò tenentur fateri aduersarij. Nam Suarez in Metaph. disp. 18. sect. 2. numer. 22. (quem

(quem communiter alij secūtur) tenet, in generatione hominis hominem, neque per se, neque per semen à se decisum attingere effectiue (adhuc instrumentaliter) introductionē animæ rationalis, sed solum dispositiue: & tamen dicunt, sufficere ad hoc, vt vnus homo verè, & propriè dicatur alium generare.

30 Ad tertium respondetur, quòd sicut nullus concedit defectuosam esse naturam, & improvidam in generatione hominis non tribuendo eis virtutem sufficientem ad introductionem animæ rationalis, sed semper esse necessarium, quòd à Deo creetur, & vniatur corpori in instanti, quo vltimatè corpus disponitur; ita nec debet improvida, & defectuosa reputari; eo quòd alijs viuētibz non tribuerit virtutem seminalem sufficientē ad producendum effectiue formas similes illis, quas in se habent: sed potius in hoc fuit maximè prouida, quia, cum formæ viuētiū sint perfectiores, quā inanimatorum corruptibilium, etiam plura debebant requiri ad earum productionem; & nullo modo meliori potuit formarum viuētiū excellentiam, quas exuperant inanimatorum corruptibilium, indicare, quàm tribuendo inanimatis virtutem sufficientem ad agendum effectiue sibi similia; viuētibz autem vir-

tutem ad agendum sibi similia solum dispositiue.

31 Ad confirmationem, qua aduersarij suam corroborabāt sententiam, fatemur, eisdem instrumentis, quibus expellitur vna forma substantialis à materia, aliam de nouo generari; & è contra. Sed sicut negamus, accidentia esse instrumenta, quibus medijs forma substantialis, noua in materia generatur effectiue; (sed solum dispositiue) ita etiā negamus accidentia esse instrumenta, quibus mediantibus forma substantialis præexistēs in materia corrumpitur effectiue, sed solum quibus medijs corrumpitur dispositiue: accidentia enim tantum attingunt effectiue productionem accidentium contrariorū dispositionibus, quibus præexistēs forma conseruabatur in materia, & consequenter corruptionē prædictarum dispositionū. Corruptio autem formæ substantialis præexistentis in materia fit immediatè à forma substantiali, quæ de nouo producit in eadē materia. Neq; ad hoc aliquid obstat, quòd forma præexistens sit perfectior, quàm illa, quæ de nouo producit; quia hæc corruptio, seu expulsio formæ præexistentis non fit à forma de nouo producta in genere causæ efficientis. In quo decipiuntur aduersarij, dum ex eo, quòd in forma perfectiori præxi-

stent-

stenti in materia esset maior vis ad resistendum, quàm esset vis, & influxus, quem adhiberet forma imperfectior in ordine ad introductionem sui, colligebant, vnam formam substantialem non posse immediatè, & per se ipsam aliam corrumpere, seu expellere ab eadem materia. Sed fit hæc expulsio, seu corruptio in genere causæ formalis; ad quam non requiritur, quòd forma corrumpens, seu expellens sit perfectior forma, quæ corrumpitur, seu expellitur, sed quòd sit incompatibilis cum illa in eadem materia: quòd habet forma substantialis vltimata, quantumcumque in se imperfecta consideretur. Efficienter verò prouenit hæc corruptio, seu expulsio, positiue, & remotè a forma substantiali producente formam substantialem, quæ de nouo inducitur in materiam; negatiue verò, & proximè à causa conseruante formam præexistentem, suspendente concursum substantialem, quo prædictam formam conseruabat.

32 Ad auctoritatem Aristot. optimè respondet Scotus loco quarti citato lit. C. solum contendere Aristot. calorem naturalem esse medium, quo anima disponit materiam digerendo, & alterando alimentum, vt in termino illius alterationis inducatur forma carnis, non ab ipso calore, sed ab

anima, seu à forma substantiali carnis. Vnde primum agens dicit appellari instrumentum respectu secundi, non propter subordinationem virtutis ad virtutem, sed effectus ad effectum; & sic magis propriè dicitur agens dispositiuum, quàm instrumentale.

QVÆSTIO VIII.

De concursu Dei cum causis secundis.

I **N**omine concursus Dei intelligunt Doctores in presenti influxum, quo medio Deus simul cum creaturis influit in earum effectus. De quibus solent exagitari. Primum, *An in Deo detur talis concursus?* Secundum, *Quid sit hic concursus Dei?* & quomodo ad concursum creaturarum comparatur? Tertium, *Vtrum præter influxum Dei in effectus creaturarum, qui dicitur concursus, necessario præexigatur alius influxus Dei in creaturis, ipsas physice prædeterminans ad agendum?*

SECTIO I.

Explicatur, an Deus concurrat simul cum creaturis ad earum effectus?

2 **D**Vrandus in 2. d. 1. quæstion. 5. & d. 37. q. 1. ausus est asserere, solas creaturas influere in suos effectus; neque aliter dici posse Deum con-

con-

concurrere cum causis secundis ad earum effectus, nisi quia cōseruat in ipsis esse, & virtutē agendi, quæ præstitit illis in initio creationis. Quæ sententia eadem est cum illa, quæ refertur à D. August. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. sub his verbis. *Sunt, qui arbitrantur, tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, & iussit, Deum autem nihil operari.*

3. Suaderi potest hæc Durandi sententia his rationibus. Prima; duæ causæ eiusdem rationis solum requiruntur ad eundem effectum, quando vna sola est insufficientis ad illum præstandum. Sed creaturæ habent sufficientem virtutem ad præstandos effectus ipsis proportionatos, (aliàs non dicerentur causæ principales totales, & adæquatæ, sed potius, vel instrumentales, vel partiales, & inadæquatæ.) Ergo ad præstandum prædictos effectus non indigent consortio Dei; ac per consequens ipsæ solæ influunt in suos effectus, licet per virtutes à Deo acceptas in ipsarum creatione, quas modo in ipsis cōseruat.

4. Secunda: certum videtur, posse Deum facere creaturas ita perfectas, vt ipsæ solæ producant suos effectus: (Quæ enim in hoc reperitur contradictio?) ergo si potuit, quis negabit, illas tales fecisse? aut cui oppositum reuelatum est?

5. Tertia: quando duæ causæ efficientes simul ad eundem effectum concurrunt, semper in effectu est assignabilis aliqua formalitas ita correspondens virtuti vnius causæ, vt non correspondeat alterius causæ virtuti. (Aliàs, vt q. præcedenti num. 23. dicebamus, vna ex eis esset superflua.) Sed in effectibus, qui fiunt à creaturis, nulla assignari potest formalitas correspondens virtuti Dei, quæ etiam non correspondeat virtuti creaturarum, tamquam principio: ergo signum est, solas creaturas producere istos effectus, & non Deum cum ipsis.

6. Verum sententia ista Durandi malè audit apud auctores; quippe non solum illam temerariam indignant, cum opponatur torrenti tam scholasticorum, quàm sanctorum Patrum, quos referunt Conimbrincenses hic cap. 7. q. 2. art. 2. & Suarez in Metaphys. disp. 22. sect. 1. sed etiam illam erroris nota inurunt: aduersatur enim pluribus scripturæ locis Psalm. 146. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.* Ioan. 5. *Pater meus usque modo operatur.* Act. 7. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Iob cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Et plura alia. Imò aduersatur lumini naturali; quo solum ducti grauissimi Philosophi, Deum cum causis se-

cun-

cundis ad ipsarum effectus concurrere, cognouerunt. Docuerunt id Arist. 7. Physic. cap. 1. & 8. cap. 5. & 2. Metaph. cap. 2. Trimegistus in dialogo *Cra-ter*, & Plato apud Damasc. cap. 9. suæ Philosophiæ, atque plures alij.

7. Rationes autem ad probandum, Deum concurrere cum causis secundis ad earum effectus desumi possunt, tam ex parte Dei, quàm ex parte creaturarum. Ex parte Dei, quia, cum infinitæ virtutis sit, nullus poterit assignari effectus, qui eius effugiat causalitatem. Ex parte creaturarum, quia creaturæ sicut sunt entia per participationem, ita & agentia: ergo sicut pendent à Deo immediatè in suo esse, ita & in sua actuali operatione. Et hoc est, quod docuit Arist. vbi supra, dum dixit, in agentibus per se subordinatis inferius non posse agere sine influxu superioris; quod optimè explicat Scotus in 1. d. 2. q. 2. lit. I.

8. Ad primam rationem ex adductis pro sententia Durandi respondetur, virtutem causæ duobus modis posse appellari sufficientem ad effectum producendum. Primo, quia non solum adæquatur illi, sed etiã ad operandum ab alio nõ dependet secundo, quia illi adæquatur, siue pendeat ab alio in operando, siue non. In hoc secundo sensu causæ secundæ principales, & totales dicun-

tur habere virtutem sufficientem ad producendos effectus sibi proportionatos, & distinguuntur à causis instrumentalibus, & partialibus, quæ adhuc in hoc secundo sensu non habent virtutem sufficientem in esse quieto ad suos effectus producendos. At verò in primo sensu nulla causa secunda, quantumvis principalis, & totalis appelletur, habet virtutem sufficientem, quia non pendere in sua operatione ab alio solum est proprium causæ primæ, scilicet, Dei. Vnde ex defectu huius sufficientiæ non rectè infertur, nullam causam creatam esse causam principalem, & totalem; nam hæc sufficientia solum requiritur ad rationem causæ primæ, non verò ad rationem causæ principalis, & totalis, quæ reperiri potest inter causas secundas.

9. Ad secundam negamus, posse Deum facere creaturas ita perfectas, vt ipsæ solæ producant suos effectus. Et contradictio, quæ in hoc reperitur, est, quia dependentia non solum in suo esse, sed etiam in sua actuali operatione ab influxu, seu concursu immediato Dei est de intrinseca ratione creaturæ.

10. Ad tertiam dicimus, antecedens esse verum, & intelligendum in causis non per se subordinatis; nam, si causæ per se subordinantur, (vt per se subordinantur causæ secundæ, & pri-

primæ) potius reperitur oppositum, scilicet, in effectu nullā esse formalitatem assignabilem, quæ non attribuitur vtrique causæ, vt principio per se, & immediatè operatio.

11 Sed quia dupliciter potest dici aliquid immediatè influere in suum effectum, scilicet, & immediatione virtutis tantum; atque immediatione virtutis, & suppositi simul; idè dubitant auctores, an, cum Deus dicitur immediatè concurrere, seu influere cum causis secundis ad earum effectus, hoc sit intelligendum solum de immediatione virtutis? an non solum de immediatione virtutis sed etiam de immediatione virtutis, & suppositi?

12 Pro quo est aduertendum, tunc dici aliquid agere, seu influere in aliquem effectum immediatione suppositi, & virtutis, quando non solum influit in illum per virtutem propriam, sed etiam per virtutem propriam in ipso et existentem, & non receptam in aliquo supposito medio, v.g. cum ignis calefacit aërem sibi contiguum, dicitur illum calefacere immediatione virtutis, & suppositi; at, cum calefacit aërem à se remotum, licet illi dicatur calefacere immediatione virtutis, quia re vera illum calefacit per calorem, qui est virtus ignis, non tamen dicitur illum calefacere immediatione suppositi, quia calor, quo effectiue

calefacit aërem remotum, non est in igni, sed in aere, qui mediat inter aërem, & ignem remotum.

13 Hoc supposito Ferrara 3. contra gentes cap. 7. et si contra Durandum sustineat, Deum immediatè influere, seu concurrere cum creaturis ad ipsarum effectus; affirmat tamen non influere, seu concurrere ad prædictos effectus immediatione suppositi, sed solum immediatione virtutis. Fundamētum eius est, quia non videtur illi aliter posse saluari illud commune Philosophorum proloquium, *Deus agit medijs causis secundis.*

14 Sed vera, & communis sententia docet, Deum influere seu concurrere cum causis secundis ad ipsarum effectus, non solum immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi. Et ratio est, quia hoc non solum præstat per virtutem propriam, sed etiam per virtutem in ipso existentem. Quod sic demonstro. Quando Deus concurrat cum causis secundis ad earum effectus, aut hoc præstat per virtutem creatam, vel per virtutem incretam? si per creatam, cum hæc nihil aliud sit, quàm virtus causarum secundarum, sequitur manifestè, Deum non concurrere ad effectus causarum secundarum immediatè, sed mediatè, scilicet, in quantum creaturis dedit virtutem agendi, & illam in ip-

ipsis conseruat; quod est incidere in opinionem Durandi iam refutatam. Si per virtutem incretam, cum hæc solum existat in Deo, sequitur, quod non solum concurrat per virtutem propriam, sed etiam per virtutem in eo existentem. Hoc autem est concurrere immediatione virtutis, & suppositi.

15 Fundamētum autè Ferrariensis infirmum est: nam si communi Philosophorum proloquio Deus dicitur aliquos effectus operari medijs causis secundis, non eo dicitur, quia Deus mediatè, causæ verò secundæ immediatè illos operentur; sed ad denotandum, effectus illos non solum provenire à Deo, sed etiam a causis secundis, licet cum hoc discrimine, quod à Deo, vt ab agente primario, & à nullo in operando dependenti; à creaturis verò, vt ab agentibus secundarijs, & à Deo, tam in virtute operandi, quàm in ipsa actuali operatione dependentibus.

SECTIO II.

Explicatur, quid sit hic concursus Dei: & quomodo ad concursum creaturarum comparatur?

16 Circa primū, quod quærit sectio, Caietan. 1. p. q. 25. art. 1. existimat, non solum concursum Dei, quo immediatè influit cum causis secundis,

sed in vniuersum omnē influxum, quo mediante aliquid producit ad extra, non esse quid creatum, sed esse actum intrinsecum ipsius diuinæ voluntatis. Fundamētum eius est, quia forma solum denominat subiectum, in quo est. Sed ab influxu, quo Deus producit, seu agit aliquid ad extra, siue se solo, siue cum causis secundis, denominatur Deus agens, seu producens ad extra: ergo talis influxus est aliquid existens in Deo, nimirum, actus intrinsecus suæ diuinæ voluntatis.

17 Sed communis, & vera sententia duo affirmat. Primū est, concursum Dei sumptum pro influxu, quo mediante Deus simul cum creaturis influit in earum effectus, esse quid creatum. Secundum est, esse idem realiter cum concursu causarum secundarum, sumpto etiam influxu causarum secundarum pro influxu, quo medio influunt in suos effectus. Itaque in productione cuiuscumque effectus, qui simul à Deo, & à causis secundis producit, non est assignandus duplex influxus, vnus, quo Deus influat in prædictum effectum, & alius, quo influant causæ secundæ, sed eodem realiter influxu tam Deus, quàm causæ secundæ influunt in prædictum effectum.

18 Et in primis concursum Dei sumptum pro influxu

non esse, quid increatum, sed potius, quid creatum, saltem vt quo, conuincitur ex Scriptura, quæ de omni actione Dei ad extra (sumpta actione Dei ad extra tam pro influxu, quo medio aliquid ad extra producit, quàm pro relatione rationis producentis ad productum, quæ concipitur resultare in diuina omnipotentia, vt connotat istum influxum) expressè affirmat, esse quid temporale. Genesis 1. *In principio creauit Deus Calum, & terram.* Et ad Galatas 4. *Quando uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Temporale autem non potest esse quid increatum, sed necessariò est quid creatum, vel vt quod, vel vt quò iuxta qualitatem illius.

19 Ratio uerò à priori est, quia còcurfus Dei sumptus pro influxu, quo medio influat simul cum causis creatis ad earum effectus, nihil aliud est, quàm ipsi effectus, qui proueniunt à Deo, & à creaturis, in fieri, id est, in statu imperfecto uix, & tendentiæ ad statum perfectiorem considerati. Còstat autem effectus, qui proueniunt à Deo, & à creaturis in fieri, seu in statu imperfecto uix, & tendentiæ ad statum perfectiorem consideratos, esse quid creatum; cum solù differant modaliter à se ipsis in statu perfecto, qui dicitur in facto esse, consideratis: est enim eadem res effectus in fieri, & ef-

fectus in facto esse, sed affecta diuersis modis essendi.

20 Deinde concursus Dei, & concursus creaturarum (si sumantur pro influxu, quo medio influat in effectum) esse idem realiter, seu eundem numero influxum, sic ostendo. Influxus, quo medio creaturæ influunt in suos effectus, cum sit quid creatum, debet poni quid dependens à Deo. Sed non dependet à Deo medio alio influxu: (quia sicuti actionis non datur actio, ita neque influxus datur influxus; aliàs procederemus in infinitum) ergo dicendum est, pendere à Deo, quia sicut se ipso, & immediate egreditur à causis creatis, ita se ipso, & immediate progreditur à Deo. Sed per hunc influxum, vt progreditur à Deo, Deus influat in effectus creaturarum, non secus, ac influunt ipsæ creaturæ: ergo uita illum non debet poni alius influxus, quo Deus influat in effectus creaturarum, sed affirmandum, Deum, & creaturas in ipsarum effectus influere eodem numero influxu.

21 Consultò autem dixi sumptus concursu Dei pro influxu, & similiter sumptus concursu creaturarum pro influxu, quo medio tam Deus, quàm causæ secundæ influunt in earum effectus; quia in præsentis hoc pacto tam concursus Dei, quàm concursus causarum sumuntur à Do-

ctoribus; (vt in proæmio huius quæstionis aduertit) nam, si tam concursus Dei, quàm causarum secundarum sumerentur, non pro influxu, sed pro formis, à quibus tam Deus, quàm causæ secundæ habent, quòd sint, & denominentur simul causantes, seu producentes effectus, philosophandum esset, sicut in vniuersum quæst. 5. philosophabamur de causalitate, seu forma, à qua causæ efficientes habent, quòd sint, & denominentur causæ in actu secundo, seu actuali exercitio; & consequenter dicendum, concursus Dei, & concursus causarum secundarum, sumptos pro formis, à quibus formaliter, & proximè habent tam Deus, quàm causæ secundæ, quòd sint, & denominentur simul causantes, & producentes effectus, esse relationes producentis ad productum, quæ non solùm non identificantur, sed in causis secundis est relatio realis; in Deo autem est relatio rationis: sumptos autem pro formis, à quibus fundamentaliter, & remotè habent tam Deus, quàm causæ secundæ, quòd sint, & denominentur simul causantes, & producentes effectus, esse fundamentum proximum prædictarum relationum: quod in Deo est eius omnipotentia, in causis, uerò secundis virtutes, seu potentie, quas habent ad efficiendum, licèt non utcumque; sed

vt connotant, seu concernunt influxum, quo mediante simul influunt in effectus. Quæ ratione, etsi concursus Dei, & causarum secundarum ratione illius, quod dicunt pro connotato, identificentur; (vt iam probatum est) tamen ratione illius, quod dicunt in recto, maximè differunt; cum in Deo sit aliquid increatum identificatum cum sua substantia; in causis uerò secundis quid creatum etiam cum ipsarum substantijs identificatum.

22 Et ex his patet ad fundamentum Caietani: fatemur enim libenter, formam solùm denominare subiectum, in quo est; (Hæc enim est doctrina Scotica, non Thomistica, quamvis ueritate coactus ipsam hic admittat Caietanus.) sed negamus, formam, à qua Deus denominatur agens, seu producat ad extra, siue se solo, siue cum causis secundis, esse influxum, quo medio influat in effectus: (Hic enim influxus, cum in omnium sententia non sit in Deo, sed in effectu, si esset forma denominans, agens, seu producat, potius ab ipso denominaretur agens, seu producat ipse effectus, quàm ipse Deus.) sed dicimus, formam, à qua Deus formaliter, & proximè denominatur agens, seu producat ad extra, esse relationem rationis producentis ad productum, quam còcipimus resultare in Deo ex

eo, quòd influat in effectus ad extra; formā verò, à qua Deus denominatur fundamentaliter, & remotè agens, seu producens ad extra, esse illius diuinam omnipotentiam, licèt nò vtcumque; sed vt connotat, seu concernit influxum, quo medio influit in effectus ad extra.

23 Circa secundum, quod quæritur in hac sectione, primò dubitant auctores, an inter concursum Dei, & concursum causarum secundarum ponenda sit aliqua distinctio? & quæ nam hæc sit? Quidam dicunt, non solum constituendam esse distinctionem, sed distinctionem plusquam specificam; imò plusquam genericam. Fundamentum est, quia principia, per ordinem ad quæ distinctionem sumunt, sunt Deus, & causæ secundæ, quæ plusquam specie, imò plusquam genere differunt, cum Deus non ponatur in predicamento, sicut collocantur causæ secundæ.

24 Hunc modum philosophandi alij acriter reprehendunt. Tum, quia actiones non ex principijs, sed ex terminis debent specificari. Tum etiã, quia absurdum videtur, inter ea, quæ sunt idem realiter, & consequenter eadem numero (vt dictum est, esse concursum Dei, & causarum secundarum) ponere specificam distinctionem, quantò magis plusquam specificam; imò plusquam ge-

nericam; nam specifica maior distinctio est, quàm numerica, & illam necessariò præsupponit.

25 Sed in hac re nihil controuersæ, æquiocationis autem plurimum latere iudico: quam vt auferamus, atque quid in præsentī dicendum sit, elucescat, reuocandum est in memoriam id, quod haud semel ex Scoto in 4. dist. 13. quæst. 1. liter. H. animaduertimus, scilicet, actionem, seu còcursum (siue Dei, siue causarum secundarum) sumptos pro re acta, vt includit respectum, quem exprimit esse ab alio, (quæ est acceptio, in qua sumpt sit Arist. actionem in 3. Physicorum) duo involuere, vnum pro materiali, scilicet, influxum, seu ipsum effectum, seu rem actam *in fieri*; & alterum pro formali, scilicet, respectum, quem exprimit esse ab alio, scilicet, à Deo, vel à causis secundis. Ad rem ergo. Si actiones, seu concursus Dei, & causarum secundarum materialiter sumantur, auctores prioris sententiæ merito ab auctoribus posterioris reprehendantur: siquidem actiones, seu concursus Dei, & causarum secundarum, vt sic, non solum non differunt plusquam specie, vel genere, sed potius sunt idem omninò realiter: (vt supra statutu est) neque actiones, seu concursus isti, vt sic, specificationē sumunt à principijs, sed solum

à ter-

à terminis, cum quibus sunt eadem res solum modaliter diuersa.

26 Si verò actiones, seu concursus Dei, & causarum secundarum formaliter accipiatur, auctores prioris sententiæ immeritò ab auctoribus posterioris reprehenduntur; nã optimè dicunt, vt sic, actiones, seu còcursum Dei, & causarum secundarum plusquam genere differre; siquidem relatio, quam exprimit effectum esse à Deo, quã dicit actio, seu concursus Dei pro formali; & relatio, quam exprimit, eundem effectum esse à causis secundis, quam pro formali dicit actio, seu còcursum causarum secundarum, plusquam genere differunt; cum non solum vna sit ratio, & altera realis, sed etiam fundamenta harum relationum, quæ sunt, à quibus specificantur, (Relationes enim non solum à terminis, sed etiam à fundamentis sumunt specificationem, ex dictis in Logica cap. de ad aliquid disput. 3. q. 2.) plusquam genere differant; nam vnus fundamentum est Dei omnipotentia; alterius verò virtus, seu potentia effectiua causarum secundarum, quatenus connotant, vt conditionē, præviè requisitam, influxum, quo medio tam Deus, quàm causæ secundæ influunt in effectum. Omnipotentia autem Dei, & virtus, seu potentia effectiua causarum secundarum plus-

quam genere differunt.

27 Secundò dubitant auctores, quinam ordo prioris, & posterioris sit constituendus inter concursum Dei, & concursum causarum secundarum? nam constituendū esse aliquē ordinem prioris, & posterioris videtur omninò necessariū; siquidē causa prima, & causæ secundæ in causando sunt per se, & essentialiter subordinatæ; & implicationem involvit, duas causas in causando per se, & essentialiter subordinari absque aliquo ordine prioris, & posterioris intercedenti inter earum causalitates. Nomine autem concursus Dei intelligimus influxum, quo influit in effectus creaturarum prout connotat respectum, quem exprimit esse à Deo. Nomine verò causarum secundarum eundem numero influxum prout connotat respectum, quem exprimit esse à causis secundis.

28 Est autem triplex ordo prioris, & posterioris, de quo procedere potest præsens difficultas. Primus dicitur durationis; & consistit in hoc, quòd illud, quod dicitur prius, existat prius duratione, quàm illud, quod dicitur posterius: & ideo ab aliquibus solet appellari ordo prioritatis *in quo*, id est, in quo vnū existit alio non existere. Secundus dicitur naturæ, supra prioritate naturæ strictè, & in rigore; quæ ratione illud dicitur prius natura alio, quod

est causa illius, etiam si sint simul tempore, & conuertantur secundum subsistendi consequentiam: Cuius prioritatis mentionem fecit Arist. capite de modis prioris in fine capitis, & eam veram, & realem appellauit. Tertius dicitur dignitatis seu perfectionis; & est ille, secundum quem digniora, & perfectiora dicuntur priora minus dignis, & perfectis: qui est quartus modus prioris ex quinque ab Arist. loco citato numeratis; quem ipse improprium appellauit.

29. His suppositis conueniunt omnes, inter concursum Dei, & concursum causarum secundarum non esse ordinem prioris, & posterioris, qui dicitur durationis, assignandum. Ratio est, quia concursus Dei, & concursus causae secundae est idem numero influxus, & solum differunt penes diuersas habitudines, quas exprimunt esse à Deo, & esse à causa secunda: (vt ex supra dictis constat) ergo implicat, quod ad inuicem separentur, & consequenter, quod detur aliquod instans durationis, seu temporis, in quo vnus dicatur esse, seu existere, & non alius. Et confirmatur; quia, si prius tempore existeret concursus Dei, quam concursus causae secundae, aut è contra, sequeretur, aut quod vna ex praedictis causis esset superflua, & nihil efficiens; (illa, scilicet, cuius cōcurfus, seu in-

fluxus esset posterior tempore) aut, si non esset superflua, sed etiam influeret tempore posteriori, idem numero effectus bis produceretur; quorum vtrumque est absurdum.

30. De ordine autem prioris, & posterioris secundum naturam, quam plures affirmant, reperiri inter concursum Dei, & concursum causarum secundarum, quamvis in illo explicando multum dissideat. Quidam dicunt, concursum causarum secundarum esse natura priorem concursu Dei, praesertim loquendo de concursu Dei cum causis secundis liberis. Fundamentum eorum est, quia concursus Dei est indifferens ad quodcumque ad quod causa secunda libera se voluerit determinare: ergo quod determinetur ad istā potius, quam ad illā, pendet ex concursu, seu determinatione causae secundae liberae; & consequenter concursus causae secundae liberae erit prior natura concursu Dei: quia (vt supra dicebamus) illud dicitur prius alio in hoc ordine prioritatis naturae, quod est causa illius, seu à quo aliud pendet. Antecedens probant, quia, si concursus Dei non esset indifferens, sed determinatus ad vnam partem, non esset in potestate, seu libertate causae secundae liberae se determinare ad quodcumque voluerit: si quid è hoc praestare non potest sine concursu Dei. Huic sententiae fa-

fauet Caiet. 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. in quā um dicit, concursum Dei modificari per cōcursum causae secundae. Quem modum loquēdi habet etiam Molina in cōcordia disp. 38. & eodem modo loquitur noster Corduba lib. 1. q. 55. du bio 10. Imò videtur hęc sententia Scoti: nam in 2. d. 37. q. vnic. §. *Ad solutionem istorū*, docet, quod etiam si tam Deus, quam causa secunda concurrant ad actum peccati, malitiā attribui causae inferiori, (scilicet, causae secundae) non verò causae superiori, (scilicet, Deo) non quia causa superior causet rectitudinem in effectu, & inferior obliquitatē; sed quia causa superior, quantum est de se, causeret, si eam inferior secundum suam causalitatem causeret: & ideo rectitudinem non causari est propter hoc, quia causa secunda, quantum ad se pertinet, non causet. Quibus verbis videtur insinuare Scotus concursum Dei esse indifferentem ad operationem bonam, vel malam; determinari autē ad malam potius, quam ad bonam à cōcurfu causae secundae.

31. Alij per oppositum affirmant, concursum Dei esse priorem natura concursu causae secundae. Quorū fundamentū est, quia causa secunda in operando necessariò dependet à concursu causae primae, illique essentialiter subordinatur. Pro

hac sententia citantur, quam plures Thomistae, quos cōsulto omitto, quia non locuntur de concursu, quo Deus simul cū creaturis influit in eorū effectus: qui est concursus, de quo in praesenti est sermo; & de quo supra diximus, esse eundem numero influxum cum influxu, quem importat concursus causae secundae: sed loquuntur de influxu, seu concursu in causam secundam, quem isti fingunt, distinctum à concursu, quo simul cum ipsis influit in effectū, & ab eo dicuntur causae secundae physicè praedeterminari ad agendū: de quo concursu, seu influxu, an detur, vel non detur? futurus est sermo sectione sequenti; vbi aliquas auctoritates Scoti, quae videntur huic sententiae fauere, adducemus, atque expendemus.

32. Demum alij volunt; has duas extremas sententias in concordiam reuocare, affirmando, concursum Dei esse priorem natura concursu causarum secundarum in genere causae efficientis; atque in hoc sensu esse veram, & intelligendam secundam sententiam. At verò in genere causae materialis concursum causarum secundarum esse priorem natura cōcurfu Dei: & in hoc sensu esse veram, & intelligendam primam sententiā. Quod declarāt exemplo concursus solis cum homine, seu semine ad generationē alterius hominis; qui etiā

si in genere causæ efficientis dici debeat prior natura concursu hominis, seu seminis; eo quod hic concursus non possit esse sine illo; tamen dicitur posterior in genere causæ materialis, in quantum concursus solus, qui vniuersalis est ad plures effectus, determinatur à cōcursu hominis, seu seminis ad hunc specialem effectum generationis hominis. Ita ergo dicunt in proposito contingere; nam concursus Dei, cum sit causæ primæ, à qua causæ secundæ in operari dependent, erit prior natura concursu causarum secundarum in genere causæ efficientis. At, cum sit generalis, & vniuersalis ad plures effectus, & per receptionem in causa secunda determinetur ad specialem, & determinatum effectum, erit posterior natura concursu causarum secundarum in genere causæ materialis.

33 His tamen non obstantibus dicendum nobis est primò, inter concursum Dei, & concursum causarum secundarum nullum posse reperiri ordinem prioris, & posterioris secundum naturam propriè, & strictè, scilicet, sumpto ordine naturæ pro ordine veræ causalitatis, & dependentiæ vnius ab alio; ac per consequens non solum duas extremas sententias supra relatas, sed etiam tertiam, quæ ipsas concordabat, esse falsas. Secundò dicendum est, con-

cursum Dei esse priorem concursu causarum secundarum prioritatem dignitatis, & perfectionis: qui est ille ordo prioris, quem Arist. cap. de modis prioris quarto loco numerauit, atque ipsum improprium ordinem prioris appellauit.

34 Hanc sententiam quoad utramque partem tradidit nobis Scotus; nam in 2. d. 37. q. vnica, §. Ad solutionem istorum, expressè dicit, inter causas subordinatas in causando (vt sunt causa prima, & secunda) non esse prioritatem naturæ, neque prima influere in effectum priusquam secundam, nisi in eo sensu, quo id, quod est perfectius, dicitur natura prius. Et in 4. dist. 1. q. 1. propè finem dicit, causam secundam agere in virtute primæ non esse recipere aliquid protunc ab ea, sed tantum esse habere ordinem inferioritatis ad illam agentem in suo ordine simul cum ipsa. Scutum sequuntur non solum discipuli, sed etiam plures ex D. Thomæ expositoribus, inter quos est Suarez in Metaph. disput. 22. sect. 3. n. 9.

35 Prioris partis nostræ sententiæ ratio est; quia ordo prioris, & posterioris secundum naturam (sumpto ordine prioris, & posterioris secundum naturam propriè, & strictè, scilicet, pro ordine veræ causalitatis, & dependentiæ vnius ab alio) requirit necessariò distinctionem realem inter extrema.

(Quip;

(Quioppè idem non potest realiter causari, & dependere à se ipso.) Sed concursus Dei, & concursus causæ secundæ sunt idem realiter numero influxus: (vt probatum est) nequit ergo inter concursum Dei, & concursum causæ secundæ prædictus ordo prioris, & posterioris secundum naturam intercedere.

36 Posteriores verò nostræ sententiæ partem sic ostendo. In omnium sententia omnis causa secunda in operando ita essentialiter, & per se subordinatur causæ primæ, vt nequeat influxus, seu actio causæ secundæ ab ea oriri, quin simul oriatur à causa prima. Sed hæc subordinatio, & dependentia non potest in alio fundari, quam in superioritate, & vniuersalitate, quam habet in operando causa prima super omnes alias causas: ergo necessariò fatendum est, influxum, quo medio tam causa prima, quam secunda producant aliquem effectum consideratum pro vt egreditur à causa prima, (quo pacto dicitur concursus Dei) esse priorem prioritatem dignitatis, & perfectionis semetipso considerato, in quantum progreditur à causa secunda; qua ratione dicitur concursus illius.

37 Restat, vt argumentis adductis pro tribus illis sententijs, quæ inter concursus causæ primæ, & secundæ ordinem prioris, & posterioris secundum natu-

ram admittebāt, satisfaciamus. Ad fundamentum primæ respōdetur, falsum assumere, scilicet concursum, quo Deus concurret cum hac, vel illa causa secunda esse indifferentem ad plures effectus, determinarique à concursu causæ secundæ. Licet enim Deus sit causa vniuersalis, possitque præstare concursum ad productionem omnium effectuum causarum secundarum necessarium: tamen quando hic, & nunc concurret cum hac, vel illa causa secunda, concursum particularē, & determinatum ad solum effectum huius, vel illius causæ tribuit. Neque ex hoc sequitur, non esse in potestate causæ secundæ liberè se determinare ad quodcumque ipsa voluerit: nam licet ex vi illius concursus, quo Deus de facto cum illa concurret ad hanc numero operationem, non possit causa libera elicere aliam diuersam operationem, sed ad illam indigeat alio diuerso cōcursu: tamen considerata causa libera in actu primo, & antequam operetur, (quo pacto dicitur potens se determinare ad quodcumque ipsa voluerit) habet Deum paratum præstare quemcumque cōcursum necessarium ad opus, ad quod ipsa se determinare voluerit; & sicut quando se de facto determinat ad istud opus, tribuit illi Deus cōcursum ad hoc opus requisitum, tribueret cōcursum ad aliud opus necessarium, si

si causa libera non ad hoc opus, sed ad aliud se determinaret. Et hæc est doctrina, quam commendat Scotus verbis adductis in favorem primæ sententiæ.

38 Ad fundamentum secundæ dicimus, causam secundam dici pendere in operando ex concursu causæ primæ, illique essentialiter subordinari, non quia concursus Dei sit causa concursus causæ secundæ; quia, cum isti concursus sint realiter idem numero influxus, impossibile iudicamus, hunc ordinem causalitatis posse intercedere inter ipsos: sed quia tanta est superioritas, & universalitas, quam habet causa prima in causando, ut nequeat influxus, quo medio causa secunda operatur suos effectus, oriri ab ipsa, quin simul oriatur à causa primæ. Unde ex dependentia, & subordinatione, quam habet causa secunda in operando à concursu causæ primæ, etsi optimè inferamus, inter concursum Dei, & concursum causæ secundæ dari ordinem prioris, & posterioris secundum dignitatem, & perfectionem, secus verò secundum naturam, & causalitatem.

39 Exemplum autem concursus solis cum homine, aut eius femine ad producendum alium hominem, quo auctores tertie sententiæ utebantur ad probandum, seu explican-

dum, quomodo concursus Dei sit prior natura in genere causæ efficientis concursu causarum secundarum, & posterior natura in genere causæ materialis, potius poterat adduci ad oppositum suadendum, & declarandum. Nam, cum concursus solis, & concursus hominis, aut illius feminis, quibus concurrunt ad generationem alterius hominis, sint realiter idem numero influxus, (non secus ac dictum est de concursu Dei, & de concursu causarum secundarum) fatendum est, inter concursum solis, & concursum hominis, seu eius feminis nullum ordinem prioris, & posterioris secundum naturam intercedere; sed tantum dici priorem concursum solis concursu hominis, seu eius feminis prioritate dignitatis, & perfectionis. Quæ assertiones probandæ sunt, cum proportione debita, eisdem fundamentis, quibus similes assertiones de concursu Dei, & de concursu causarum secundarum stabiluimus, & probationibus, quæ in contrarium adducuntur, eisdem solutionibus erit cum debita proportione occurrendum, quibus occurrebamus obiectio-

nibus factis ab auctoribus primæ, & secundæ sententiæ.

SECTIO III.

Explicatur, verum præter influxum Dei in effectus creaturarum, qui dicitur concursus, necessario præexigatur alius influxus Dei in creaturas, ipsas physicè prædeterminans ad agendum?

40 **P**artem affirmatiuam tenent rigidi Thomistæ, scilicet, præter influxum, quo simul Deus cum causis secundis influit in earum effectus, & dicitur concursus Dei in effectum, (de quo hucusque locuti sumus) requiri etiam necessario alium influxum, quo solus Deus influit in causas secundas in actu primo, & prius natura, quam operari incipiant, ipsas physicè mouendo, & applicando ad actualem operationem, quæ eo ipso præmotio, seu prædeterminatio physica debet appellari. Ita Ferrara 3. contra gentes cap. 70. Medina 1. 2. q. 109. art. 2. Bañez 1. p. q. 14. art. 13. & 22. q. 10. art. 1. documento 3. Zumel 1. p. q. 23. art. 3. disp. 8. & 1. 2. q. 111. art. 3. disp. 2. & 3. Cabeçudo 3. p. q. 63. art. 5. Alvarez lib. 3. de auxilijs disp. 18. Patres Carmelitani disp. 11. q. 2. & 3. Quod si ab his auctoribus petas, quid sit in causa secunda hæc influentia, qua Deus in actu primo ipsam physicè præmouet, & prædeterminat ad actualem operationem? dicunt

esse quamdam qualitatem ipsi causis secundis à solo Deo impressam, non permanentem, sed transeuntem, (quam ideo intentionalem appellat) similem impulsui, qui ab extrinseco imprimitur in lapide, & eum determinat ad motum localem.

41 Horum fundamentum est, quia existimant, hanc esse sententiam non solum Scoti, sed etiam D. Th. & Aristot. Scoti; quia pluribus in locis, præcipue in 1. d. 2. q. 2. §. *Ostenj, oesse de proprietatibus*, versiculo, *Item tertio*; & d. 8. q. 5. §. *Contra igitur*, versiculo, *Secundo arguo sic*; & in fine quæstionis literis BB. respondendo ad vltimum; & d. 39. q. vnic. §. *Contra ista argutum est*; & in 2. d. 1. q. 3. §. *Tenentes* expressè docet, causam secundam non mouere, nisi motam à prima. Imò ex hoc principio colligit, quod, si causa prima ageret ex necessitate naturæ, auferretur à rebus contingentiæ. Quæ consequentia non videtur efficax, nisi supponendo, motionem, qua mouentur causæ secundæ à prima, esse præuiam, & antecedentem ad ipsarum operationes.

42 D. Thomæ; quia apud ipsum frequentissimè reperitur, ad actionem cuiuscumque agentis creati non solum esse necessarium, ut à Deo accipiat virtutem operandi, & quod Deus conferuet illam virtutem, sed etiam esse requisitum, ut à Deo

Deo moueatur ad actualem operationem. Legite illum 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & q. 105. ar. 5. & 1. 2. q. 9. ar. 6. & q. 10. art. 4. & q. 109. art. 1. & de Malo q. 2. art. 2. & 3. contra gentes cap. 69. & 71.

43 Aristotelis, quia s. Physicorum text. 33. loquens de causa prima, & secunda, etsi affirmet vtrumque mouere, id est, actuè producere effectum; tamè cum hoc discrimine, quod prima mouet secundam ad talem operationem, non tamen è contra verba Aristotel. sunt. *Vtrumque igitur mouere dicimus, & primum, & ultimum mouentium; sed magis primum illud enim mouet ultimum, sed non hoc primum; & sine primo quidem ultimum non mouebit; illud autem sine hoc; ut baculus non mouebit, non mouente homine.*

44 Imò ex doctrina istorum Doctorum desumitur prima ratio pro ista sententiâ; quæ sic efformari potest. Causa secunda secundum Scotum, D. Th. & Aristot. non operatur, nisi à causa prima ad hoc moueatur: ergo præter concursum Dei quo simul cum ipsa causa secunda influit in eius effectum, assignandus est alius influxus Dei in ipsam causam secundam habens pro termino aliquam qualitatem physicè prædeterminantem ipsam causam secundam operari, per cuius receptionem causa secunda verè dicatur moueri ad ope-

randum. Probo consequentiâ, quia, cum per cõcursum, quo Deus simul cum causa secunda influit in eius effectum, nihil producat in causa secunda, per cuius receptionem ipsa dicatur moueri ad operandum, sed totum, quod producit, sit in ipso effectum, qui est terminus talis concursus, seu influxus Dei, ponendo hunc solum concursum, seu influxum, impossibile est, quod saluetur prædicta doctrina Scoti, D. Thom. & Aristotel.

45 Et vrgetur amplius; nam iuxta doctrinam Aristot. supra traditam, quâ etiam amplectuntur Scotus, & D. Thom. etsi causa prima, & secunda concurrant ad productionem eiusdem effectus, sed cum hoc discrimine, quod causa prima non solum est causa istius actionis productiue, provt est ab ipsa causa prima, sed etiam provt est, seu profluit ab ipsa causa secunda: at verò causa secunda, etsi sit causa istius actionis productiue, vt ab ipsa causa secunda prouenit, non tamen provt prædicta actio productiua prouenit à causa prima: ergo præter concursum simultaneum, quo Deus simul cum causa secunda influit in eius effectum, assignandus est alius influxus, seu concursus præuius in causam secundam, per quem Deus præmoueat, & prædeterminet ipsam ad operandum; & ratione cuius attribui possit Deo, tam-

tamquam causæ illa actio productiua effectus, vt prouenit à causa secunda. Patet consequentiâ; quia ratione concursus simultanei, etsi possit Deus dici causa prædictæ actionis productiue, vt prouenit ab ipso Deo, non tamen, vt prouenit ab ipsa causa secunda.

46 Secunda ratio (& qua vtuntur Patres Carmelitani) desumpta est ex inconuenienti, quod sequeretur, si Deus per influxum præuium distinctum à concursu simultaneo nõ præmoueret, & prædeterminaret causam secundam ad agendum: sequeretur enim, (inquiunt) quod causa secunda esset primum se mouens; & primum se determinans ad operationem: quod est esse primum principium simpliciter. Consequens autem est absurdum; quippè est incidere in errorem Manichæorum, qui ponebant plura prima principia in ordine operatio

47 Tertia, & vltima ratio (& qua communiter vtuntur ferè omnes auctores huius sententiæ) sic efformari potest. Causa secunda nequit agere, quin Deus simultaneè cum illa influat in effectum: ergo necessarium est, quod à Deo præmoueatur, & prædeterminetur ad agendum per physicum influxum distinctum à concursu simultaneo. Probant consequentiâ; nam, cum ad illam actionem indispensabiliter desideretur cõcursum simultaneum duarum causa-

rû, oportet, quod vel vna applicet, & determinet aliam ad operandum; vel quod vtraque applicetur, & determinetur ad simul operandum ab alia tertia causa: aliàs omnino à casu sequeretur illa similtas concursuum: ergo cum nequeat causa secunda applicare, & determinare primam, neque aliqua tertia causa sit excogitabilis, quæ vtramque applicet, & prædeterminet, necessarium erit, quod causa prima (scilicet, Deus) applicet, & determinet secundam: aliàs cæco impetu influeret cû causa secunda; quia nesciret, quando illa inciperet operari; & an exhibitura esset suum concursum simultaneum, necne; ac proinde, an concursus suus esset obtenturus sinè, pro quo exhibetur, an non?

48 His tamen non obstantibus tenendum est, ad hoc, vt causæ secundæ (siue liberæ, siue necessariæ sint) operentur, nullo patto esse necessarium aliquem præuium influxum, per quem Deus physicè applicet, & determinet causas secundas ad actualem operationem, sed sufficere concursum simultaneum, quo simul cum causis secundis influit in earum effectus. Hæc est sententiâ Scoti locis citatis sectione præcedenti numer. 33 quem omnes discipuli secuntur; imò, si rigidos illos Thomistas pro prima sententiâ citatos excipias, est communis sententiâ inter ex-

expositores D. Thom. nam illam tenent omnes auctores è Societate Iesu; tenent etiam Lorca 1. 2. sect. 4. disp. 38. & sect. 6. disp. 20. Ioannes Gonzalez super 1. p. Caietanus 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. Vbaldensis lib. 1. doctrina lris fidei à capit. 23. vsque ad 28. Rosensis art. 36. contra Luthærum, Driedo de Captiuitate, & redemptione tract. 4. cap. 2. & tract. 5. cap. 4. & quã plures alij.

49 Ratio à priori huius nostre sententiæ est, quia non apparet, ad quid requiratur necessariò iste influxus Dei præuius in causa secunda ipsam physicè applicans, & determinans ad operandum actualiter, seu ad actualem operationem. Nam ad hoc, vt causæ secundæ prorumpant in actualem operationem (supposito, quòd habeant virtutem proportionatam suis effectibus, à nullo agēte extrinsecam impediram, & similiter supposito, quòd adsint communes conditiones, quæ ad agendum requiruntur, vt sunt, si causæ sint necessariae, vt est ignis, approximatio debita subiecti, in quod agant, & si sunt liberae, vt est voluntas nostra, propositio obiecti per cognitionem congruam, in quod tendat) sufficientissimus est concursus Dei, quo simul cum ipsis causa prima influit in earum effectus; nam ratione prioritatis, dignitatis, & perfe-

ctionis, quam diximus sectione præcedenti habere istum concursum ad còcursum causarum secundarum comparatum, optimè saluatur essentia. lris subordinatio, quam habent causæ secundæ in operando ad causam primam. Itē quòd causa secunda nō moueat, seu operetur, nisi mota à prima in sensu, quo hoc prolaturum est à Scoto, D. Thom. & Arist. Item quòd causa prima non solum sit causa actionis productiuæ, vt profluit ab ea, sed etiam vt profluit à causa secunda. Et demum saluatur, solum Deum esse primum principium in ordine operatiuo; vt ex solutione auctoritatum, & rationum, quibus aduersarij suam sententiã corroborabant, satis perspicuum erit.

50 A posteriori verò aliqui probant istam nostram sententiã, quia expositione istius influxus præuij physicè prædeterminantis causas secundas ad operandum, necessariò infertur, (aiunt isti) voluntates nostras non liberè operari, siquidem posita ista prædeterminatione physica, necessariū est, quòd voluntas nostra operetur; & tamen, quòd determinatio ista physica ponatur, nō pendet ex nostra libertate, sed solum ex diuina voluntate. Necessitas autem proueniens ex aliqua suppositione antecedenti, & quæ nullo modo pendet ex nostra libertate, libertatem

om.

omniò tollit; vt cum D. Anselmo in libro de Concordia omnes admittunt.

51 Respondent aduersarij negando sequelam; nam determinationem voluntatis ad aliquam operationem ab isto præuio, & physico influxu prouenientem affirmant, non consistere in hoc, quòd est tollere à voluntate potentiam, seu indifferentiam ad non operandum, seu ad operandum oppositum, vt arguentes supponere videntur; (Hæc enim, inquit, manet in voluntate, quoties manet cognitio proponēs obiectum cum indifferentia) sed consistere in hoc, quòd est ita efficaciter impellere, & inclinare voluntatem ad istam determinatam operationem, vt licet liberè, & cum potestate, & indifferentia ad oppositum, infallibiliter tamen illam operetur. Quæ necessitas non est consequentis, sed consequentiæ, seu (vt alij dicunt, atque in idem redit) est necessitas non in sensu diuiso, sed in sensu còposito Vnde in forma respondent ad probationem prædictæ sequelæ admittendo cum D. Anselmo, atque communi sententiã necessitatem operandi, quæ oritur in voluntate ex aliqua suppositione, tollere ab illa libertatē, quoties illa suppositio est ita antecedens, vt nullo modo pendeat ex nostra libertate; sed negant, influxum istum præuium (qui est supposi-

tio, ex qua oritur, quòd volūtas necessariò operetur) esse omniò antecedentem nostram libertatem. Licet enim quoad esse antecedit nostrum liberum consensum, atque idē dicatur præuius, & antecedēs, tamen quoad operari non est præuius, & antecedens, siquidem non operatur sine interuentu nostri liberi consensūs, & dependet ab illo, quãuis hoc præster infallibiliter, & efficaciter.

52 Fateor, solutionem istam penitus eneruare rationem à posteriori supra factam, neque sufficienter probari, non dari istum influxum præuium physicè præmouentem, seu determinatam causas secundas ad operandum ex eo, quòd ex illius positione auferatur à causis secundis liberis libertas ad operandum. (vt plures auctores contendunt) Tum, quia ratio à posteriori supra facta, aut nihil probat; (vt solutio data satis conuincit) aut si aliquid probaret, probaret etiam, non posse dari prædeterminationes morales, id est, cogitationes antecedentes nostrum liberum consensum ita congruè nostris voluntatibus proponentes obiectum, vt licet liberè, infallibiliter tamen ipsum prosequatur. Imò probaret, non posse Deum, salua nostra libertate, ordine intentionis efficaciter prædefinire nostras liberas operationes. Quæ duæ oppositæ asser-

assertiones non solum sunt veræ; sed etiam à Lorca, Gonzalez, Suarez, aliisque pluribus ex his, qui negant, dari hunc influxum præuium physicè prædeterminantem causas secundas ad agendum, pro viribus defenduntur.

53 Tumeriani, quia principium illud, quo nititur solutio supra tradita, (scilicet, determinationem voluntatis ad aliquam operationem ab isto præuiò, & physico influxu provenientem non consistere in hoc, quod est tollere à voluntate potentiam, seu indifferentiam ad non operandum, seu ad operandum oppositum, &c.) habet fundamentum in doctrina, quam tradidit Scotus in 4. d. 49. q. 6. §. *Dico ergo præsertim vericulo Respondeo*, nimirum voluntatem nostram, supposito, quod habeat propositum obiectum per cognitionem ad liberè operandum requisitam, etsi possit per qualitates in ipsa receptas inclinari ad aliquam operationem; à nulla tamen posse necessitari antecedenter; neque posse assignari qualitatem, quæ auferat ab ipsa potestatem indifferentiæ, quam habet ad operandum. Cuius rationem assignat; quia, cū voluntas natura sua sit agens superius omnibus habitibus, seu qualitatibus, quæ in ipsa produci possunt, semper voluntas vitatur habitibus, seu qualitatibus in ipsa receptis, &

nullus est possibilis habitus, seu qualitas, quæ vti possit ipsa voluntate: quod erat requisitum ad hoc, quod habitus, seu qualitas recepta in voluntate ipsam necessitaret; ab eaque auferret potestatem indifferentiæ, quam habet ad operandum.

54 Sed quamuis solutio data penitus eneruet rationem à posteriori supra factā: tamen ex his, quæ aduersarij in prædicta solutione admittunt, possumus nos superfluitatem huius influxus præuij non leuiter demonstrare. Aduersarij enim fatentur in prædicta solutione influxum istum præuium non esse requisitum in nostra voluntate, vt possit operari; siquidem stante isto influxu physicè prædeterminante voluntatem ad vnam operationem in istorum sententia, adhuc est in potestate voluntatis non operari, imò elicere oppositam operationem, sed solum dicunt esse requisitum ad hoc, vt voluntas ita determinetur ad hanc operationem, vt infallibiliter, & cum effectu ipsam operetur. Modò sic. Quod voluntas ita prædeterminetur ad aliquam operationem, vt licet liberè, infallibiliter tamē, & cum effectu ipsam operetur, non solum prouenire potest ex motione morali, qualis est attractio, seu allectio obiecti ipsi voluntati per cognitionem congruam propositi; (vt ex Theologia nunc suppono, &

& ex doctrina D. Augustini innumeris in locis) sed etiam iste modus ipsam determinandi (scilicet, per motiones morales, & obiectiuas) est ipsi voluntati valde cōnaturalis: ergo si ex mente aduersariorum hic influxus præuius solum est requisitus in voluntate nostra ad hoc, vt ita prædeterminetur ad hanc operationem, vt infallibiliter, & cum effectu ipsam operetur, superfluus erit prædictus influxus præuius, cū per motiones morales, seu obiectiuas non solum possit habere voluntas istam prædeterminationem, sed etiam hoc pacto illam habere, sit illi maxime cōnaturale.

55 Possunt tamen nos hanc nostram sententiam alia ratione à posteriori magis efficaci demonstrare, nimirum, quia ex opposita sententia sequeretur, Deum per hunc influxum præuium, sicut physicè prædeterminat, & mouet voluntates nostras ad actus bonos; ita & physicè præmouere, & prædeterminare ad actus prauos, & vitiosos. Quæ sequela, etsi ab aduersarijs deuoretur; (Non enim possunt illam effugere) sed rem crudam sanè deuorant. Videtur enim necessariò ex ea inferri, non solum Deum esse causam peccati, sed etiam esse primum, & principalem eius auctorem.

56 Respondent, ex eo, quod Deus voluntates nostras per

hunc præuium influxum physicè præmoueat, & prædeterminet ad actus prauos, & vitiosos, solum sequi Deum esse causam actus prauis, & vitiosi pro materiali, non verò pro formali. Sed hæc solutio optima foret, si influxus Dei ad actus prauos, & vitiosos esset solum cōcomitans, sicut nos ponimus: nam malitia, quæ est, quæ actus pravus dicit pro formali, non connectitur ad actum physicum, & realē, quem actus pravus dicit pro materiali, prout prædictus actus physicus, & realis provenit à Deo simul cum voluntate nostra concurrente, sed prout provenit à voluntate nostra inclinatione illius deficiente. Tamen ponendo hunc influxum præmouentē, & prædeterminantē voluntates nostras ad actus prauos, necessariò sequitur, Deum esse primam causam actus prauis, non solum pro materiali, sed etiā pro formali; siquidem ponitur prima causa actus physici, & realis, quem pro materiali dicit actus pravus, non solum vt provenit à Deo concurrente, qua ratione non habet annexam malitiam, sed etiam prout provenit à voluntate nostra deficiente, qua ratione habet annexam, & inseparabilem malitiam.

57 Ad fundamentum aduersariorum dicimus, decipi manifestè, dum sententiam suam reputant traditam à Scoto, D. Thom. & Aristot. Cum enim

enim locis citatis Scotus, D. Th. atque Arist. affirmant, *causam secundam non mouere, nisi motam à prima*, prædictam locutionem non propriè, sed metaphoricè accipiunt; vt inter alios optimè notarunt Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 2. q. 9. sect. 2. & Suarez in Metaph. disp. 22. sect. 2. n. 46. Continet ergo illa propositio metaphorā, atque analogiam quamdam sumptam ex artificialibus instrumentis: (vt exemplum baculi adductum in verbis Arist. satis declarat) nam, quia videmus, hæc sensibilia instrumenta, quæ à nobis in agendo pendent, & in sua operatione nobis subordinantur, non agere, nisi mota à nobis, idè ad explicandum subordinationem, & essentiālem dependentiam in agendo causarum secundarum à prima, dicuntur causæ secundæ non agere, nisi motæ à prima. Proprius autem sensus illorum verborum est, causas secundas non posse agere, nisi simul cum ipsis concurrat in agendo causa prima.

58. Porro, locutionem illam, (*causa secunda non agit, nisi mota à prima*, seu, quod idem est, *causa secunda non agit, nisi in virtute primæ*) cum in Scoto, & in alijs auctoribus reperitur, non esse propriè accipiendam, sicut accipitur, cum loquentes de instrumentis dicimus, *instrumenta non agunt, nisi mota à causis principalibus*, siue, quod idem est, in-

strumenta non agunt, nisi in virtute causæ principalis, sed potius fore accipiendam metaphoricè, & proprius illius sensus esse supra assignatum, dubitari non potest; cum ipsemet Scotus in 4. d. 1. q. 1. propè finem explicās prædictas locutiones ponat hæc verba, *Causam etiam secundam, id est, quæ habet formam actiuam in esse quieto, agere in virtute alterius, non est recipere, tunc aliquid ab illo altero; sed tantum habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in suo ordine simul. sed instrumentum, id est, recipiens formam actiuam in motione, agere in virtute alterius est, tunc actiualem accipere formam ab eo, per quam agit. Et ex hoc patet, quod causæ primæ in causam secundam propriè dictam, quædo simul agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inherētis causæ secundæ, sed influentia ibi est determinatus ordo ipsarum causarum in agendo effectum commune: instrumentum autem, quando agit, recipit influentiam propriè ab eo, cuius est instrumentum, quia motionem actualem, & in motione formam, per quam agit in suo ordine.* Quid ad rem illustrius?

59. Ad rationem desumptam ex præfata locutione Scoti, D. Tho. atque Arist. (scilicet, *causa secunda non mouet, nisi mota à prima*) patet ex dictis, ad solvendam istam locutionem in sensu, in quo ab his Doctoribus prolata est, superflue requiri influxum Dei in ipsam causam secundam habens pro termino ali-

aliquam qualitatem physicè prædeterminantem ad operandum ipsam causam secundam; per cuius receptionem verè, & propriè ipsa causa secunda dicitur moueri ad operandum: siquidem prædicta locutio (vt probatum est) non sumitur ab his Doctoribus propriè; (Aliàs non esset discrimen inter moueri causæ secundæ à causa prima, & inter moueri instrumentorum artificialium à suis causis principalibus) sed sumitur impropiè, & metaphoricè: propriasque illius sensus est, causas secundas non posse agere, nisi simul cum illis concurrat in agendo causa prima.

60. Ad confirmationem dicimus, ex duplici capite prouenire posse illud discriminè, quod inter causam primam, & secundam assignauit Philosophus, nimirum, quod causa prima non solum sit causa actionis productiuæ, vt profluit ab ipsa, sed etiam vt profluit à causa secunda; è contra verò causa secunda, etsi dicatur causa eiusdem actionis productiuæ, in quantum profluit ab ipsa, secus verò, vt profluit à causa prima. Primò, quia virtutem agendi, quam habet causa secunda, recipit à causa prima: at causa prima virtutem agendi, quam habet, non recipit à causa secunda. Secundò, & magis ad intentum obiectionis, quia etiā post acceptam virtutem agendi, actio productiuā non potest

exire à causa secunda, nisi simul exeat à causa prima: at verò actio productiuā optimè exire potest à causa prima, etiā si non exeat à causa secunda. Et in hoc ultimo præcipuè consistit discrimen, quod ibi ponit Arist. Ex quo patet, quam inutiliter recurratur ab aduersarijs ad saluandum hoc discrimen ad influxum præuiū, quæ nec somniauit Arist.

61. Ad secundam rationem, quæ erat Patrum Carmelitanorum, respōdetur, ineptè colligi, quod causæ secundæ forent primum principium, ex eo, quod ad agendum nō præmouerentur à Deo per illum influxum præuiū, qui ab aduersarijs constringitur; nam ratio primi principij non consistit in negatione huius præmotionis: sed si sit primum principium in essendo, consistit in habere esse à se, id est, non participatum ab alio: & si sit primum principium in operando, in hoc, quod est, suam operationem non indigere concursu simultaneo alterius causæ superioris: quorum neutrum conuenit causis secundis, etiam è medio sublata illa præmotione physica, quam aduersarij constringunt.

62. Ad tertium, & vltimum respondetur, rationem, ob quā illa simultas concursus primæ, & secundæ causæ ad productionem alicuius effectus, non est casualis, seu fortuita, non esse

aliquam præmotionem physicam, qua causa prima determinet secundam ad agendum, vel è contra: sed esse diuinam prouidentiam, quæ sicut ab æterno disposuit, quòd essent causæ secundæ tali, vel tali tẽpore cum omnibus conditionibus requisitis ad agendum, & quæ de facto agent, siue necessariò, siue liberè iuxta qualitatem earum, dummodò eis non deficiat concursus causæ primæ ad actualiter agendum requisitus, disposuit etiam concurrere cum ipsis simul, & in eodem instanti, in quo prævidit effecturas esse suos effectus,

dummodò eis non denegetur concursus ad illos efficiendos requisitus. Vndè ineptè inferitur, quòd causa prima cæcoimpetu, & ignorando, quando causa secunda esset operatura, concurreret cum illa: siquidè diuina prouidentia, qua ab æterno hæc omnia sunt disposita, non est cæca, cum dirigatur scientia diuina, qua Deus cognouit non solum omnia possibilialia, sed etiam omnia futura, non solum necessaria, sed etiam libera, quæ cum causis secundis operari decreuit, ut ex Theologia suppono.

DISPUTATIO QUINTA.

De causa finali.

CVM ex Arist. hic text. 23. nomen *finis* dupliciter vsurpetur; primò pro termino cuiuscumque rei; in qua significatione vltima hora diei dicitur eius finis, & mors dicitur finis vitæ. Secundò pro bono, quod agens in exercitio suarum actionum intendit, & in quod, tamquam in scopum, dirigit omnia, quæ molitur; in qua significatione sanitas dicitur finis respectu sumentis potionem. In præsentia disputatione nomen *finis* non accipitur in prima significatione; quia finis, vt sic, non induit rationem causæ, sed potius opponitur principio, à quo res incipit; sed in secunda, qua solum ratione finis induit rationem causæ. Sunt autem sex, quæ de fine, vt sic, solent exagitari, quæ nos per totidem quæstiones absolueamus. Primū, *Quid, & quotuplex sit finis?* Secundum, *Induat ne finis veram, & propriam rationem causæ?* Tertium, *Qui sint illius effectus?* Quartū, *In quo illius causalitas consistat?* Quintum, *An moueat voluntatem secundum suum esse reale, an secundum esse apprehensum?* Sextum, *Utrum agentia naturalia operentur propter finem?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit finis?

I Circa primum, quod quæritur quæstio, nulla est controuersia inter auctores: quippe fatentur omnes cum Arist. hic c. 3. tex. 31. finem esse, cuius gratia aliquid fit: cum enim finis cognitus, & amatus alliciat agens ad operandū, necesse est, id, quod fit ab agenti, gratia finis fieri, & consequenter finem esse, cuius gratia aliquid fit; vt patet in ægroto, qui à sanitate ab ipso cognita, & amata allicitur ad sumendam potionem amarā, & sic ipsam sumit gratia ipsius sanitatis.

2 Circa secundum dicendum est, finem multis modis diuidi posse. Primò diuiditur finis in finem *cui*, & in finem *qui*. Finis *cui* appellatur subiectū, cui bonū volumus: finis verò *qui* obiectū, quod, vt bonū, volumus. Huius distinctionis mentionem facit Scotus in 2. d. 6. q. 1. & 2. & amorē, quo amamus finem *cui*, appellat amicitia; amorē verò, quo amamus finem *qui*, appellat concupiscentia. Quē modum loquendi etiā omnes alij auctores imitantur.

3 Expresse autem diuisionē istam tradidit Arist. 2. de anima c. 4. Constat autem inter Aristot. interpretes, vnū ex mēbris huius diuisionis appellasse Philosophū finem *cui*: sed nō con-

stat, quo nomine alterū appellauerit; nā Argiopolus vertit, finis, *quo* in ablatiuo; Peronius autē finis *quo* aduersabiliter; Vazq. verò 1. 2. disp. 2. c. 3. dicit vertendum potius esse, finis, *cuius*. Sed (vt bene aduertit Lorca 1. 2. disp. 1) si tantū ad rigorem vocis Græcæ attendamus, quocūque ex prædictis modis verti potuit, quia est genitiuus articuli relatiui, qui à Græcis, cum ablatiuo careant, vsurpari solet indifferēter pro ablatiuo, & genitiuo; imò est illis aduerbium loci, nō secus ac est nobis ablatiuū *quo*. Tamen, si attendamus ad subiectā materiā, non rectè vertitur finis *cuius*; (vt contendit Vazquez) eo quòd ineptè formaretur diuisio, si diceretur, id, cuius gratia, aliud *cui*, & aliud *cuius gratia*; etenim diuisum poneretur vnū ex mēbris diuidentibus, atq; adeò melius antiqui interpretes versionem fecerūt, aut finis *quo* in ablatiuo id est, finis, quo perficimur, & quo bonū nostrū assequimur; aut finis *quo* aduersbialiter, id est, finis, quò tendimus, & quò dirigitur operatio, & intentio agentis. Vt cum quæstio tamen sit, cū de sensu constet, non est admodum de verbis curandū. Nos autem appellamus illum finem *qui* (sic enim cōmuniter nominamus 3 na-

natur) id est, finem, qui appetitur, ut clarius illum distinguamus ab altero diuisionis extremo, quod est finis, cui bonum appetitur.

4. Contendunt aliqui, (inter quos Patres Carmelitanos disput. 14. q. 1. adnumerabis) diuisionem istam finis in finem *cui*, & finem *qui* esse similem diuisioni, qua obiectum aliquis scientiæ diuiditur in obiectum materiale, & formale, seu in obiectum *quod*, & in obiectum *quos*; ac per consequens istam diuisionem non tamen esse in duos fines, quã in duas rationes, vnum totalem finem componentes, quarum vna se habet ut finis materialiter, & altera ut finis formaliter, seu, quod idem est, quarum vna se habet, ut res, quæ denominatur finis, & altera, ut forma, à qua res finis denominatur.

5. Fundamentum istorum est, quia neque finis *cui*, neque finis *qui* possunt adinuicem separati causalitatem finale exercere: non enim fit curatio propter hominem, qui est finis *cui* curationis, ut cumque consideratum, sed consideratur, ut perfectibilis est per sanitatem: nec similiter fit curatio propter sanitatem, quæ est finis *qui* curationis, ut cumque consideratã, sed consideratã, in quantum est perfectio hominis, cui illam desideramus.

6. Sed expositio ista non est admittenda. Licet enim finis

cui, & finis *qui* in causando ita sint connexi, ut non possit vnus actu finalizare, quin etiã alius actu finalizet; (ut fundamentum aduersariorum clarè conuincit) imò loquendo de actu amoris efficaci (qualis est ille, qui quãtũ est ex se, voluntatẽ inflectit ad adhibenda media necessaria ad finem acquirendum) non possit vnus finis amari, quin simul eodẽ numero actu, & alius finis ametur: tamẽ negari nõ potest, quod finis *cui* habeat suum esse tã materiale, quã formale distinctũ ab esse tã materiali, quã formali finis *qui*; & consequenter, quod diuisio ista sit diuisio finis in duos fines cõpletos, & essentialiter distinctos: siquidẽ non solum esse Petri, quod est materiale finis *cui*, est distinctũ ab esse sanitatis, quod est materiale finis *qui*; sed etiam bonitas Petri, quæ est ratio formalis finis *cui*, est essentialiter diuersa à bonitate sanitatis, quæ est ratio formalis finis *qui*; ut conuincitur à posteriori, quia, si non essent bonitates essentialiter diuersæ, non possent specificare actus prosecutionis essentialiter diuersos, ut sunt actus amicitie, quos specificat bonitas finis *cui*, & actus concupiscentiæ, quos specificat bonitas finis *qui*. A priori verò, quia bonitas finis *cui* consistit in integritate intrinseca rei (quæ ideo à recentioribus appellatur bonitas absoluta, seu bonitas, qua aliquid

est bonum in se; à Scoto verò quolib. 18. §. De primo bonitas essentialis, & primaria) & conuertitur cum ente; nam est propria illius passio. Bonitas autem finis *qui* consistit in relatione conuenientiæ vnus ad aliud, (atque ideo à recentioribus appellatur bonitas relatiua, seu bonitas, qua aliquid est bonum alteri; à Scoto verò loco citato bonitas accidentalis, & secundaria, quæ non conuertitur cum ente, sed latius patet, cum etiam in negationibus entis reperitur; nã mors inimici, seu eius non esse hoc pacto mihi est bonum.

7. Dixi autem notanter loquendo de actu amoris efficaci, nam loquendo de actu amoris inefficaci, qui dicitur simplex complacentia (qualis est ille, qui non respicit existentiam obiecti, nec, quantum est ex se, voluntatem inflectit ad executionem mediõrum, quibus finis est obtinendus) non dubito, quod possit voluntas in vno ex his finibus complacere absque eo, quod in alio complacere. Imò actus amoris simplicis complacentiæ erga finem *cui* est semper radix, & causa amoris efficaci circa finem *qui*; (ut docet Scotus in 2. d. 6. q. 2. §. In ista questione lit. A.) quia enim mihi complacet Petrus, ideo desidero illi bonum.

8. Sed esto, quod finis, *cui*, & finis *qui* sint essentialiter diuer-

si, & vnusquisque in suo genere totalis, licet in finalizando essentialiter connexi; dubitant auctores cuiam ex his præcipue competat ratio finis? Gabriel in 2. d. 1. q. 5. art. 1. (cui aliqui ex Nominalibus subscribunt) dicit, rationem finis præcipue competere fini, *cui*; & probat, quia finis *cui* magis gratia sui appetitur, & minus in aliud ordinatur. Alij verò dicunt, rationem finis præcipue competere fini *qui*; & probant, quia finis *cui* non est cuius gratia aliquid sit, sed potius, cui finis, cuius gratia aliquid sit, desideratur.

9. Sed nobis dicendum est primò, vtrumque finem proprie, & formaliter participare communem finis definitionem; nam sicut finis *qui* est, cuius gratia aliquid sit, sic etiam finis *cui*; (quia gratia amici operari dicimur,) diuersa tamen ratione; nam operamur gratia finis *qui*, ut eum consequamur, seu gratia acquirendi illius; operamur autem gratia finis *cui*, ut illi placeamus, seu ut illi obsequium præstemus. Secundo dicendum est, quoad principalitatem habere se hos fines, sicut excedens, & excelsum: finis enim *cui* in eo excedit finem *qui*, quod magis amatur, & minus in aliud ordinatur; finis verò *qui* in eo excipit finem *cui*, quod perfectius exercet genus causæ finalis; causalitas enim finis sumitur

ex habitudine ad media, circa quæ præcipuè causalitatem exercet finis *qui*. Et hæc est ratio, cur semper Arist. disputans de causa finali ponit exempla in fine *qui*, vt in sanitate, & alijs similibus.

10 Secundo finis *qui* diuiditur in formalem, & obiectiuam; nam sæpè contingit, quòd finis *qui* sit aliqua operatio, quæ eo ipso requirit aliquod obiectum, circa quod versetur, & in tali euentu operatio ipsa dicitur finis formalis; eius verò obiectum finis obiectiuus. Et hinc prouenit, quòd Theologi beatitudinem (quæ est noster finis *qui* ultimus) diuidant in formalem, & obiectiuam, appellando beatitudinem formalem illam operationem, qua Deum possidemus, beatitudinem verò obiectiuam ipsum Deum possessum. Et de his finibus verum est, quod docuit D. Th. 1. 2. q. 1. art. 8. & q. 11. art. 3. ad 3. non tam esse duos fines totales, quam duas rationes vnū finem totalem constituentem, qui in operatione possessiua alicuius obiecti boni consistit.

11 Tertio finis *qui* diuiditur in finem operantis, & in finem operantis. Finis operantis dicitur, ad quem ex natura sua operatio ordinatur; sic finis medicinae est sanitas. Finis operantis est, quem quisque pro suo libito præfixerit suæ operationi; vt si quis studeat medi-

cinæ, vt sibi nomen, famam, aut pecunias comparet.

12 Demum quarto (omissis alijs diuisionibus) finis diuiditur in vltimum, & non vltimum. Vltimus dicitur, qui ad vltiorem finem non ordinatur. Non vltimus (qui etiam intermedius appellari cōsuevit) qui ad vltiorem finem ordinatur, v. g. cum quis sumit potionem propter sanitatem, quæ desiderat, & intendit, vt cum ea Deo deseruiat, seruire Deo dicitur finis vltimus, sanitas vero finis non vltimus, seu intermedius. Desumitur hæc diuisio ex Arist. 2. Metaph. text. 5. vbi ita docet aliquem finem subordinari alteri, & hunc alij (v. g. deambulationem sanitati, & sanitatem fœlicitati) vt nō sit processus in infinitum, sed deueniendum sit ad vnum finem, qui sit vltimus, nec vltius ad aliū ordinetur.

13 Circa quam diuisionem dubitant recentiores, an finis non vltimus, seu intermedius verè, & propriè participet rationem finis, seu causæ finalis? Nam Vazq. 1. 2. disp. 4. contendit soli fini vltimo competere verè, & propriè rationem finis, seu causæ finalis, & nullum medium posse esse in hoc genere causam. Eiusdem sententiæ existimant aliqui fuisse Suarez in Metaph. disput. 23. sect. 6. sed immeritò, nam ibi solum contendit, medium sub ratione mediij (qua ratione solum in-

induit rationem vtilis) non posse inducerationem finis, nec eius causalitatem exercere: quod nullus in dubiū reuocare debet, cum in opposito aperta involuatur contradictio. Cum hoc tamen fatetur Suarez, rem, quæ est medium, posse in se habere aliquam rationem honesti, vel delectabilis, ratione cuius sit per se appetibilis; & sub hac ratione posse induere rationem finis, & verè, atque propriè causalitatem finalem exercere, nō obitante, quòd intentio operantis ibi non sistat, sed vltius progrediatur ordinando illam ad vltiorem finem, in quantum illam, vt vtilem ad consequendum finem vltiorem considerat: cuius oppositum sustinet Vazq. & quoad hoc est inter ipsum, & alios auctores controuersia.

14 Fundamentum Vazquez sunt aliquæ auctoritates Arist. in quibus dicit, de ratione finis esse, vt alia appetatur propter ipsum, ipsum verò nō propter alia. Id præcipuè asserit 2. Metaphis. text. 8. Verba sunt hæc, *Item ipsum, cuius causa finis, tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera.*

15 Et confirmatur primò; quia de ratione finis est, vt propter se sit appetibilis, non propter alterum. Sed omnis finis non vltimus, seu intermedius, eo ipso, quòd non vltimus, seu intermedius est, appetitur propter alterum; ergo re-

pugnat dari finem non vltimum, seu intermedium, cui vera, & propria ratio finis cōpetat. Confirmatur secundò, quia ratio finis, & ratio mediij opponuntur relatiuè: ergo nequeunt eidem rei competere, & consequenter dari finem intermedium, seu, quod idē est, dari rem, cui simul competat esse finem, & esse medium.

16 Sed nobis tenendum est, fines non vltimos, seu intermedios induere veram rationem finis, & verè propriè causalitatem finalem exercere respectu mediiorum remotiorum, licet non primariā, sed secundariā; non secus, ac causæ secundæ efficientes induunt veram rationem causæ secundæ efficientis, atque verè, & propriè causalitatem efficientem exercent respectu suorum effectiuum, licet nō primariam, sed secundariā. Hæc est communis sententia inter recentiores, & ex antiquis illam expressè tradiderunt noster Ochamus in 2. q. 3. Gabriel d. 1. q. 5. Ægidius d. 28. q. 2. art. 2. & reputari debet tamen D. Thom. quàm Scoti. Quippe D. Thom. 3. contra gentes cap. 2. in ratione quarta sic loquitur, *Omnia intermedia inter agens, & vltimum finem, sunt fines respectu priorum, & principia actiua respectu subsequentium.* Et in 2. Physicorum lection. 5. sic ait, de ratione finis non esse, quod sit vltimum simpliciter, sed solum respectu præcedentis.

Et idem docet 1. Ethic. cap. 7. Scotus verò in 3. d. 33. q. vnica §. Tercium patet, postquam docuit, ordinatè volens prius velle finem, & secūdo illud, quod immediatè attingit finem, & tertio alia, quæ remotius sunt ordinata ad consequendum finem, reddens rationem, cur illud medium, quod immediatè attingit vltimum finem, ordinatè volens prius velit, quàm media remotiora, ponit hæc verba, *Illud enim, quod est propinquius fini vltimo, consuevit dici finis eorum, quæ sunt remotiora.* Imò hæc sententia est expressa Aristotel. nam 1. Ethic. cap. 7. sic ait, *Plures esse fines videntur: & horum quosdam ob aliud expetimus, vt diuitias, tibias, instrumenta denique omnia.*

17 Probatur primò ex ipsa ratione cause finalis; nam de ratione finis, vt causa finalis est, solùm est esse id, cuius gratia aliquid fit (vt ex definitione Aristotelica supra tradita, atque ab omnibus recepta satis constat) sed, quando aliquis sumit portionem propter sanitatem, quam desiderat, & intendit ad maius Dei obsequiũ, non solùm de obsequio Dei verificatur esse id, cuius gratia aliquid sumit portionem, sed etiam hoc de ipsa sanitate verificatur, licet cum hoc discrimine, quòd de obsequio Dei verificatur, vt de vltimo fine, & remoto; de sanitate verò, vt de fine non vltimo, & proxi-

mo: ergo vera est nostra sententia, scilicet, non solùm finem vltimum, sed etiam fines non vltimos, seu intermedios inducere veram rationem finis, & verè, proprièque causalitatem finalem exercere, licet cum hoc discrimine, quòd finis vltimus exercet veram, & propriam causalitatem finalem primariè, fines verò non vltimi, seu intermedij secundariè. 18 Probatur secundò. (& est ratio magis radicalis, & magis à priori) Ad hoc vt aliquis possit exercere verè, & propriè causalitatem finalem, solùm requiritur, quòd in ipso sit ratio boni honesti, vel delectabilis; (Nam istæ bonitates sunt propriæ finis qui, & rationes formales, quæ in ipso desiderantur ad posse cauere finaliter) quòd autè istæ rationes boni honesti, vel delectabilis non fundent relationem vtilis respectu consequutionis vterioris boni honesti, vel delectabilis, & consequenter, quòd vteriori fini non subordinentur, non est quid requisitum ad rationem finis, vt sic, sed solùm ad rationem finis, in quantum vltimus est; imò si consideretur finis, vt intermedius est, potius de intrinseca ratione illius est, quòd ratio boni honesti, vel delectabilis, quæ in ipso est, fundet prædictam relationem vtilis, & quòd vteriori subordinetur fini. Sed in finibus intermedijs reperiuntur rationes bo-

boni honesti, vel delectabilis: (vt patet in illo, qui facit elemosynam ad sublevandam miseriam pauperis ex desiderio, & intentione placendi Deo; vbi sublevatio miserix pauperis est bonum honestum: & in illo, qui sumit potionem ad recuperandam salutem ex desiderio, & intentione conficiendi iter; vbi recuperatio salutis est bonum delectabile) ergo non obstante, quòd istæ rationes boni honesti, vel delectabilis fundent relationem vtilis respectu consequutionis vterioris finis honesti, vel delectabilis, & consequenter quòd vteriori fini subordinentur, fines intermedij poterunt verè, & propriè causalitatem finis exercere, licet non primariè, saltem secundariè.

19 Tertiò probatur à posteriori: nam (in sententia, quam ego existimo veram, & quam defendit ipse Vazq. 1. 2. disp. 31. cap. 3. & sustinet, ad hoc vt actus voluntatis sumat bonitatem ex obiecto, requiri, quòd honestas obiecti induat rationem finis, & quòd ipsum obiectum sit volitum gratia honestatis, seu propter ipsam honestatem obiecti) sequeretur ex opposita sententia, quòd quando aliquis ex imperio charitatis elicit actus vterioris virtutis, (puta misericordix, vt est subvenire pauperi; vel fortitudinis, vt est pati martyrium) in prædictis actibus imperatis nul-

la alia reperiretur bonitas, quæ charitatis; siquidem in opposita sententia honestas, quæ in obiectis istorum actuum reperitur, eo ipso, quòd in alium finem ordinatur, (puta charitatis) non potest inducere rationem finis, nec verè, & propriè causalitatem finalem exercere; quòd (vt supponimus) necessarium est ad hoc, vt prædicti actus ab illis deſumant bonitatem. Quæ sequela, etſi intrepide abtorbeatur à Vazq. sed non caret maximis inconuenientibus; siquidem consequenter dicendum est, actus, qui ex obiectis sunt boni, amittere propriam bonitatem eo solùm, quòd informentur charitate; ac per consequens, charitatem non perficere, sed destrucere alias virtutes. Item nullum esse meritum in actibus imperatis à charitate præter meritum charitati correspondens; & consequenter non esse magis meritorium ex æquali charitate elicere actus perfectioris virtutis, quàm minus perfectæ; imò quàm actus indifferentes: nam meritum est passio actus consequens bonitatem, & in ea fundatur; & sic, vbi nulla alia est bonitas, quàm charitatis, nullum alium erit meritum.

20 Ad auctoritatem Aristot. quæ est præcipuum fundamentum Vazq. responderetur, Philosophum ipsum in 2. Physic. atque etiam in 5. Metaph. (vbi ex intento agebat de causis) finem

finem histantū verbis definijsse, finis est, cuius gratia aliquid fit. Quæ definitio optimè de fine nō ultimo, seu intermedio (vt ostensum est) verificatur. Vnde cum 2. Metaph. & alijs locis adductis à Vazq. prædictæ definitioni adduntur illa verba, quod non est alterius gratia, necessariò fatendum est, ibi non fuisse definitum ab Arist. finem in communi, sed tantum finē vltimum; de cuius ratione nō solum est, quod eius gratia aliquid fiat, sed etiam, quod ipse non sit alterius gratia; & sic nō mirum, quod prædicta definitio fini non vltimo, seu intermedio non conueniat.

21 Ad primam confirmationem dicimus, quod sicut de ratione causæ efficientis tantum est, habere virtutem actiuam, non verò, quod habeat hanc virtutem sine subordinatione ad aliam causam efficientem, quia hoc non est de ratione efficiētis, vt sic, sed de ratione primi efficiētis; & idè causa secunda est vera causa efficiēs licet habeat vim actiuam cum subordinatione ad aliam vim actiuam priorem; ita de ratione causæ finalis solum est, esse propter se appetibilem, id est, quod habeat in se aliquam bonitatem, quæ ratione sui sit appetibilis, licet hoc ipsum habeat cum subordinatione ad alium finem, aliam vè bonitatem priorem, quia esse propter se appetibile, & sine subordi-

natione ad vltiorem finem, & bonitatem priorem tantum est proprium vltimi finis, non verò finis in communi.

22 Vnde cum in maiori prædictæ primæ confirmationis dicitur de ratione finis est, vt propter se sit appetibilis, non propter alterum, si ly non propter alterum denotet, quod ita sit appetibilis ratione propriæ bonitatis, vt appetatur sine subordinatione ad alterum finem priorem, neganda est prædicta maior. Si verò velit, quod tota, & adæquata ratio appetendi non sit bonitas alterius, verissima est. Cæterum falsum est in hoc sensu, finem intermedium appeti propter alterum; siquidem tota ratio appetendi illum non est sola bonitas finis vltimi; licet enim hæc sit prima, & radicalis ratio appetendi illum, sed non est tota ratio, cum etiam appetatur propter propriam bonitatem; quæ etsi comparata ad vltiorem finem solum induat rationem vtilis, & consequenter medij, seu appetibilis propter alterum; tamen comparata ad antecedentia media potest induere rationem honesti, aut delectabilis, & consequenter finis, seu appetibilis propter se. Et dixi notanter potest, quia contingere potest, quod aliquod intermedium nullam in se habeat delectabilitatem, aut honestatem, & in dicto casu hoc intermedium solum induet rationem medij, &

QVÆSTIO II.

Induat ne finis veram, & propriam rationem causæ?

& nullo modo rationem finis, etiam respectu mediorum antecedentium; quæ etsi in dicto casu dicerentur appeti in ordine ad intermedium, sed non propter illud intermedium, sed propter finem illius. Nec obstat, quod in probabiliori sententia bonitas vtilis sit quid intrinsecum in medio, & distincta à bonitate finis; nam bonitas vtilis, siue intrinseca, siue extrinseca sit medijs, non reddit medium appetibile propter se, sed propter alterum.

24 Ad secundam confirmationem respondetur, ex eo, quod ratio formalis finis, & ratio medij opponantur relatiuè, solum sequi, non posse eidem rei competere in ordine ad eundem terminum; tamen in ordine ad diuerfos terminos (vt nos eidem rei prædictas habitudines attribuimus, scilicet, habitudinem medij in ordine ad finem vltiorem, & habitudinem finis in ordine ad media antecedentia) nihil referre, quod eidem rei prædictas habitudines finis, & medij attribuamus; nam etiam ratio causæ, & ratio effectus opponuntur relatiuè, & tamen vtrumque competit eidem rei; (scilicet, causæ secundæ) primum in ordine ad effectus, quos causat; & secundum in ordine

ad Deum, cuius est effectus.

1 PRO parte negativa ratio dubitandi est, quia ad eausandum requiritur esse in causante; nam operari sequitur ad esse, & illud in operante, necessariò præsupponit: ergo ad causandum verè, & propriè requiritur in causante verum, & propriam esse. Sed finis, dum causat, non habet verum, & proprium esse; nam non habet esse actualis existentia, sed solum habet esse obiectiuè in cognitione, & intentione operantis, vt patet in sanitate, à qua mouetur infirmus, tanquam à fine, & cuius gratia sumit medicamentum. Imò quod hoc esse obiectiuam, quod habet finis in cognitione, & intentione operantis, non sit verum, sed solum apparens, & fictum, nihil refert ad hoc, vt finaliter causet. Nequit ergo finis induere veram, & propriam rationem causæ.

2 Sed vera, & peripatetica doctrina est, finem, dum intentionaliter mouet agens per intellectum, & voluntatem ad hoc, vt gratia ipsius finis aliquid operetur, induere veram, & propriam rationem causæ. Ita Aristot. hic c. 3. text. 29. & 2. Metaph. c. 3. text. 8. Et ante ipsum idem docuerunt Plato in Phædone, & Socrates, quem Plato

refert Aristotelem secuntur Scotus hic q. 9. conclus. 1. D. Thom. 5. Metaph. capit. 2. & opusculo 31.

3 Probat efficaciter duabus rationibus, quibus ad hoc ipsum usus est Scotus loco citato. Prima est. Illud, propter quod alterum est, est verè, & propriè causa, sed propter finè alteram est: ergo finis est verè, & propriè causa. Discursus est optimus. Maior constat ex definitione causæ in communi, quam ex Scoto assignauimus disp. 2. huius libri q. 1. Minor est nota, (inquit Scotus) quia propter sanitatem est labor, & ita inducendo in alijs.

4 Secunda. Illud est verè, & propriè causa, per quod conuenienter respondemus ad quæstionem inquirentè, propter quid est hoc? sed hoc fit per finem: ergo finis est verè, & propriè causa. Maior est nota, (inquit Scotus) quia quæstio propter quid quærit causam. Et minor patet, quia, si quærat, propter quid Socrates laborat in sumenda potione amara? conuenientissimè respondetur, ut sanus efficiatur.

5 Ad rationè dubitandi (quæ solum potest procedere de fine qui, non verò de fine cui, nam finis cui ferè semper actualiter existit, dum causat.) Respondetur, ad causandum requiri quidem esse in causante, sed proportionato modo suæ causationis; causa enim efficiens,

cum causet effectum per influxum physicum, & realem, requirit esse, seu existentiam physicam, & realem: & idem est iudicium de causa materiali, & formali; licet enim hæ causæ non causent effectum influendo esse in illum, sicut efficiens; causant tamen illum communicando illi suum esse physicum, & reale. At causa finalis, cum non causet effectum communicando illi suum esse physicum, & reale; sicut causant materia, & forma; neque influendo physicè, & realiter, sicut causat causa efficiens, sed solum intentionaliter, & animaliter id est, in quantum cognitus, & desideratus attrahit efficiens ratione sympathiæ, & consonantiæ potentiarum animæ, ut eius gratia aliquid operetur; ideò esse, quod requirit ad verè, & propriè causandum in suo genere, non est esse physicum, & reale, sed potius esse intentionale, id est, quod existat in cognitione, & desiderio ipsius efficientis, quod gratia illius operatur, quod habet ex eo, quod ab efficiente cognoscatur, ut bonum, & ut tale desideretur, etiam si non existat actu; imò etiam si illud bonum in re tale non sit, sed solum in apparentia, & cognitione.

6 Verum quodam modum loquendi disidium est inter recentiores; an scilicet, finis non solum sit appellandus vera, & pro-

propria causa, sed etiam realis, & physica? Partem affirmatiuam tenent Rubius tract. 5. q. 1. Patres Carmelitani disp. 14. q. 2. atque alij; probantque ex Arist. qui locis supra citatis finem inter causas physicas, & reales numerauit. Secundò probant, quia finis in suo genere est causa effectus physici, non ficta, & apparens: (Aliàs non esset verè, & propriè causa, ut ostensum est) ergo est causa physica, & realis appellanda.

7 E contrario verò Hurtado disp. 13. de anima sect. 5. Murcia disp. 2. q. 2. Plaça disp. 6. q. 1. Caberustract. 2. disput. 6. dub. 3. numer. 8. dicunt, finem non esse causam realem, & physicam, sed intentionalem, & metaphoricam appellandam. Et probant ex communi modo loquendi desumpto ex Arist. 1. de Generatione tex. 55. (quo etiam vtitur Scotus in 1. d. 1. q. 4. §. Ad principalia argumenta in solutione secunda, scilicet, finis mouet, seu causat metaphoricè. Vbi finis dicitur mouere, seu causare metaphoricè, (ut omnes exponunt) non quia causet fidè, & apparenter: est enim in suo genere vera, & propria causa (ut ex Arist. Scoto, D. Th. cæterisque Peripateticis statutum est) sed quia non causat per influxum physicum, & realem, sicut causat efficiens, sed per motionem, seu attractionem intentionalem, seu animalem; ergo et si finis de-

beat appellari vera, & propria causa, non tamen physica, & realis, sed potius metaphorica, & intentionalis.

8 Possumus tamen nos hos duos loquendi modos reconciliare, si aduertamus, ex duplici capite posse prouenire, quod aliquid appellemus causam physicam, & realem. Primò ad denotandum effectum eius non solum esse quid physicum, sed etiam verè, & propriè pendere ab illo, & non fictè, & apparenter. Secundò ad denotandum, non solum effectum esse quid physicum, & verè, proprièque dependere ab illo, sed etiam modum agendi illius esse per verum, & realem influxum in esse physicum effectus, & non per attractionem intentionalem, seu animalem, qualis est, qua obiectum cognitum, & desideratum attrahit efficiens ratione sympathiæ, & consonantiæ potentiarum animæ, ut eius gratia aliquid operetur: quæ attractio non est verè influxus realis in esse physicum effectus, sed solum metaphoricè, & similitudinariè.

9 Hoc supposito dico, quod si ad primum caput attendamus (ut attendisse videntur auctores primæ sententiæ) finis appellandus erit causa physica, & realis, siquidem non solum eius effectus est, quid physicum, sed etiam verè, & propriè pendet à fine, & non fictè,

& apparenter, quod sufficiens fuit, vt Arist. finem inter causas physicas, & reales enumerauerit. At si attendamus ad secundum caput, (vt auctores secundæ sententiæ videntur attendisse) finis non poterit appellari causa physica, & realis, sed potius intentionalis, & metaphorica; (vt Aristot. Scotus, omnesque auctores appellât) siquidem modus cauſandi finis non est per verum, & realem influxum in esse physicum effectus, sed solum intentionaliter, seu animaliter attrahendo efficiens ad hoc vt ipsius gratia aliquid operetur.

QVÆSTIO III.

Qui sint effectus causæ finalis?

1 **C**um finis propriè, & formaliter solû exerceat causalitatem suam in agētibus per intellectum, & volūtatem, (vt quæst. vltima videbimus) idem erit quærere, *Qui sint effectus causæ finalis?* ac inquirere, *Qui actus voluntatis, & intellectus induant rationem effectus causæ finalis?*

2 Ratio dubitandi est, quia in voluntate plures assignantur actus; quidam dicuntur eliciti, eo quòd ab ea eliciantur; & quidam imperati, eo quòd ab alijs potentijs eliciuntur, ex imperio tamen voluntatis. Rurſus actus voluntatis eliciti, sunt in triplici differentia; qui-

dam immediatè versantur circa finem non obtentum, vt sunt simplex amor, & intentio, quæ est actus efficax respiciens finem, vt obtinendum per mediã. Quidam verò immediatè versantur circa mediã, vt electio, imperium, & vsus; (loquor in sententia Scoti, & aliorum plurimum, qui sustinēt, imperium formaliter non consistere in actu intellectus, sed voluntatis) de quibus controverti solet in materia de actibus humanis, an sint actus voluntatis realiter distincti? An verò sint idem numero actus cum diuersis cōnotationibus? Et quamuis hoc vltimum verius existimem, quoad præſens attinet, nihil refert, quòd vno, vel altero modo loquamur. Et demum quidam versantur circa finem iam obtentum, vt fruitio; & similiter delectatio, siue gaudiū in sententia Thomistarum, qui sustinent, delectationem, & gaudiū non esse passionem, (vt affirmat subtilis Doctor,) sed potius voluntatis operationes. Et licet ex his actibus omnes fateantur, electionem, imperium, & vsum, qui sunt actus, qui versantur circa mediã, & consequenter actus intellectus, qui specialiter ad hos actus requiruntur; (vt sunt inquisitio, cōsultatio, & iudicium) & in vniuersum omnes actus imperatos, qui sunt obiecta eorum, esse verè & propriè effectus causæ finalis;

lis, quia reuera sunt gratia finis, cum fiant ex amore finis, siue propter finem amatum cōsequendum: tamē controuersia est inter auctores, an actus voluntatis eliciti, qui immediatè versantur circa finem, tam ante eius assequutionem, quàm post, sint inter veros, & proprios effectus causæ finalis numerandi?

3 Prima sententia affirmat, hos etiam actus voluntatis esse verè, & propriè effectus finis, & finem circa illos veram, & propriam causalitatem exercere. Ita Henricus 2. p. summæ art. 46. q. 6. Suarez disp. 23. sect. 3. Conimbricenses hic cap. 7. q. 2. 2. artic. 1. Montefinos 1. 2. disp. 3. Rubius tract. 5. q. 6. qui citat pro ista sententia D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 1. Fundamentum ipsorum est, quia existimant, non esse necessarium ad hoc, vt aliquis dicatur verè, & propriè agere propter finem, seu gratia finis, quòd agat, seu operetur ex amore finis, sed sufficere, quòd agat, seu operetur attractus, & allectus à bonitate finis. Ex hoc enim fundamento (si verum est) manifestè infertur, actus volūtatis, qui versantur circa finem, (quicumque illi sint) esse verè, & propriè propter finem, seu gratia finis, & consequenter effectus illius, vt causa finalis est: siquidē eliciuntur à voluntate attracta, & allecta à bonitate finis si-
bi per intellectum ostensa.

4 Porro fundamentum hoc esse verum, probant instantia amoris charitatis, quo diligimus Deum, qui dicitur elici à nobis propter Deum vltimum finem; quo modo loquēdi denotamus, esse Deum veram, & propriam causam finalem elicientiæ huius actus amoris; & tamē Deus non mouet nostras voluntates ad elicientiam huius actus, inquantum amatus per alium priorem charitatis amorem (aliàs daremus processum in infinitum) sed inquantum eius bonitas cognitione supernaturali nobis repræsentata attrahit, & allicit nostras voluntates ad elicientiam prædicti actus charitatis.

5 Secundò probant hanc sententiam ista ratione (quam dicunt esse D. Tho. loco citato) Omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum rationem obiectiuam talis potentiæ. (v. g. actiones intellectus sub ratione veri; actiones visus sub ratione visibilis) Sed finis est obiectum voluntatis: ergo omnes actiones, seu operationes voluntatis erunt sub ratione finis. Et confirmatur; quia, cum finis sit obiectum horū actuum, non potest non exercere aliquam causalitatem circa illos. Sed non apparet, quam causalitatem possit exercere, præter finalem: ergo hæc est, quam exercet.

6 Sed opposita sententia (scilicet, actus omnes voluntatis

supra numeratos, qui immediate versantur circa finem, non esse verè, & propriè effectus illius; neque finem circa illos veram, & propriam causalitatem exercere) verior est, atque à nobis amplectenda. Colligitur ex Scoto q. 4. & 5. prologi, in quantum, §. *Contra istam positionem* expressè affirmat, finem non esse causam finalem, nisi in quantum amatus, & desideratus mouet efficiens ad agendum. Quod paulò inferius repetit. Ipsam autem defendunt ex antiquis Greg. in 2. d. 3. 8. q. vnica art. 1. & ibidem Gabriel notabili 2. & fauent D. Th. 1. contra gentes cap. 75. & Ferrariensis ibidem. Ex neotericis verò Vazquez 1. 2. disp. 3. cap. 2. & ibidem Lorca sect. 1. disp. 3.

7. Fundamentum huius nostre sententiæ est; quia ad hoc, vt voluntas verè, & propriè dicatur agere propter finem, seu gratia finis, non sufficit, quòd agat attracta, & allecta à bonitate finis sibi per cognitionem representata (vt aduersarij in suo supponebant fundamēto) sed etiã necessarium est (vt loco citato docuit Scotus) quòd talis finis sit desideratus, & amatus actu efficaci, qualis est actus intentionis. Quod probari potest primo ex verbis ipsis, quibus causa finalis definita est ab Aristot. quæ propriè, & in rigore hoc significant. Idem enim valet, finis est, cuius gratia aliquid fit, ac cuius amore aliquid fit; nam gra-

tia, & amor synonyma sunt, & eandem rem significant.

8. Secundo probari potest ex ipso modo loquendi; non enim propriè dicimus, aliquem amare, optare, intendere propter finem, sed potius amare, optare, intendere ipsum finem; nec similiter propriè dicimus, aliquem frui, gaudere, delectari propter finem; sed frui fine, gaudere, & delectari de fine. E contrario contingit, cum loquimur de actibus tam intellectus, quã voluntatis, qui versantur circa media; propriè enim dicimus, aliquem inquirere media, consultare de medijs, iudicare de illis propter finem desideratum, & intentum; item eligere media, imperare potentij executiuis, aut vti illis propter finem desideratum, & intentum.

9. Tertiò probari potest ex inconueniente, quod ex opposita sententia sequeretur, nimirum, quòd bruta animalia propriè agerent propter finem: sequela patet; nam bruta animalia appetunt proprios, & naturales fines allecta, & attracta à bonitate illorum ipsis per imaginationem representata: quod in opposita sententia ad veram, & propriam causationem finalem sufficiens est. Nec obstat, quòd responderi solet, scilicet, bruta non agere verè, & propriè propter finem, quando appetunt proprios, & naturales fines, quia in illos feruntur neces-

sariò, & non liberè, sicut feruntur homines: nam in aduersariorum sententia actus amoris, quo beati fruuntur Deo clarè viso, non est actus liber, sed necessarius, & tamen ipsi contentunt, esse verè, & propriè effectum causæ finalis.

10. Ex his patet, quàm falso nitantur fundamento auctores primæ sententiæ. Vnde ad instantiam actus charitatis, quo dicimur diligere Deum propter ipsum, (qua prædictum fundamentum roborabant) respondetur, nos per istam loquutionem nullatenus denotare propriam ordinationem ad finem (Aliàs idemmet ordinaretur finaliter ad se ipsum, Deus, scilicet, ad Deum; quod sustineri nequit) sed quòd denotamus, est, in illa dilectione Dei non esse alium vltiorè finem, præter obiectum, scilicet, Deum; sicut cum dicimus, *Deum esse à se*, non denotamus, Deum esse causam efficientem sui ipsius, sed Deum non habere aliquam causam sui, sed ipsum esse omnium primam causam.

11. Est autem aduertendum, (antequàm ad soluendam secundam rationem, & eius confirmationem accedamus) hos actus voluntatis, qui immediate versantur circa finem, etsi propriè, & formaliter effectus causæ finalis non sint, aliquo tamè modo ad causalitatem finalem reduci, seu spectare: & hoc non solum, quia aliquis eorum (sci-

licet, actus intentionis) est necessariò requisitus ad hoc, vt finis causare possit, sed etiam, & præcipuè, quia omnes dependent à fine, & ad illum dicuntur habitudinem, licet non formaliter, & in quantum finis est, materialiter tamen, & vt obiectum quoddam ipsorum est; qua etiã ratione quæstione vltima dicemus, actus, quibus bruta appetunt suos materiales fines, esse effectus causæ finalis, & à fine dependere, non formaliter, & in quantum finis est, sed materialiter, & vt obiectum est.

12. Hoc supposito ad secundam rationem (quæ D. Thomæ appellabatur) cõcedimus omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, causari ab ea secundum rationem obiectiuã talis potentia, id est, nullã potentiam posse producere aliquam operationem, nisi respiciendo in illo, circa quod operatur, rationem formalem sui obiecti. Similiter gratis damus, finem esse obiectum adæquatum voluntatis, adhuc in actibus concupiscentia (cuius oppositum multis ostendam lib. 3. de anima disp. 6. q. 3. sect. 1.) sed ex his præmissis non rectè infertur, omnes actiones voluntatis debere esse ab illa propter finem, sed versari circa finem, tamquã circa formale, & ad æquatū obiectum: sicuti etiam si visus non possit elicere visionem, nisi interueniente ratione lucidi, vel coloris in obiecto, non

rectè inde infertur, omnè operationem vitus esse propter colorem, vel lucidum, sed esse circa colorem, vel lucidum.

13 Ad confirmationem respondetur, ex eo, quòd finis sit obiectum horum actuū, sequi quidè causari ab illo, sed non formaliter, & vt finis est, sed materialiter, & in quantum obiectum eorum est: quæ causalitas licèt non sit formaliter, & propriè finalis, reducitur tamen ad illam, non secus, ac reducuntur causalitates, quibus pendet actus appetitus brutorum à suis obiectis.

QVÆSTIO IV.

In quo causalitas causæ finalis consistat?

Diximus disp. 2, q. 2. causalitatem appellari, formam, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur causa. Et quia dupliciter potest aliquid esse, seu denominari causa; (scilicet, in actu primo, seu in potentia, & in actu secundo, seu actuali exercitio) ideò in quocumq; genere causæ duplicem nos posse assignare causalitatem: statuimus; vñā sumptā pro forma, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur causa in actu primo, seu in potentia; & alteram sumptam pro forma, à qua aliquid habet, quòd sit, & denominetur causa in actu secundo, seu actuali exercitio. In hac quæstione de vtraque causalitate finis agendum est.

2 Loquēdo de causalitate, seu forma, à qua res, quæ dicitur finis *qui*, habet, quòd sit, & denominetur causa finalis in actu primo, seu in potentia, cōmuniter dici solet, hanc causalitatem, seu formam consistere in bonitate honesti, vel delectabilis. Cuius asserti ratio est, quia ratione huius bonitatis honesti, vel delectabilis habet res, quæ dicitur finis *qui*, virtutem, seu potestatem alliciēdi, seu attrahendi efficiens ad hoc, vt propter iptum finē *qui*, seu gratia illius aliquid operetur. Quæ doctrina optima est, si intelligatur de causalitate, seu forma, à qua res, quæ dicitur finis *qui*, habet fundamentaliter, quòd sit, seu denominetur causa finalis in actu primo. Nam, si intelligatur de causalitate, seu forma, à qua res, quæ dicitur finis *qui*, habet formaliter, & proximè, quòd sit, & denominetur causa finalis in actu primo, potius dicendum erit, hanc causalitatem, seu formam consistere in relatione potentis finalizare, quam res, quæ dicitur finis *qui*, ratione prædictæ bonitatis fundat ad ea, quæ gratia ipsius, seu propter ipsam fieri possunt ab efficiēti, eo quòd hoc nomen *causa finalis* nomen relatiuum est; vt loquendo de causis in communi latius docuimus disput. 2. q. 2. citata.

3 Dixi notanter *res, quæ dicitur finis qui*, quia cū finis *qui* sit, qui præcipuè causalitatem finaliter

finalem exercet, (vt quæst. 1. huius disputationis num. 8. annotauimus) de hoc fine communiter solet exagitari præfens difficultas: & de eo, cū solum terminet amorem concupiscentiæ, (vt ex dictis in eadem quæstione num. 1. constat) vera est doctrina tradita, scilicet, causalitatem, seu formam, à qua habet fundamentaliter, & remotè, quòd sit, seu denominetur causa finalis in actu primo, esse bonitatem honesti, vel delectabilis. Loquendo enim de actibus concupiscentiæ verissima est vulgaris doctrina; quam etiam amplectitur Scotus in 4. dist. 49. q. 5. §. *Ad quæstionem*, & q. 10. §. *Quantum ad secundum*; imò & in 1. locis infra citandis. Neque ab ea discessit in 2. d. 6. quæst. 2. littera N. versiculo, *Sed hic est vnum dubium*, & d. 43. quæst. 1. §. *Responden*, lit. C. scilicet, voluntatem per huiusmodi actus non posse prosequi obiectum, in quo nulla apparet ratio boni conuenientis; quod cōmuniter appellatur bonum relatum, seu bonum alteri, & à Scoto quolib. 18. bonum accidētale, & secundarium; diuiditurque ab Arist. in honestum, iucundum, seu delectabile, & vtile: ex quibus honestū, & iucundum, seu delectabile solum reperuntur in obiectis, quæ induunt rationem finis *qui*; vtile verò in obiectis, quæ induunt rationem mediij.

4 Quòd si sermo esset de fine *cui*, cū hic finis non terminet actum amoris concupiscentiæ, sed amicitiae (vt ex q. 1. citata num. 1. constat) aliter philosophandum esset; scilicet, causalitatem, seu formam, à qua res, quæ dicitur finis *cui*, habet fundamentaliter, & remotè, quòd sit, & denominetur causa finalis in actu primo, non esse aliquam bonitatem conuenientis, & consequenter neque bonitatem honesti, vel delectabilis, sed esse intrinsicā rei, quæ dicitur finis *cui*, integritatē, quæ est bonitas absoluta transcendentalis, & conuertibilis cum ente. Ducor ad hoc asserendū; quia verum reputo, quod docet Scotus in 1. d. 1. q. 4. §. *Ad argumēta*, versiculo, *Ad tertium*, & §. *Ad auctoritatem Augustini*, scilicet, etsi certum, & indubitatum sit in actibus concupiscentiæ bonitatem conuenientiae esse obiectū formale voluntatis, ac per consequens non posse voluntatem per huiusmodi actus prosequi obiectū, in quo nulla apparet ratio boni conuenientis; tamē loquēdo de actibus amicitiae obiectū formale voluntatis in eliciēdo huiusmodi actus nō esse bonitatem conuenientiae, sed ipsam ens, in quantum habet bonitatem transcendentalem, & absolutam, quæ in integritate intrinseca rei consistit; ac per consequens posse voluntatem per huiusmodi actus amicitiae tendere in obiectum, tamquam in finem *cui*, in quo

quo nulla appareat ratio boni conuenientis; qualis est ratio honesti, vel delectabilis; imò etiam si in illo appareat ratio mali oppositi huic bonitati; quia respectu istorum actuum amicitie omninò materialiter; & per accidens se habet, quòd eorum obiecta sint conuenientia, vel disconuenientia, cum voluntas sub nulla ex his rationibus prædicta obiecta per istos actus amicitie prosequatur; sed sub ratione entis habentis bonitatem transcendentallem, quæ in intrinseca integritate rei consistit.

5 Addunt præterea auctores ad hoc, vt bonitas honesti, vel delectabilis induat rationem causalitatis, seu formæ, à qua res, quæ dicitur finis *qui*, habet, quòd sit, seu denominetur causa finalis in actu primo, & in potentia proxima, necessariò, & per se exigi, quòd per intellectum sit cognita. Quod ab omnibus recipiendum est; nã, cum voluntas sit potentia ceca, erit impossibile, quòd finis *qui* ratione huius bonitatis at trahat, seu alliciat voluntatem ad hoc, vt gratia ipsius aliquid velit operari, nisi præsupponatur cognitio, qua representetur voluntati finis indutus tali bonitate iuxta commune proloquium, *Nihil volitum, quia præcognitum*. Imò addendum est, (ex discussis quæstione præcedenti) hoc solum non sufficere, sed necessariò etiam

requiri ad hoc, vt finis proxime sit potens causalitatè finalè veram, & propriam exercere, quòd prædictus finis ratione prædictæ bonitatis sit amatus actu efficaci, qualis est actus intentionis. Quo autè pacto requiratur in fine cognitio, seu apprehensio huius bonitatis ad hoc, vt possit causare finaliter, an, scilicet, vt còditio? an verò, vt ratio formalis agendi formaliter? quæstione sequenti expendemus.

6 Loquedo verò de causalitate, seu forma, à qua res, quæ dicitur finis, habet quòd sit, & denominetur causa finalis in actu secundo, & actuali exercitio, Scotistæ, qui loquētes de causalitate in communi affirmabāt, cōsistere in relatione prædicamentali, qua omnis causa actualis refertur ad suū effectū, dū de causalitate ista finali locūtur, cōsequenter dicūt, formaliter cōsistere in relatione finalizantis, seu causantis finaliter, qua omnis finis, dū actualiter causat, seu finalizat, refertur ad suū effectus: quæ relatio etsi nō possit appellari realis, pro vt reale distinguitur cōtra intentionale, siquidē finis, qui est eius subiectū, dū actualiter causat, & fundat istā relationē, nō habet esse reale, sumpto esse reali, pro vt distinguitur cōtra intentionale, quale est esse obiectiue in actu intellectus, & voluntatis: potest tamē optimè realis appellari, pro vt reale op-

po-

ponitur ficto, & apparenti, co quòd illa attractio, seu allectio, qua finis cognitus, & amatus attrahit volūtatem ad hoc, vt illius gratia aliquid operetur, quæ est cōditio præui requisita ad hoc, vt in fine re-sultet ista relatio, etsi solum sit intentionalis, & ideo dicatur motio metaphorica, nō tamen est ficta, & apparens, sed vera, & realis.

7 At Thomistæ, qui loquētes de causalitate ista in communi cōtrario sustinebāt, nō consistere in prædicta relatione prædicamentali, sed in aliquo præuiuo ad effectū, quòd sit fundamentū proximū istius relationis, dū de causalitate ista finali loquuntur, affirmant cōsequenter, nō cōsistere in relatione finalizantis, seu causantis finaliter, qua omnis finis, dū actualiter causat finaliter, refertur ad suos effectus; sed in aliquo præuiuo ad effectus finis, quòd sit fundamentum proximū istius relationis.

8 Nos verò, qui loquentes de causalitate ista in communi plus æquiocationis, quàm cōtrouersie inter Scotistas, & Thomistas reperimus, ad quā auferendam distinximus inter causalitatē sumptā pro forma à qua aliquid habet formaliter, & proximè, quòd sit, & denominetur causa in actu secundo, seu actuali exercitio, & causalitatem sumptam pro forma, à qua aliquid habet fundamē-

taliter, & remotè, quòd sit, & denominetur in actu secundo, seu actuali exercitio causa; & de priori causalitate diximus consistere in relatione prædicamentali, qua omnis causa actualis refertur ad suū effectū; & vt sic esse verā, atque intelligendā sententiam Scotistarū: de posteriori verò causalitate affirmauimus non consistere in prædicta relatione, sed in aliquo præuiuo ad effectum, quòd sit fundamentū proximū istius relationis; & vt sic esse veram, & intelligendam Thomistarū sententiam. Nos, inquam, qui loquentes de causalitate in communi prædicto modo philosophati sumus, nunc loquētes de causalitate finali, supposita eadē distinctione, dicimus, quòd si causalitas finalis sumatur pro forma, à qua res, quæ dicitur finis, habet formaliter, & proximè, quòd sit, & denominetur causa finalis in actu secundo, & actuali exercitio, causalitas ista consistit in relatione finalizantis, seu causantis finaliter, qua omnis finis, dū actualiter causat, refertur ad suos effectus; & sic est vera, atque intelligenda sententia Scotistarum. At, si causalitas sumatur pro forma, à qua res, quæ dicitur finis, habet fundamentaliter, & remotè, quòd sit, & denominetur causa finalis in actu secundo, & actuali exercitio, causalitas ista non consistit in prædicta relatione, sed

in aliquo prævio ad effectum, quod sit fundamentum proximum istius relationis: & in hoc sensu intellecta sententia Thomistarum est vera: & consequentes facta ista distinctione nulla est quoad hoc oppositio inter Scotistas, & Thomistas.

9 Verum est, posse esse inter Scotistas, & Thomistas controuersiam in assignando, quid sit hoc prævium fundans proximè relationem finalizantis, seu causantis finaliter, qua omnis finis, dum actualiter causat, refertur ad suos effectus: nam Thomistæ, qui loquentes de fundamento proximo relationis, qua causa efficiens, dum actualiter causat, refertur ad suum effectum, affirmant, non esse potentiam actiuam, sed actualem influxum, seu actionem, qua media causa efficiens influit in suos effectus, consequenter dicunt, fundamentum proximum relationis finalizantis, qua finis, dum actualiter causat finaliter, refertur ad suos effectus, non esse potentiam, seu virtutem causandi finaliter, sed actualem influxum, quo medio finis influit finaliter in suos effectus: qui in omnium Peripateticorum sententia non est verè, & propriè motus, seu actio; ut est influxus causæ efficientis, sed metaphorice, & similitudinarie. At Scotistæ, qui loquentes de fundamento proximo relationis, qua causa efficiens, dum actua-

liter causat, refertur ad suum effectum, cum Scoto, atque pluribus alijs dicebamus, hoc fundamentum esse potentiam actiuam, influxum verò, seu actionem solum se habere, ut conditionè præviã per se tamen, & essentialiter requisitam ad hoc, ut potentia actiuã induat rationem fundamenti proximi prædictæ relationis, consequenter dicimus fundamentum proximum relationis finalizantis, qua finis, dum actualiter causat finaliter, refertur ad suos effectus, esse potentiam, seu virtutem causandi finaliter, quæ est in fine cognito, & amato; actionè verò, seu motionè metaphorice, qua media finis influit finaliter in suos effectus, solum se habere, ut conditionè præviã, per se tamè, & essentialiter requisitã ad hoc, ut potentia, seu virtus causandi finaliter, quæ est in fine cognito, & amato, induat rationè fundamenti proximi prædictæ relationis.

10 Sed quia diximus, influxum, quo medio finis influit finaliter in suos effectus, in Peripateticorum sententia non esse verum motum, seu actionè, sed solum metaphorice, & similitudinarie, dubitant auctores, in quo verè, & propriè consistat iste influxus? non enim est facile explicatu.

11 Et ommissa sententia Caietani, qui 2. 2. q. 17. art. 5. effugiens difficultatem dixit; nos non posse distinctè cognoscere, quid

quia in nic influxus, qui à Peripateticis actio, seu motio metaphorice appellatur, sed illum nominare cõfusa quadam ratione per hæc verba, *cuius gratia aliquid fit*: prima sententia affirmat, hunc influxum consistere in quadã qualitate intentionali à fine cognito, & amato derivata, & impressa voluntati, ratione cuius trahit illam efficaciter ad aliquid gratia ipsius finis eligendum.

12 Sed hæc sententia meritò relegata est ab Scholis primò, quia fingit quãdam qualitatem intentionalem de nouo productã, & impressam voluntati, cuius nulla est assignabilis causa efficiens. Si enim aliqua esset assignabilis, maximè (ut auctores huius sententiæ cõtendunt) ipse finis cognitus, & amatus: finis autè cognitus, & amatus non est verè causa efficiens, ut expressè docuit Arist. 1. de Generatione text. 55. his verbis, *Causa, cuius gratia vetera sunt, actiuã non est; & sanitas ipsa non est actiuã, nisi per translationem.*

13 Secundo, quia ad hoc ut finis cognitus, & amatus efficaciter trahat voluntatem ad aliquid gratia ipsius finis eligendum, superflua est ista qualitas intentionalis, cum ad hoc sufficiat sympathia naturalis, quæ est inter potentias animæ, quatenus in eadem animæ essentia radicatur. Si enim hæc sympathia sufficit ad hoc, ut proposito fine voluntati per cognitionem con-

gruam, prædictus finis sic propositus efficaciter attrahat voluntatem ad hoc, ut circa ipsum eliciat actum intentionis. Et similiter sufficit ad hoc, ut posita electione mediorum (quæ interuentu potètiarum exteriorum exequenda sunt) & cognitione, qua insinuat exequenti se elegisse (qua ratione electio induit rationem imperij) ipsum exequens efficaciter attrahatur à tali imperio ponere in executione medijs potètijs exterioribus talia media. Cur etiam non sufficiet ad hoc, ut voluntas à fine sibi proposito per cognitionem, & actu efficaci intentionis desiderato efficaciter attrahatur ad electionem mediorum, quibus talis finis ponendus est in executione?

14 Secunda sententia docet, hunc influxum, quo medio finis influit finaliter in suos effectus (ut sunt electio, ceterique actus tam voluntatis, quam intellectus, qui versantur circa media) nihil aliud esse, quam actum intentionis, quo voluntas efficaciter appetit, seu desiderat esse finem. Ita philosophatur Caberus tract. 2. disp. 6. dub. 3. n. 5. qui dicit esse sententiam D. Th. q. 2. de veritate art. 2. Imò attribuit eam Scoto non alio fundamento, nisi quia Scotus in 1. d. 2. q. 2. §. *Ostendo* docet, finem non causare finaliter, nisi ut amatum; quod clariùs docuerat Scotus ipse q. 4. & 5. prologi à nobis citatus supra q. 3. num. 6.

15 Tamen hæc sentia merito à pluribus rejicitur. Licet enim ad hoc, vt finis sit in actu primo proximè potens allicere voluntatem ad hoc, vt gratia ipsius aliquid operetur, non solum sit requisitum, quod prædictus finis per cognitionem ipsi voluntati repræsentetur; sed etiam sit necessarium, quod voluntas per actum intentionis efficaciter appetat, seu desideret finem esse; & hoc doceat Scotus locis citatis, & nos cum ipso idem statuerimus quaestione tertia citata: tamen falsum est, influxum metaphoricum, quo mediante finis influit in suos effectus, consistere formaliter in prædicto actu intentionis; nam actus intentionis potius est conditio requisita ad hoc, vt finis sit in actu primo proximè potens talem influxum, seu actionem metaphoricam circa suos effectus exercere. Quod sic demonstro.

16 Sicut implicat esse actu influxum, seu actionem, qua mediante causa efficiens influit, seu causat actualiter suum effectum, & quod prædictus effectus causæ efficiens actu non existat; ita implicationem involvet, esse actu influxum, seu actionem metaphoricam, qua mediante causa finalis influit, seu causat actualiter suum effectum, & quod prædictus effectus causæ finalis actu non existat. Sed absque vili implicatione potest actu esse actus

intentionis, quo voluntas efficaciter appetat, & desideret, finem esse, non existente actu electione mediorum, qui est effectus causæ finalis: ergo signum evidens est, quod prædicta intentio non sit influxus, seu actio metaphorica, qua mediante finis actu influit, seu causat finaliter suum effectum; sed quod solum sit conditio præviè requisita ad hoc, vt finis sit in actu primo proximè potens talem influxum, seu actionem metaphoricam in suos effectus exercere. Discursus est optimus: maior manifesta ex paritate rationis. Minorè probō: quia nulla est implicatio, quod stante actu intentionis, quo voluntas efficaciter appetat, & desideret finem, Deus non concurrat ad actum electionis mediorum: in quo casu esset actus intentionis, & non existeret actus electionis mediorum, qui est effectus causæ finalis. Nec propterea dicendum est, quod illa intentio non esset efficax; quia intentio non dicitur efficax ex eo, quod habeat adiunctam electionem, sed ex eo, quod, quantum est ex se, illam haberet coniunctam, si Deus per miraculum illam non impediret denegando contra exigentiam rerum concursum ad hoc, vt voluntas eligat, requisitum.

17 Propter hæc tertia sententia sustinet influxum, quo medio finis influit in suos effectus, non

non esse realiter distinctum ab influxu, quo medio causa efficiens influit in effectus suos, sed eandem numero actionem, quæ quatenus provenit à causa efficienti, dicitur influxus causæ efficientis, quatenus provenit à fine, dicitur influxus causæ finalis. Ita Suar. disp. 23. Metaph. sect. 4. Rubius tract. 5. q. 3. Hurtado disput. 13. de anima sect. 5. §. 31. Patres Carmelitani disp. 14. q. 5. §. 2. & alij.

18 Fundamentum istorum est, quia influxus, quo finis actu influit in suos effectus, debet esse, quid distinctum à fine (Aliàs non posset dari finis, quin actualiter esset influens in suos effectus; cuius oppositum ostendit experientia) sed hoc distinctum non potest esse, quid antecedens influxum causæ efficientis; qualis respectu electionis mediorum est voluntas, quia ad influxum, quo mediante voluntas influit efficienter in electionem mediorum, solum antecedit ex parte finis esse cognitum ab intellectu, & esse efficaciter intentum à voluntate; in quorum neutro influxus finis consistit, vt contra secundam sententiam ostensum est. Neque etiam potest esse, quid consequens influxum, quo voluntas efficienter influit in electionem mediorum; nam ante omne illud, quod sequitur ad influxum, quo medio voluntas influit efficienter in electionem mediorum, finis est actua-

liter influens; siquidem electio mediorum, quæ sequitur immediate ad hunc influxum, est effectus finis, & facta à voluntate illius gratia: ergo solum restat, quod sit ipsemet influxus causæ efficientis, scilicet voluntatis, in quantum provenit à fine.

19 Sed hæc sententia pluribus displicet, & mihi videtur falsa. Primò, quia influxus, quo medio causa finalis influit in suos effectus (in sententia Aristot. & Scoti locis citatis q. 2. huius disp. num. 7. & etiam D. Tho. 1. contra gentes cap. 75. cæterorumque Peripateticorum, quos referunt Conimbrienses hic cap. 7. q. 21. art. 2.) non est verè, & propriè motus, sed dicitur motus metaphoricè, & similitudinariè. Sed influxus, quo medio causa efficiens influit in suos effectus, est verè, & propriè motus: ergo asserere finem influere in suos effectus per eundem numero influxum, quo influit causa efficiens directè opponitur Aristoteli, Scoto, D. Th. atque cæteris Peripateticis auctoribus.

20 Secundò, quia non solum effectus causæ efficientis, sed etiam influxus, quo medio causa efficiens influit in effectum, est effectus, vt quod causæ finalis: ergo præter influxum, quo causa efficiens influit in suum effectum assignandus erit alius influxus, quo medio causa finalis non solum influat in effectum.

cum causæ efficientis, sed etiã in ipsum influxum causæ efficientis. Consequentia est nota; nam quando aliquod procedit, *ut quod*, ab aliqua causa efficienti, vel finali, non procedit ab illa immediatè, sed assignari debet aliquis influxus, quo mediante dicatur ab ea procedere. Antecedens verò patet, quia non solum de effectu causæ efficientis, sed etiam de influxu, quo mediante ab ipsa procedit, verificatur in toto rigore, esse gratia finis, seu propter finem, *ut quod*.

21 Et denique tertio, quia influxus causæ finalis, & influxus causæ efficientis, etsi sint simul tempore, tamen influxus causæ finalis est prior natura influxu causæ efficientis; sumpta prioritate naturæ in toto rigore, scilicet, pro ordine reali causalitatis, & dependentiæ; in operationibus enim propter finem hæc causalis est vera, *quia electio mediorum provenit à fine, ideo provenit ab efficiente*, & nõ è contra: non enim quia voluntas elicit electionem mediorum, ideo finis cognitus, & intentus allicit, seu movet metaphoricè voluntatem ad electionem mediorum eliciendam, sed è contra, quia finis cognitus, & intentus allicit, seu movet metaphoricè voluntatem ad eliciendam electionem mediorum, ideo voluntas elicit talè mediorum electionem: ergo necessariò fatendum est influ-

xum causæ finalis, & influxum causæ efficientis non esse idem realiter. Patet consequentia, nam ordo prioritatis naturæ (sumpta prioritate naturæ in toto rigore, scilicet, pro ordine reali causalitatis, & dependentiæ) necessariò requirit distinctionem realem inter extrema: nam idem non potest realiter causari, & dependere à se ipso.

22 Quarta denique sententia defendit, influxum, quo medio finis influit actualiter in suos effectus, nihil aliud esse, quàm actualem allectionem, seu attractionem, qua media finis in actu secundo, seu actuali exercitio attrahit, & allicit voluntatè, & mediante voluntate cæteras potètijs executivas ad aliquid gratia ipsius, seu propter finem efficiendum. Itaque dupliciter possumus nos finem considerare. Primò, ut prius tempore, quàm voluntas incipiat eligere media gratia ipsius, aut aliquid aliud efficere circa media, habet esse cognitum, & per actum intentionis efficaciter amatum; & toto isto tempore non dicitur finis allicere, seu attrahere voluntatem ad aliquid efficiendum gratia ipsius actualiter, seu in actu secundo; sed solum dicitur, illà attrahere, & allicere ad aliquid efficiendum gratia ipsius in potètia proxima, seu in actu primo. Secundò possumus finem considerare pro illo tempo-

pore, in quo voluntas gratia ipsius finis eligit media, aut quid aliud per se, vel medijs potètijs executivis actualiter operatur: & pro isto tempore non solum est verum, quòd finis cognitus, & amatus habeat virtutem, seu potètiã alliciendi, & attrahendi voluntatè ad hoc, ut gratia ipsius aliquid per se ipsam, aut medijs potètijs executivis operetur, sed etiam verificatur, quòd finis cognitus, & amatus actualiter, seu in actu secundo alliciat, & attrahat voluntatem ad hoc, ut per se ipsam, vel medijs potètijs executivis aliquid gratia ipsius finis operetur. Et in hac allectione, seu attractione in actu secundo, seu actuali exercitio (quæ etsi sit prior natura influxu effectivo, seu actuali operatione voluntatis erga media, non tamen est illis prior tempore) affirmat hæc quarta sententia consistere formaliter influxum, quo medio causa finalis actualiter influit in suos effectus. Quæ sententia non solum mihi videtur vera, sed & intèta ab Arist. Scoto, & D. Th. cæterisque Peripateticis auctoribus, dum influxum, quo medio finis influit in suos effectus, actionem, seu motionem metaphoricam appellant.

23 Er ratio efficax pro ista sententia est, quia de hac allectione, seu attractione actuali, qua media finis in actu secundo, seu actuali exercitio attrahit, & al-

licit voluntatem, & mediante voluntate cæteras potètijs executivas ad aliquid gratia ipsius finis efficiendū, verificatur omnia, quæ ad influxū, quo medio finis influit in suos effectus, desiderantur. Nam in primis dari nõ potest hæc actualis allectio, seu attractio voluntatis ad aliquid efficiendum gratia finis, quin simul detur effectus finis, quod est vna ex conditionibus requisitis ad influxum actualem cuiuscumque causæ, & excuius defectu intètionem, qua voluntas efficaciter appetit, seu desiderat finem, supra reieciimus à ratione huius influxus: siquidem (ut dictū est) solum habet hæc allectio, seu attractio finis, quòd dicatur actualis, & in actu secundo, quòtiens voluntas aliquid gratia finis operatur: nam, antequam voluntas actualiter gratia finis operetur, solum dicitur finis allicere, seu attrahere voluntatem in potètia, seu in actu primo.

24 Deinde cum hæc actualis allectio, seu attractio voluntatis ad eligenda media gratia finis sit prior natura, non solum ipsa electione mediorum, sed etiam influxu, quo medio voluntas efficienter influit in talè mediorum electionem, (Hæc enim causalis est vera, ut supra dicebamus, quia voluntas allicitur, & attrahitur à fine, ideo efficit, seu influit in electionem mediorum) optimè de illa verificatur quòd habeat pro termino, non

solū electionem mediorum, sed etiam influxum, quo mediante voluntas influit efficiēter in talem electionem; & cōsequenter, quod ratione illius non solū electio mediorum, sed etiam influxus, quo medio voluntas influit efficiēter in talem electionem, sint effectus, vt quod, finis: quod est alia conditio requisita ad influxū causæ finalis, & cuius defectu supra reijciebamus à ratione huius influxus influxum causæ efficiētis.

25 Demum, cū hęc actualis allectio, seu attractio solū sit influxus in effectus finis intentionalis, & animalis, optimè de ipsa verificatur id, quod Arist. Scotus, D. Th. atque cæteri Peripatetici affirmant de influxu, quo mediante finis influit in suos effectus, scilicet, non esse verè, & propriè motum, seu actionem, sicut est influxus causæ efficiētis, sed hoc solū illi competere metaphoricè & per similitudinem, quam habet ad influxum causæ efficiētis. Nihil ergo excogitari potest ad rationem influxus causæ finalis requisitum, quod in hac actuali allectione, seu attractione, qua finis in actu secundo attrahit voluntatem, & mediante volūtate reliquas potētias executiuas ad aliquid efficiendum gratia ipsius non reperitur. Ergo in ipsa influxus causæ finalis verè, & formaliter consistit.

QVÆSTIO V.

Vtrum finis moueat voluntatem secundum esse reale; an secundum esse apprehensum?

1 Sensus quæstionis non est, an ad hoc, quod finis mouere possit voluntatem, & consequenter exercere munus causæ finalis, necessariò requiratur, quod realiter existat? nam in hoc sensu admitterent omnes, finem non mouere volūtate secundum esse reale, sed secundum esse apprehensum, id est, non esse necessarium, quod realiter existat; (imò in fine qui id potius obesse) sed necessariò requiri, quod habeat esse apprehensum per cognitionem; vt manifestè convincit instantia sanitatis, quæ dum mouet voluntatem infirmi ad electionem mediorum, quibus consequenda est, nō habet esse reale existentis, sed potius esse apprehensum per cognitionem. Cuius rationem à priori adduximus quæstione præcedenti num. 5.

2 Sed sensus quæstionis est, supposito, quod ad mouendam voluntatem, & consequenter ad exercendum munus causæ finalis necessarium est, quod finis apprehendatur per cognitionem intellectus, quidnam respectu huius motionis, seu causalitatis finalis induat rationem motiui formalis; an ipsa cognitio, qua apprehenditur fi-

finis; an ipse finis, qui apprehenditur, & induit rationem obiecti prædictæ cognitionis? Nam, qui primum affirmauerint, consequenter dicent, finem mouere volūtatem secundum esse apprehensum: qui verò asseuerauerint secundum, consequenter sustinebunt, finem mouere volūtatem secundum esse reale.

3 Vbi notare oportet, esse reale hic appellari esse finis, quod est obiectum cognitionis; esse verò apprehensum ipsam cognitionem, seu denominationem extrinsecam à cognitione prouenientem. Vnde quia concipimus non solū entia realia, sed etiam negationes, & entia rationis; & hęc induere possunt rationem finis, etiam talia obiecta distinguuntur secundum esse reale, & secundum esse apprehensum, seu cognitū, id est, secundū illud esse, quod est obiectum cognitionis, & secundum formalem denominationem apprehensi, seu cogniti: vbi esse obiectiuum, negationum, & entium rationis dicitur esse reale, non quia tale sit, sed ad differentiam esse apprehensi, seu cogniti.

4 His circa intelligentiam tituli quæstionis prælibatis, prima sententia affirmat apprehensionem, seu cognitionem esse in fine rationem formalem mouendi voluntatem, seu causandi finaliter, ac per consequens finem mouere

voluntatem, seu causare finaliter, non secundum esse reale, sed secundum esse apprehensum. Ita Auicenna lib. 6. Metaph. c. 5. Capreolus in 2. d. 25. q. 1. art. 3. Soncin. 5. Metaph. q. 3. Medina 1. 2. q. 1. artic. 1. qui tribuunt eam D. Thom. quod in 1. p. q. 80. art. 1. 2. docet appetitum sensitium, & appetitum rationale distinguuntur specie propter diuersas apprehensiones obiecti; quas sequuntur. Et 1. 2. q. 31. art. 3. ad 1. dicit obiectum appetitus animalis esse bonum apprehensum; & ideo diuersitatem apprehensionis pertinere quodammodo ad diuersitatem obiecti.

5 Imo ex hac D. Thom. doctrina fieri potest argumentum pro hac sententia; nam id, quod ex parte obiecti distinguit specie actus appetitus, non est conditio, sed formalis ratio mouendi, seu obiecti mouentis. Sed diuersitas apprehensionum est sufficiens ratio distinguendi ex parte obiecti actus appetitus in specie: ergo apprehensio, seu cognitio se tenet ex parte finis, non vt conditio, sed vt ratio formalis mouendi, seu causandi finaliter. Maior patet ex illo communi axiomate, *Actus distinguuntur per obiecta formalia*. Minor (præterquam quod non solū à D. Thom. sed etiam ab alijs Theologis, & Philosophis recipitur) ostēdi potest manifestis instantijs; nam

nam idem bonum, si apprehendatur, ut absens, causat sui desiderium; et si apprehendatur, ut præsens, causat fruitionem: & è cōtra idem malum, si apprehendatur, ut absens, causat timorem, & si ut præsens, causat tristitiam. Imo idem obiectum, si apprehendatur, ut conueniens, causat actum prosequutionis, & si apprehendatur, ut disconueniens, causat actum fugæ.

6 Potest præterea hæc sententia subsequenti confirmari ratione. Si cognitio in fine nõ esset ratio formalis mouendi, seu causandi finaliter, sed solum conditio requisita ad mouendum, seu causandum finaliter, posset à Deo suppleri, (ut patet in applicatione ignis ad passum, quæ, quia non est in igne ratio formalis agendi, sed tantum conditio, potest à Deo suppleri) sed adhuc per absolutam Dei potentiam fieri nequit, quod finis moueat voluntatem, seu causet finaliter conclusa apprehensione, seu cognitione ipsius: ergo, & c.

7 Sed recepta est inter auctores opposita sententia, scilicet, cognitionem, seu apprehensionem, aut (quod idem est) denominationem extrinsecã cogniti, & apprehensi non esse in fine rationem formalem mouendi voluntatem, seu causandi finaliter, sed solum esse conditionem requisitam, rationem verò formalem esse

bonitatem conuenientis, quæ relucet in fine qui cognito, seu apprehenso; & consequenter finem mouere voluntatem, seu causare finaliter non secundum esse apprehensum, sed secundum esse reale. Ita docet Scotus in 1. d. 1. q. 4. §. *Negatiua illius articuli*, & expressius in 2. d. 25. q. vnic. §. *Ad primam rationem* sub lit. M. & in 3. d. 15. q. vnic. §. *Aliter potest dici*, versicul. *Respondeo igitur*, loquens de appetitu sensitivo. D. Thom. 1. contra Gentes cap. 75. noster Okam in 2. d. 3. art. 2. Gabriel in 2. d. 1. q. 1. art. 3. Suarez in Metaph. disp. 23. section. 8. Vazq. 1. 2. disp. 2. cap. 2. ibidẽ Lorca, atque recentiores omnes Philosophi.

8 Et probari potest. Primò, quia illa est ratio formalis mouendi, seu finalizandi in fine, cuius gratia, seu amore agens mouetur ad operandum. Sed agens non mouetur ad operandum ex gratia, seu amore apprehensionis finis, sed ex gratia, seu amore bonitatis, quæ apprehenditur esse in fine: (ut patet in ægreto, qui non mouetur ad sumendum potionem amaram ex gratia, seu amore apprehensionis sanitatis, sed ex gratia, seu amore bonitatis, quam apprehendit in sanitate) ergo bonitas, quæ apprehenditur esse in fine, erit ratio formalis mouendi, & finalizandi in ipso fine, & nõ cognitio, seu apprehensio illius.

9 Sc.

9 Secundò probari potest, quia sub illa ratione mouet finis, seu causat finaliter, qua obtenta, satiatur appetitus agentis, & quiescit. (Finis enim causat nõ solum, ut cognitus, sed etiam ut desideratus.) Sed consequutio bonitatis, quæ apprehenditur in fine, est, quæ hoc præstat, non verò cõsequutio apprehensionis finis: (ut experiẽtia ostendit) ergo bonitas, quæ apprehenditur esse in fine, est ratio formalis, sub qua mouet, & finalizat finis, & nõ illius apprehensio.

10 Ad argumentum factum pro prima sententia communiter Thomistæ respondent concedendo maiorem, sed distinguendo minorem: dupliciter enim (inquiunt) potest intelligi, quod diuersæ apprehensiones causent diuersos actus appetitus in specie; vel quia sunt diuersæ rationes formales obiectiuæ respectu actuum appetitus: vel quia applicant appetitui diuersas rationes formales obiectiuas. In primo sensu minor argumenti est falsa; in posteriori minor argumenti est vera, & intenta à D. Thom. locis pro prima sententia citatis, atque ab omnibus auctoribus recepta: sed inde nihil inferatur (inquiunt) contra sententiam nostram, quæ sustinet, apprehensionem finis non esse rationem formalem mouendi voluntatem, sed solum esse conditionem requisitam. Imò potius inde roboratur; nam ad di-

uersificandum hoc pacto actus appetitus in specie non requiritur, quod ea, quæ sic diuersificant prædictos actus, sint diuersæ rationes formales finis apprehensi, sed potius, quod sint conditiones applicantes appetitui diuersas rationes formales finis apprehensi.

11 Sed cōtra solutionem istã Thomistarũ adhuc vrgent duę priores instantiæ in argumento adductæ; si enim idẽ bonum apprehensum, ut absens, causat desiderium, & apprehensum ut præsens, causat fruitionem, quæ sunt actus appetitus distincti in specie: & è contra idem malum apprehensum, ut absens, causat timorem, & apprehensum, ut præsens, causat tristitiam, quæ etiã sunt actus appetitus in specie distincti: ergo vel fatendum est, falsam esse illam maiorem argumenti, quã ut veram, amplectuntur Thomistæ in præfata solutione; (Id, quod ex parte obiecti distinguit in specie actus appetitus, non est tantum conditio, sed formalis ratio mouendi, seu obiecti mouentis) vel necessariò affirmandum, prædictas apprehensiones non induere rationem conditionis obiectiuæ, sed potius rationem obiecti formalis, ut contendunt aduersarij. Patet consequentia; nam rationes absentis, vel præsentis, secundum quas prædictæ apprehensiones applicant obiectũ bonũ, vel malũ appetitui, non sunt obiecta for-

formalia respectu actuum appetitus, sed potius conditiones se tenentes ex parte obiecti apprehensi.

12 Dicendum igitur nobis est, quod etsi apprehensiones, per quas proponitur obiectum appetitui, non diuersificent actus appetitus, ut rationes formales obiectiuæ, sed potius ut conditiones applicantes obiecta; & quoad hoc verissima sit doctrina tradita à Thomistis in prædicta solutione: tamen ad hoc, ut diuersæ apprehensiones hoc pacto, actus appetitus diuersos in specie causent, non est necessarium requisitum, quod applicent appetitui diuersa obiecta formalia; (ut contendunt Thomistæ) sed sufficit, quod applicent idem obiectum formale sub diuersis conditionibus obiectiuis, dummodo prædictæ conditiones sufficientes sint ad hoc, ut appetitus diuerso modo in specie tendat in prædictum obiectum formale. Et hoc contingit in instantiis adductis; nam idem bonum (quod est obiectum formale appetitus in actibus prosecutionis) apprehensum, ut absens, habet conditionem obiectiuam sufficientem ad hoc, ut appetitus diuerso modo in specie ipsum prosequatur, ac prosequitur, quando idemmet bonum ipsi proponitur, ut præsens. Et è contra, idem malum (quod est obiectum formale appetitus in actibus fugæ) apprehensum, ut absens, habet conditionem obiectiuam sufficientem ad hoc, ut appetitus diuerso modo ipsum fugiat, ac fugit, quando idemmet malum proponitur ipsi, ut præsens.

13 Ex quibus intero, Thomistas in sua solutione non rectè concessisse maiorem istam argumenti propositionem: (*Id, quod ex parte obiecti distinguit in specie actus appetitus, non est conditio, sed formalis ratio mouendi, seu obiecti mouentis*) licet enim ratio formalis mouendi, seu obiecti mouentis diuersificet in specie actus appetitus, quoties ipsa diuersa est in specie (ut patet in vltima instantia ex adductis in argumento: idem enim obiectum, quod apprehensum, ut conueniens, cauatur actum prosecutionis, si apprehendatur, ut disconueniens, quæ est ratio mouendi pluiquam in specie diuersa à ratione conuenientis, causabit actum fugæ, qui pluiquam in specie diuersa est ab actu prosecutionis) tamen non solum ex hoc capite actus appetitus diuersificantur species; nam etiã diuersificari possunt ex eo, quod eademmet ratio formalis obiecti mouentis applicetur appetitui cum conditionibus obiectiuis sufficientibus ad hoc, ut appetitus diuerso in specie modo tendat in prædictum obiectum; ut instantia actus desiderij, & actus fruitionis; & similiter instantia actus timoris, & actus tristitiæ supra ad-

adductæ manifestè conuincunt. Et etiam idem ostendit essentialiale discrimen, quod versatur inter actum desiderij, & actum spei, quibus desideramus, atque speramus beatitudinem: quod discrimen essentialiale provenire non potest ex ratione formali obiecti mouentis appetitum, cum hæc eadem sit in utroque actu, sed solum provenit ex conditione obiectiua arduitatis, quæ relucet in obiecto spei, & non in obiecto desiderij. Omitto aliã instantiam, quæ afferri solet ad hoc intentum de actu charitatis viæ, & patriæ: quia etiam si in via Scoti (qui sustinet, actus istos specie distingui) optima sit: tamen Thomistæ, contra quos nunc certamè subimus, talem distinctionem specificam inter prædictos actus non admittunt.

14 Neque doctrina ista censeri debet contraria illi communi axiomati, *Actus distinguuntur per obiecta*, quod omnes intelligunt de distinctione specifica, & obiectis formalibus. Nam Arist. hoc non protulit, quia existimarit, ex sola distinctione obiectorum formalium venandam esse distinctionem specificam in actibus, sed quia præcipuè, & principaliter desumitur ab illis. Qui modus loquendi frequens est in Arist. nam etiã de forma substantiali dixit in hoc libro text. 28. *esse rationem, & quod quid est rei*, non quia putauerit, solam formam esse de essentia cõpo-

siti substantialis, (cum etiã materia ad eius spectet essentiam) sed quia est præcipua, & principalis pars essentia cõpositi substantialis. Et 5. Physic. c. 4. dixit, motum specificari à termino *ad quem*, non quia iudicavit, solum terminum *ad quem* esse illius specificatiuum; (Aliàs non rectè distinguerat essentialiter c. 1. eiusdem libri motum à mutatione per diuersos terminos à quibus: & similiter perperam text. 33. eiusdem libri, quàm 1. de cælo c. 2. distinxisset specie motum rectum, & motum obliquum, non ex termino *ad quem*, sed ex modo tendendi ad illum) sed quia præcipuè, & principaliter specificatur à termino *ad quem*.

15 Ad confirmationem adductam in fauorem primæ sententiæ respondetur, ex eo, quod apprehensio, seu cognitio finis sit tantum conditio requisita, ut finis possit mouere voluntatem, seu causare finaliter, non rectè inferri posse à Deo suppleri: nam aliqua sunt conditiones ita per se, & essentialiter requisitæ, ut nullatenus à Deo suppleri possint. Existencia enim realis in causa efficienti non est ratio formalis agendi, sed conditio requisita ad agendum; & tamen à Deo suppleri non potest. Et huic conditioni assimilatur conditio apprehensio, seu cognitio, quæ requiritur in fine ad mouendam voluntatem, seu causandum finaliter; sicut enim existentiã tribuit causæ efficienti, quod

quod realiter existat, quod est esse per se, & essentialiter requisitum ad agendum efficienter; ita apprehensio, seu cognitio tribuit fini, quod existat obiective in cognitione: quod est esse per se, & essentialiter requisitum ad hoc, ut possit mouere voluntatem, seu finaliter causare.

QVÆSTIO VI.

Utrum agentia naturalia operentur propter finem?

IN hac re fuit opinio veterum Philosophorum, quos hic c. 8. citat Arist. scilicet, Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, & Epicurij, qui affirmabāt, agentia naturalia non operari propter finem, sed casu omnia euenire, vel ex cōcursu atomorum temere ita cōcurrentium, vel ex necessitate materiæ. Quæ sententia suaderi potest. Primo, quia finis non mouet, nisi cognitus, seu apprehensus. Sed plura agentia naturalia non habent cognitionem finis: ergo neque poterunt agere propter illum. Secundò, ab agentibus naturalibus sæpè fiunt mòstra, quæ fieri non possunt propter aliquem finem, sed ex defectu alicuius principij concurrentis ad generationem, ut docet Arist. in hoc libro text. 82.

2 Sed hæc opinionem, ut absurdam, omnes tã Philosophi, quã Theologi relinquunt; atque ex professo eã impugnat Arist. in extremis huius libri capituli-

bus, & lib. 2. de ortu, & interitu; & de partibus animalium cap. 11. Neque impugnatione eget; nam, philosophia tacete, orbis tam mira pulchritudo, atque rerum maximè distantium conuenientia sanè indignant, mirificèque testantur, hæc omnia, quæ in rerum natura sunt, neque casu patrata fuisse, neque orbata sine persistere, & propagari. Quibus accedit brutorum animalium in fetibus educandis ingenij plenus amor, in operibus conficiendis artificium; in alimento inquirendo industria; in se, suaque specie tuenda, atque conseruanda sollicitudo, arma, astus, stratagemata, quibus hostem, aut vi repellunt, aut mirabili calliditate declinant. Hæc enim omnia, (ne in profundo, atque inuestigabili operum naturæ chaos amplius immoremur) cum tanto naturæ impetu ab ipsis appetantur, liquidò prædicant, mutique proclamant vocibus, fieri quidem alicuius boni, & cōmodi gratia, atque consequenter ob aliquem finem.

3 Pro solutione primi argumenti est aduertendum, quod cum finis non finalizet, nisi cognitus, ex diuersis cognitionibus, quibus potest finis agentibus naturalibus applicari, optime colligunt auctores in agentibus naturalibus diuersos modos operandi propter finem. Sunt autem tres modi cognoscendi finem, & consequenter triplex etiã modus

operandi propter finem.

4 Primus (& omnium perfectissimus) est, quando non solum agentia naturalia cognoscunt rem, quæ est finis, propria cognitione, sed etiam in illa percipiunt rationem formalem finis, id est, proportionem, quæ habet cum medijs, & media cum illa. Et agentia naturalia, quæ hoc pacto cognoscunt finem (quæ sunt sola rationalia) dicuntur proprie, & formaliter agere propter finem; quia à fine, ut finis est, ab ipsis cognito, & amato mouentur ad aliquid agendum gratia illius; in quo consistit vera, & formalis causatio finis, ut supra dictum est.

5 Secundus modus (& minus perfectus) est, quando etiã agentia naturalia cognoscunt rem, quæ est finis, propria cognitione, non tamè percipiunt in illa rationem formalem finis, id est, proportionem, quæ habet cum medijs, & media cum ipsa; sed solum percipiunt per cognitionem sensitiuam boni ibi latens potest allicere eorum appetitum. Et agentia naturalia, quæ hoc pacto cognoscunt finem, (quæ sunt animalia irrationalia) non dicuntur agere propter finem proprie, & formaliter; quia cum non cognoscant proportionem medianam cum fine, nihil eligere, seu uelle possunt gratia finis; sed dicuntur agere propter finem improprie, & materialiter, eo, scilicet, quod tendant in rem, quæ est finis propter instinctum naturalem à

Deo receptum, tamquam in bonum sensibile conueniens proprijs eorum naturis.

6 Tertius (& omnium imperfectissimus) est, quando agentia naturalia non agnoscunt finem, propria cognitione, sed aliena, quæ ipsis attribuitur, in quantum per illam ab auctore naturæ diriguntur in proprios fines. Et agentia naturalia, quæ hoc pacto cognoscunt finem (quæ sunt omnia insensibilia) dicuntur improprie agere propter finem: solum enim dicuntur agere gratia illius, quatenus media inclinatione naturali eis ab auctore naturæ attributa tendunt in finem non ab ipsis cognitum, sed illis ab auctore naturæ propositum; non secus, ac sagitta dicitur tendere in scopum medio impulsu, quæ recipit à sagittario, non ab ipsa cognitum, sed ab ipso sagittario. Qui modus agendi propter finem, etiam improprie, sufficiens tamen est ad salutem adu; quod agens hoc pacto non operetur temere, & à casu, cum re vera operetur ex consilio, & deliberatione: saltem aliena.

7 His prænotatis ad primum argumentum respondetur, ex eo, quod aliqua agentia naturalia non habeant cognitionem finis, seu qui quidem, non posse agere propter finem in primo; & secundo sensu explicatis; non uero sequi absolute non agere propter finem: nam ad agendum propter finem in tertio sensu sufficit, quod finis cognoscatur

ab auctore naturæ; & quod ab illo ordinata sint in præd. etum finem, tribuendo, scilicet, eis inclinationes naturales ad prædictum finem consequendum: quod contingit in productione cuiuscumq; entis naturalis.

8. Ad secundum argumentum respondet Arist. ex eo, quod ab agentibus naturalibus producantur monstrua, non sequi a gêria naturalia nõ agere propter finem, sed potius concludi oppositum. Et rectè quidem sic respondet; nam sicut solum dicuntur monstrua in artificialibus; id, quod fit præter regulas artis; & deuians à fine illius, ita solum dicitur monstrum in rebus naturalibus id, quod ex aliquo accidenti non fit modo cõsuetõ, sed aliquo modo deficienti à fine agētium naturalium. Unde, si agentia naturalia nullum haberent finem in suis operationibus, nullum re. vera monstrum posset produci.

9. Occasione huius secundi argumenti communiter auctores in præsentia disputat. de monstris: (quamuis re. vera disputatio ista potius spectet ad libros de generatione animalium) & tria inquirunt. Primum, *Quid sit monstrum?* Secundum, *Per quæ causas monstrua eueniant?* Tertium, *Qualiter intendantur à natura?*

10. Circa primum dicendum est cum Scoto hic quod 14. quod monstrum est effectus eueniens præter communem, & cõsuetum cursum naturæ, deficientis, aut superabundans

in aliquo, quod necessario requiritur ad perfectum esse in sua specie. In qua definitione ly effectus ponitur loco generis, in quo conuenit monstrum cum effectibus perfectis. Adicitur eueniens præter cõmunem, & cõsuetum cursum naturæ, ad denotandum de ratione monstrum esse, quod sit effectus inordinatus, & raro eueniens. Adicitur deficientis, aut superabundans in aliquo, quod necessario requiritur ad perfectum esse in sua specie, quia quælibet species certas vindicat dispositiones, à quibus cum factus degenerat, aut per abundantiam, aut per deficientiam dicitur monstruosus.

11. Circa secundum dicendum est cum Scoto loco citato, quadruplici de causa monstrum provenire. Primò ex superabundantia materiæ. Secundò ex defectu materiæ. Tertio ex indispotione primarum qualitatum. Et quartò ex indispotione continētis.

1.2. Ex superabundantia materiæ tribus modis possunt monstrua provenire; aut enim materia superabundat proportionaliter in omnibus mēbris; & tunc fit aliquis nimis magnus, ultra cõsuetum cursum naturæ; ut gigas; aut solum superabundat in vno membro, & nõ in alijs; & tunc contingit, aliquem nasci cum vno membro excedenti aliud, impropotionaliter; aut occludi aliquod foramen corporis, seu fieri nimis strictum, ut introitus aurium

narium; atque huiusmodi aliud: aut demum superabundantia materiæ contingit in quantitate discreta; & tunc contingit effectum fieri cum duobus mēbris; puta cum duobus pollicibus in eadem manu; aut quid simile.

13. Ex defectu materiæ ex totidem capitibus potest è cõtrario monstrum provenire: nõ vel materia deficit proportionaliter in omnibus mēbris; & tunc fit aliquis nimis parvus, ut manus: vel deficit in vno mēbro, & non in alijs; & tunc contingit, aliquem nasci cum vno membro nimis paruo respectu aliorum membrorum: vel demum defectus materiæ contingit in quantitate discreta; & tunc contingit, quod factus nascatur cum vna tibia solum, aut cum vno tantum oculo, &c.

14. Ex indispotione primarum qualitatum quatuor modis possunt contingere monstra, eo quod quatuor sunt primæ qualitates. Nam primò contingit, quod materia sit nimis calida; & propter hoc quædam mulieres apparent viriliores, & barbatae. Secundò contingit, quod materia sit nimis frigida; & propter hoc accidit, aliquos esse nimis frigidos, & maleficiosos, id est, impotētes ad coeundum. Tertio contingit, materiam esse nimis siccam; & propter hoc homo est nimis directè staturæ in iuventute, qui tamen statim post efficitur cur-

uus; & hoc quia humiditas, quæ abundat in iuventute erat sufficiens, ut dilaretur materia. Et demum quartò contingit, materiam esse nimis humidam; & propter hoc aliqui semper sunt impotētes ad ambulandum propter defectum consolidationis membrorum.

15. Ex indispotione continētis (quod, ut aduenit Scotus, duplex est; vnum propinquum, & alterum remotum) etiam contingit fieri monstra. Aut enim continens propinquum ipsius factus (quod nihil aliud est, quàm quædam subtilis pellicula, quam Albertus super istum secundum librum vocat secundinam) est nimis strictum; & tunc contingere solet, quod duo membra eiusdē factus coniungantur in vno membrum; ut brachium capiti, & tibiae insimul. Aut prædictum continens propinquum aliquando rumpitur, itaut per fracturam exeat aliquid ipsius factus; & tunc contingit, quod factus fiat distortus, aut gibbosus. Continēs remotum est casum, ratione cuius proveniunt multa monstra, & diuersa secundum diuersitatem qualitatum, & dispositionum, quas influunt in ista inferiora.

16. Aduertit etiam Scotus nõ solum accidere monstra in corporibus animalium, sed etiã in plantis, ut quando aliqua planta producit fructum infectum; inò & in corporibus in-

animatis; nam quandoque cōtingit, pluere sanguineum humorem, & quandoque ignem; quorum causas ex pluviate pertinet ad libros Meteororum. 17 Circa tertium, & ultimum dicendum est eum eodē Scoto lococitato, monstra esse intenta à natura, nō primaria, sed secundaria intentione. Et sermo est non de monstris simpliciter formati, quia ratione dicunt priuationem perfectionis debita effectibus; sed materialiter, scilicet, de effectibus, qui subsunt tali priuationi. 18 Ad cuius probationē aduertit Scotus, duplicem esse intentionem naturæ; vnam primariā; secundariā in alteram. Intentio primariā dicitur illa, quam præ oculis habet in suis operationibus; & hæc est generare rem; secundariā perfectionem debitam suæ speciei. Secundaria verò dicitur, quæ sequitur post primam; talis est; quādo impedita natura ab alia causa à consequitione effectus primariē intenti non desistit ab operatione effectus, sed producit illum eo modo, quo potest. 19 Hoc supposito probat Scotus suam sententiā quoad omnes partes. Et in primis monstra materialiter sumpta esse à natura intentas ostendit hoc syllogismo expositio. Hoc (de monstrato effectū monstrato) est à natura intentum. (siquidem est productum ab ipsa virtute sibi insita, & naturali) Sed hoc

est monstrum; ergo monstrum est intentum à natura. Deinde monstra non esse intenta à natura ex primaria intentione, sic probat. Intentum à natura ex primariā intentione habet perfectionem debitā suæ speciei. Monstra non habēt perfectionē debitam suis speciebus; ergo monstra non sunt intenta à natura ex primaria intentione. Demum monstra esse intenta à natura ex secundaria intentione; sic concludit. Illud dicitur intentum à natura ex secundaria intentione, quod sequitur post primam intentionem. (id est, quod producit à natura, quando impedita ab alia causa à consequitione effectus primariē intenti non desistit ab operatione effectus, sed producit illum eo modo, quo potest) Talis est effectus monstruosus; ergo monstra intentas sunt à natura ex secundaria intentione. 20 Est autem aduertendum, nos hucque esse locutos de natura particulari, qualis est quodlibet agens naturale; nam si sermo esset de natura vniuersali, (qualis est Deus, vt est auctor naturæ) dicendū est, monstra naturalia esse ex primaria intentione naturæ; nam Deus, vt auctor naturæ, intendit primariā intentione perfectionem vniuersi, ad quam conducunt monstra, non obstante, quod in se ipsis considerata sint effectus imperfecti; nā sicut facies aliquando redditur pulchrior

ex

ex aliqua parua macula; quæ Hispanè dicitur *lunar*; & armonia ex interpositione aliquid inconsonantiæ; ita etiam vni-

uersum est pulchrius ex hoc, quod quandoque monstrum producit.

DISPUTATIO SEXTA.

De Casu, & Fortuna.

DE Casu, & Fortuna hæc inserimus disputationem propter eandem rationem, ob quam illam inseruit Aristoteli mirum, quia Fortuna, & Casus sunt causæ per accidens; & ad cognitionem causarum per se, de quibus principaliter disputatur in hoc libro, aliquo modo conducit cognitio causarum per accidens. De Fortuna, & Casu solum inquiri solet, *Quid sint?* & *An sint?* Quibus adijciam secundam quæstionem, in qua idem de Fato examinabimus.

QUÆSTIO PRIMA.

*Quid sint Fortuna, & Casus? & an sint in rerum**natura?*

I CIRCA primum dicendum est cum Aristoteli, text. 52. *Fortunam esse causam per accidens in his, quæ raro contingunt, ex electione.* In qua definitione ponitur loco generis nomen *causa*, in quo conuenit cum causis per se, & per ipsum denotatur error vulgi, qui Fortunam solet appellare effectum per accidens secundum, qualis est inuentio thesauri ab illo, qui ex fine hauriendi aquam fodit terram, cum re vera apud Aristotelē & Philosophos effectus per acci-

dens secutus non dicatur Fortuna, sed potius causa illius effectus, vt opinari cōuenit. Scotus hic q. 1. quia ad quæstionem quærentem propter quid de effectu fortuito, responderetur, quod à Fortuna.

2 Additur *ly. per accidens*, per quod differt Fortuna à causis per se: nō enim qualiscūq; causa dicitur Fortuna, sed illa solū, quæ cōparata ad effectū est respectu illius causa per accidens. Vbi aduertendū venit, quod causa dupliciter potest dici per accidens. Primum ex parte causæ, nimirū, quia

quia id, quod dicitur causa per accidens, accidentaliter est coniunctum cum causa per se; qualiter esse album in artifice dicitur causa per accidens respectu statuae secundò ex parte effectus, nimirù, quia id, quod dicitur effectus per accidens, est accidentaliter coniunctum cum effectù per se alicuius causae: qua ratione effodiens terram ad hauriendam aquam, dicitur causa per accidens inuentionis thesauri. Ad rationem Fortunae requiritur, quòd sit causa per accidens, non primo, sed secundò modò, vt aduertit Arist. in littera.

3 Adijcitur vterius in his, quae raro contingunt, quia respectu eorum, quae frequenter contingunt, etiam si causa sit per accidens, & effectus sequatur præter intentionem operantis, neque causa dicitur Fortuna, neque effectus fortuitus. Imò addo, ly raro non solum significare in prædictis verbis raritatem in ordine ad tempus, sed etiam in ordine ad qualitatem effectus; nam (vt optimè aduertit Scotus hic q. 11. §. Quarto notandum) effectuum per accidens, & qui eveniunt contingenter cum effectibus per se intentis, quidam sunt inanes, & supervacui, scilicet, quia nullius sunt bonitatis, vel malitiae, vel saltem non notabilis, vt casus pili propter fricationem barbae, aut disruptio festucae. Et respectu istorum effectuum

nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus; quia ad hoc necessarium est, quòd sint effectus tam raræ bonitatis, vel malitiae, vt dignum fuisset, quòd quis ageret propter ipsos, si fuissent præciti.

4 Demam ponitur ly ex electione ad denotandum Fortunam solum reperiri in agentibus intellectualibus, qui liberè, & ex electione operantur. Et per hanc ultimam particulam differt Fortuna à Casu, qui sic definiri solet, est causa per accidens in his, quae raro contingunt. Vnde idem, quod in agentibus intellectualibus dicitur Fortuna, in brutis, vel rebus inanimatis (quae etiam si operentur propter finem, sed non liberè, & ex electione) dicitur Casus.

5 Circa secundum variè Philosophi antiqui lapsi sunt; nam quidam negarunt, dari in rerum natura Fortunam, aut Casum; quorum fundamentum erat, quia putabant, nullam dari causam per accidens, quòd (vt visum est) necessariò requiritur ad rationem Fortunae, & Casus, sed omnes effectus habere suas causas per se. Huius sententiae, siue erroris meminit Arist. cap. 4. huius libri, & ab aliquibus tribuitur Stoicis.

6 Alij verò è contra non solum cõcedebant, dari Casum, & Fortunam, sed etiam ausi sunt affirmare Fortunam esse occultum, & diuinum nomen. Fue-

Fuerunt autem in hunc errorem inducti, eo quòd videbant latentes quosdam, & inopinatos eventus, quorum causam ignorabant, & tamen aliquam esse sibi persuasi, occultum aliquod numen, à quo hi effectus euentrent, statuerunt, illudque Fortunam appellarunt iuxta illud Ciceronis, Ignoratio rerum, atque causarum Fortuna nomen induxit. Et (vt refert Magnus Albertus) sic illam depingebant, videlicet cœcam, existentem in rota, ex vna parte albam, atque nigram ex alia. Pingebant illam cœcam, vt denotarent agere sine prouidentia: in rota existentem, vt significarent eius volubilitatem: partim albam, partimque nigrã, propter foelices, atque infelices effectus quos cauebat. Huius sententiae, seu erroris meminit etiã Arist. in fine capituli quarti citati: atque in hoc sensu nomen Fortunae plures Patres detestantur, præsertim D. Aug. lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 18. & Lactantio libr. 3. cap. 28. & 29.

7 Sed dicendum est, dari in rebus creatis Fortunam, & Casum. Est conclusio Arist. cap. 4. huius libri, quem non solum sequitur Scotus hic, sed etiam ipsum secuntur omnes Philosophi, & Theologi. Probat Arist. hanc sententiam ex communi modo loquendi, quo omnes concedunt, multos esse effectus fortuitos, & casuales:

quod concedere non possent, si non darentur Fortuna, & Casus, à quibus, tamquam à causis prædicti effectus provenirent. 8 Quod confirmari potest ratione a priori; quia effectus fortuitus, vel casualis dicitur ex eo, quòd fit per accidens ab aliqua causa, quae aliud intendebat, atque adeò præter eius intentionem. Sed tam in his, quae operantur ex electione, quam in his, quae operantur ex impetu naturae, datur plures effectus huiusmodi: ergo negari non potest, dari effectus plures fortuitos, & casuales; & consequenter Fortunam, & Casum, quae sint causae horum effectuum. Minor ostendi potest (in his, quae operantur ex electione) instantia illius, qui fodiens terram ad hauriendam aquam, inuenit thesaurum; nam in uentione thesauri est effectus fodientis terram per accidens, & præter intentionem secutus: & (in his, quae operantur impetu naturae) instantia lapidis, qui descendens deorsum ad acquirendam quietem occidit hominem transeuntem, vel dormientem; nam occisio ista hominis est effectus lapidis descendens deorsum secutus per accidens; & præter intentionem, seu inclinationem lapidis quae tantum erat descendere deorsum ad acquirendam quietem in centro. Atque in hunc modum possemus, quam plures instantias adducere.

9 Dicendum est secundò, For-

Fortunam non esse aliquod diuinum, & occultum numen, sed esse causam illius effectus per se intenti, cum quo effectus fortuitus habet accidentalem, seu contingentem connexionem, v. g. respectu inuentionis thesauri Fortuna est effodiens terram ad hauriendam aquam: atque idem dicendum est de Casu.

10 Prior pars huius asserti est certa secundum fidem, & vt talem ipsam recipiunt omnes catholici Doctores. Et ratio est, quia secundum fidem vnicus tantum est Deus, cui repugnat esse Fortunam, cum Fortuna in quantum talis temere, & sine prouidentia agat: nihil autem sit in rerum natura, quod Dei prouidentiam effugiat iuxta illud D. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Nihil in ista totius creature amplissima quadam immensa que republica est, quod non de interiori, atque inintelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur.*

11 Secunda vero pars probatur, nam causae illius effectus per se intenti, cum quo effectus fortuitus, seu casualis habet accidentalem, seu contingentem connexionem, competit definitio Fortunae, vel casus; siquidem respectu effectus fortuiti, vel casualis habet, quod sit causa per accidens in his, quae raro contingunt ex electione, (si effectus sit fortuitus) vel ex impetu, & inclina-

tionem naturae, si effectus tantum est casualis.

12 Ex quibus infero primo, Fortunam, & Casum reduci ad genus causae efficientis. Quod non solum docuit Scotus q. 11. citata, sed etiam probauit ex eo, quod ad questionem quarentem, *propter quid de effectu casuali, vel fortuito, non responderetur conuenienter per causam finalem, materialem, aut formalem*, dicendo, quod gratia Fortunae, vel Casus, aut ex Fortuna, vel ex Casu; aut per Fortunam, vel per Casum, sed per causam efficientem dicendo, quod a Fortuna, vel a Casu.

13 Secundo infero cum eodem Scoto q. 10. respectu Dei nihil Casu, seu fortuito euenire posse: siquidem nihil euenire potest (vt ex Aug. supra dicebamus) abique diuina prouidentia iuente, seu permittente. Ex quibus ulterius sequitur, quod simpliciter, & absolute loquendo, nihil potest dici fieri a Casu, seu a Fortuna: (Quod etiam annotauit Scotus q. 10. citata) nam ad hoc, quod simpliciter, & absolute aliquid dicitur fieri a Casu, seu a Fortuna, non sufficit, quod fiat praeter intentionem istius, vel illius causae, sed necessarium est, quod fiat praeter intentionem omnium causarum. Et haec est ratio, ob quam D. Aug. super illud Psalmi 31. *Verumtamen in diluuium aquarum multarum inter-*

do-

QVAESTIO II.

Quid sit Fatum? & an sit in rerum natura?

doctrinas inquinantes animas hominum refert illas, quae sic loqui docent, *Casus fecit; Fortuna fecit*. Et libro 1. Retractionum cap. 1. dolet, quod toties in tribus libris contra Academicos vsus fuerit nomine *Fortuna*, quamuis praedicto nomine noluerit intelligere aliquam Deam, sed fortuitum rerum eventum.

14 Nihilominus hoc non obest ad hoc, quod secundum quid, & cum addito restringente, & determinante ad causas particulares creatas aliquid dici possit fieri a Casu, seu a Fortuna: (vt cum Arist. omnes Philosophi, & Theologi locuntur) Quod optime declarat Scotus q. 10. citata exemplo patris familias mittentis Socratem, & Platonem per diuersas vias ad eundem locum, vbi iacebat bos in puteo, & nec Socrates, neque Plato sciebat, aliquid de boue, nec vnus de alio, neque e contra: tunc obuiatio istorum duorum ad puteum, & extractio bouis, de puteo sunt a Fortuna respectu Socratis, & Platonis, quia neuter illorum effectuum intendebatur ab aliquo eorum; & tamen illi effectus non sunt fortuiti respectu patris familias, qui intendebat illos effectus. Et simili alio exemplo idem explicat, & declarat D. Th. 1. p. q.

116. art. 1.

1 DE Fato hanc questionem hic inferimus, quia (vt ex dicendis constabit) pertinet ad ordinem causarum; & in super est, quid oppositum Fortunae, & Casui, non secus, ac necessarium opponitur contingenti, & id, quod est per se, ei, quod est per accidens: oppositorum autem eadem est ratio, & disciplina.

2 Circa primum dicendum est, Fatum nihil aliud esse, quam dispositionem, & ordinem, quem habent causae secundae a diuina prouidentia ad hoc, vt ab ipsis infallibiliter proueniant tales, vel tales effectus. Vnde Boetius libro 5. de consolatione sic Fatum definit. *Est immobilis dispositio inherens rebus mobilibus, per quam diuina prouidentia suscipit neque ordinibus.*

3 Quae definitio vt clarius intelligatur, est aduertendum, dispositionem, per quam Deus ordinat causas ad producendum suos effectus, posse dupliciter considerari. Vno modo actiue, & prout est in ipso Deo; & vt sic appellatur prouidentia quae sic solet definiri, *est ratio ordinis veri in diuina mente existens*. Alio modo passiuè, & prout est in causis ordinatis, directis; a Deo ad effectus producendos; &

& vt sic appellatur Fatum. Dicitur autem hæc dispositio, quæ est Fatum, inhærere rebus mobilibus, quia causæ creatæ, in quibus est, in se expectatæ, mutationi sunt obnoxiz, & in hanc, vel illam partem cadere possunt. Appellatur tamē hæc dispositio immobilis, quia stabilis est, ac firma, vt relata ad diuinam prouidentiam, è cuius fonte descendit. Et tandem additur, diuinam prouidentiam per huiusmodi dispositionem cuncta necere, quia, quæ Deus facienda apud se statuit, illius interuentu re ipsa perficit.

4 Est autem aduertendum, in præsentī definitione Boetij Fatum appellari dispositionem, sumpta dispositione, non pro qualitate, sed pro relatione: (vt docuit D. Thom. 1. p. q. 116. art. 2. ad 3. his verbis. Fatum dicitur dispositio, non quia est in genere qualitatis, sed secundum quod dispositio designat ordinem, qui non est substantia, sed relatio) non quia Fatū solum dicat relationem, aliàs nō posset Fatum ad genus causæ efficiētis spectare (vt in omnium sententia spectat) cum relatio nullam virtutem efficientem habeat; sed quia ex duobus, quæ includit Fatum, scilicet, ipsas entitates, & virtutes causarum secundarum; & relationem, seu ordinem talium entitatum, seu virtutem requisitum, vt infallibiliter producant effectus à Deo ordi-

natos, seu stabilitos, ordinem, seu dispositionem dicit pro formali; entitates verò, seu virtutes causarum secundarum solum includit pro materiali.

5 Hoc supposito circa existentiam Fati in rerum natura (quod est secundum quæstionis quæsitum) variè senserunt Ethnici Philosophi. Quidam dixerunt, Fatum esse nomen inane, id est, id, quod signatur ab auctoribus hoc nomine *Fatum* non esse in rerum natura. Ita Cicero libr. de Natura Deorum. Fundamentum eorum erat velle saluare in rebus creatis libertatem, & contingentiam, quæ non videbatur eis posse saluari admittendo Fatum in sensu exposito, id est, sumpto pro dispositione, seu ordinatione passiuæ causarum secundarum proueniente à diuina prouidentia firma, & stabili ad aliquid infallibiliter producendum. Vnde coacti sunt illi, etiam diuinam prouidentiam denegare. Quod annotabit Aug. 5. de ciuitate Dei cap. 9. dicens, quod Cicero, dum voluit facere homines liberos, fecit illos sacrilegos.

6 Alij verò è contrario non solum admiserunt Fatum, sed etiam eius legibus omnia ita addixerunt, vt liberum arbitrium ab hominibus, atque contingentiam ab omnibus causis secundis tollerent dicentes, Fatum esse indeclinabilem rerum ordinem, siue naturalē, &

& necessariam rerum consequentiam. Et ex his quidam hunc indeclinabilem rerum ordinem Astorum sitibus tribuebant. Ita Stoici, (teste Cicero nelib. 1. de Diuinitate) & ex hæreticis Bardesanes, & Priscilianistæ. (vt affirmat noster Castro lib. 7. aduersus hæreses, verbo, *Fatum*) Alij vero ipsum tribuebant efficacitati diuinæ voluntatis ita ordinantis. Sic Seneca lib. 2. naturalium quæstionum cap. 35. & 36. & libr. 14. de beneficijs cap. 7. quam sententiam videntur sequi aliqui hæretici nostri temporis, licet non sub nomine Fati, vt colligitur ex Concilio Tridentino sessione 6. capit. 5. & can. 4.

7 Veratamen, & catholica sententia tenet contra priores Philosophos dari in rerum natura Fatum in sensu exposito; & contra posteriores Philoso-

phos, atque hæreticos, hoc Fatum non tollere à causis secundis libertatem, & contingentiam. Et quidem dari in rerum natura Fatum in sensu exposito, ita certum est, ac est certum esse in Deo prouidentiam, qua ab æterno ordinauit, & disposuit, infallibiliter fore omnia, quæ futura sunt: siquidem (vt dictum est) Fatum nihil aliud est, quam ordinatio passiuæ à diuina prouidentia dilapsa. Deinde hoc Fatum non tollere libertatem, & contingentiam à causis secundis, latè probant Theologi affirmantes, prouidentiam Dei, etsi certa, & infallibilis sit, non tamen lædere contingentiam, & libertatem causarum secundarum; à quo nunc super sedemus, quippè non est nostri instituti: latè autem illud explicuimus in materia de voluntate Dei disp. 3. q. 4.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De comparatione causarum tam inter se, quam ad suos effectus.

DE causa in communi, & de quatuor generibus causarum in speciali actum est in præcedentibus, restat pro complemento huius libri, vt de comparatione causarum tam inter se, quam cum effectibus disputemus. Sunt autem hic quatuor examinanda. Primum, *Quomodo se habeant cause inter se?* Secundum, *Quomodo se habeant cause ad suos effectus?* Tertium, *Vtrum idem numero effectus productus ab vna causa potuerit prodire ab alia distincta numero, eiusdem tamen rationis?* Quartum, *Vtrum idem*

numero effectus possit simul produci à pluribus causis totalibus, & adequatis eiusdem rationis?

QVÆSTIO PRIMA.

Quomodò se habeant causæ inter se?

IN primis quatuor genera causarum possunt inter se comparari quoad distinctionem: & adhuc hæc comparatio fieri potest, vel secundum rationes formales causæ, vel secundum rationes materiales. In primo sensu certum est, causas adinuicem comparatas esse distinctas, nec posse in vnũ conuenire. Quod probat tum auctoritas Arist. qui rationem formalem causæ in communi in materialem, & formalem, efficientem, & finalem, tamquam in rationes formales causæ distinctas diuisit. Tum etiam ratio; nam causalitates, seu formæ, à quibus res habent, quòd sint, seu denominentur, tam in actu primo, quam in actu secundo causæ materiales, formales, efficientes, & finales, sunt omninò distinctæ, neque in vnum possunt conuenire, vt ex dictis, dum specialiter de his causis agebamus, manifestum est.

2 In secundo verò sensu dubium est, an inter res, quæ denominantur causæ materiales, formales, efficientes, & fina-

les, debeat semper interuenire distinctio realis? An verò fieri possit, vt eadem numero res habeat plures rationes cauandæ ex enumeratis? Potest autem hoc inquiri, vel in ordine ad diuersos effectus, vel in ordine ad eundem.

3 Si quæstio procedat in ordine ad diuersos effectus, dicendum est, non esse necessarium, quod intercedat distinctio reales inter res, quæ materialiter, seu denominatiuè dicuntur causæ materiales, formales, efficientes, & finales; quia non repugnat, quòd eadẽ numero res in ordine ad diuersos effectus habeat plures causalitates, à quibus denominatur causa in his omnibus generibus. Eadem enim forma, v. g. ignis, respectu generationis, qua producit, habet rationem finis, & est forma, tam respectu materiæ, quam in formati, quòd constituit, & est principium efficiens respectu alterius ignis, quem producit in externa materia; & est causa materialis respectu caloris, & sic citatis, quæ in se recipit, vt dif-

dispositiones naturaliter requisitas ad suam conseruationem.

4 Et ratio huius doctrinæ est, quia non repugnat, eandem rem respectu diuersorum terminorum fundare, non solum diuersos, sed etiam oppositos respectus: (Idem enim album, quòd respectu alterius albi fundat relationem similitudinis, respectu nigri fundat relationem dissimilitudinis) ergo etiam si respectus, quos pro formali dicunt quatuor genera causarum, sint diuersi, poterunt optimè fundari in eadem re respectu diuersorum terminorum absque vlla implicatione; & consequenter eadem res ab illis poterit causa materialis, formalis, efficiens, & finalis denominari.

5 At si quæstio procedat in ordine ad eundem effectum, dicendum est, in aliquibus ex his generibus necessariò requiri, quòd causæ, adhuc materialiter sumptæ, realiter distinguantur; nec fieri posse, quòd eadem numero res vtrumque genus causæ possit exercere; secus verò contingere in alijs. Quòd sic declaro. In genere causæ materialis, & formalis simul implicat, quòd eadem numero res induat rationem causæ respectu eiusdem effectus. Et idem dico de genere causæ efficientis. Ratio prioris est, quia relationes, quas dicunt pro formali causa materialis, & causa for-

malis requirunt in fundamentis condiciones oppositas, vt sunt ratio potentiæ formalis, & ratio actus formalis, quæ eò ipso eidem rei respectu eiusdem effectus non poterunt conuenire. Posterioris verò ratio est, quia forma, quæ respectu effectus causæ efficientis exercet munus causæ formalis, est terminus formalis actionis effectiuæ, qua producit talis effectus: ergo implicat, quòd dicta forma sit etiam eiusdem actionis principium effectiuum.

6 In genere causæ formalis, & finalis simul optimè potest eadem numero forma rationem causæ exercere respectu eiusdem subiecti, sed non respectu eiusdem cõpositi, quòd ex tali subiecto, & ex tali forma coalescit, v. g. forma substantialis comparata ad materiam primam, & est forma illius, & etiam finis; tamen comparata ad cõpositum substantiale, quòd ex eis resultat, et si induat rationem causæ formalis, sed non finalis; nam cõpositum non est gratia formæ, sed potius forma est gratia cõpositi. Quòd si formam ad generationem, qua producit, comparemus, et si eadẽ numero res sit forma, & finis, (vt docuit Arist. in text. 70.) sed non respectu eiusdem, sed respectu diuersorum. Licet enim forma propriè sit finis generationis, qua producit, nõ tamè propriè est causa formalis illius, sed

hoc munus propriè exercet respectu compositi.

7 In genere causæ finalis, & efficientis distinguendum est. Si enim finis sit finis *cui*, optimè potest eadem numero res rationem vtriusque causæ simul exercere respectu eiusdè effectus, secus verò si finis sit finis *qui*. Ratio prioris est, quia nihil obest, quòd efficiens operetur propter se ipsum, vt propter finem *cui*. Et hoc modo Deus est simul principium efficiens, & vltimus finis suorum operum. Posterioris verò ratio est, quia finis *qui* est effectus causæ efficientis: ergo implicat, in vnum numero coincidere. Et de hoc fine *qui* loquitur Aristotel. cum text. 70. citato dicit, finem, & efficiens non posse in vnū numero coincidere; benè tamen in vnum secundum speciem.

8 In genere causæ materialis, & finalis (si finis sit finis *cui*) optimè potest eadem numero res simul inducere rationè causæ; nam idem numero subiectum accidentium, & est causa materialis eorum, & finis *cui*: homo enim, & est causa materialis sanitatis, & finis, cui dirigitur acquisitio sanitatis.

9 Demum in genere causæ materialis, & efficientis, optimè potest eadem numero res simul exercere rationem causæ respectu eiusdem effectus: nam eadè res potest esse agens, & patiens; vt latè docet Scotus in 2. d. 2. §. q. vnica, §. Ad primam

rationem, & manifestè conuincitur instantijs actionum immanentium.

10 Secundò possunt comparari quatuor genera causarum inter se, quoad ordinem dignitatis, & perfectionis in ratione formali causandi. Et communis resolutio est, in modo causandi causas extrinsecas, vt sunt finalis, & efficiens, esse nobiliores, & perfectiores causis intrinsicis, quales sunt materia, & forma. Tum, quia causæ intrinsicæ causant per modum partis, & consequenter incompleto, atque imperfecto modo. Tum etiam, quia causæ intrinsicæ in suo modo causandi dicunt mutabilitatem; causæ verò extrinsecæ in suo modo causandi has imperfectiones non includunt. Vnde Deus, qui est perfectissimus, & supremus, habet maximè rationem causæ efficientis, & finalis, non autem materialis, & formalis propter assignatas in modo causandi imperfectiones.

11 Deinde facta comparatione inter causas extrinsecas, finalem in modo causandi esse nobiliorem, & perfectiorem causa efficiente, est etiam commune. Quod non solum docuit Aristot. 1. de partibus animalium capit. 1. his verbis, *Principatum sanè illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo, cuius gratia, significamus*; sed etiam comprobatur, quia ipsum agens mouetur, & allicitur à fine ad op-

operandum: quod in genere causandi multum sibi arrogat excellentiæ.

12 Et demum, facta comparatione inter intrinsecas, formalem in modo causandi nobiliorem esse, & perfectiorem causa materiali, est etiam communis resolutio; siquidem materia causat, vt potentia, & per passiuam receptionem; forma verò, vt actus, & per informationem: qui modus causandi multò perfectior est. Et hæc quidem optimè dicta sunt secundum has considerationes.

13 Tamen posset quis comparare istas causas secundum perfectiorem, vel imperfectiorem modum dependendi effectus ab ipsis, ita vt illa dicatur perfectior, & excellentior causa, quæ perfectiori modo influit esse in suum effectum, & à qua effectus perfectiori modo pendet. Et in ista consideratione dicendum foret, causam efficientem esse maximè causam: nam etiam si causæ intrinsicæ ad causandum effectum (scilicet, compositum) requirant esse reale existentiam, & quoad hoc in ratione dependendi effectum ab illis excedant causam finalem, quæ ad causandum suum effectum non requirit esse reale existentiam, sed potius est conditio requisita, quòd existat obiectiue in cognitione intellectus, & in intentione voluntatis; & ideo plures (non irra-

tionabiliter) dubitarunt, an haberet verè, & proprie rationem causæ physice, & realis; quod nullus (rationalibiliter) in dubium vertit de causis intrinsicis: tamen in hoc non excedunt causam efficientem, cum ipsa etiam requirat ad causandum esse reale existentiam; & ex alia parte in ratione influendi in effectum multum à causa efficiente excedantur: siquidem ipsæ non causant effectum per verum influxum, sicut causat efficiens, sed potius per sui communicationem, quæ sit mediante earum vnione. Vnde non immeritò causa efficiens dicitur causa per antonomasiam, ab eaque tanquam ab excellentiori in ratione influendi deductum est nomen *effectus*; & Arist. de ipsa sola affirmat esse principium, vnde motus.

14 Tertiò quatuor genera causarum possunt comparari inter se, quoad ordinem prioris, & posterioris in actualiter causando. Et quoad præsens attinet, possumus duos ordines prioris, & posterioris considerare. Vnum temporis consistens in hoc, quòd vna res prius tempore existat, quàm existat alia; qui ideo appellari solet ordo prioris *in quo*: valet enim ista consequentia, à est prius tempore quàm b; ergo in illo priori à est sine b. Alterum nature, ad què nihil refert, quòd ea, quæ vt sic, dicuntur prio-

ra, & posteriora, simul tempore existant, sed requisitum est, quod vnum sit causa alterius, vt colligitur ex Aristot. capite de modis prioris, & 3. Metaph. cap. 11. & ideò hic ordo dici solet ordo prioris à quo. Vnde non valet ista consequentia, à est prius natura b? ergo in illo priori à est sine b: sed sic debet inferri; ergo à est causa b: quod valde notandum est; plures quippè hic allucinari vidi.

15 Est autem in controuersia positum apud aliquos recentiores, an prioritas, & posterioritas naturæ inter aliqua pugnet cum ipsorum conuertentia, seu subsistendi consequentia? Nam Hurtado disp. 8. physica sectio 66. contendit prioritatem, & posterioritatem naturæ inter aliqua cum conuersione, seu subsistendi consequentia eorum repugnare. Imò ex hoc principio probat, nō posse dari mutuam dependentiam inter causas diuersorum generum; nam eo ipso, quod daretur, admittenda esset conuertentia, seu subsistendi consequentia inter ea, quæ sunt priora, & posteriora naturæ: quod ipse iudicat esse implicatorium. Et fundamentum ipsius solum est definitio prioris naturæ, quam adduxit Aristot. loco Metaphysicæ citato his verbis, *Quædam verò secundum naturam, & substantiam,* (intellige, priora, & postero-

ra dicuntur) *quæcumque contingunt ab, quæ alijs esse; ista verò sine illis minimè.* Pro eadem sententia citat Vazquez tomo 2. primæ partis disput. 167. numer. 3.

16 Sed quàm falsa sit ista doctrina conuincit instantia cuiusvis essentia, & suarū propriarū passionum; inter quæ nullus negat intercedere ordinem prioris, & posterioris secundum naturam; & tamē omnes admittunt, inter essentiam, & suas proprias passiones dari conuertentiam, seu valere subsistendi consequentiam. Et idē exemplificari potest in sole, & eius illuminatione; & in vniuersum in omni priori naturæ, quod cū suo posteriori habet in existendo necessariam connexionem, seu (vt modo loquendi Hurtado vtat) dependet à suo posteriori dependentia à posteriori. Et ratio à priori contra prædictam doctrinam est; quia ad conuertentiam, seu subsistendi consequentiam inter aliqua solum est requisitum, quod in existendo sint connexa. Sed prioritas, & posterioritas naturæ inter aliqua, non impedit, quod alias prius natura in existendo cum suo posteriori sit connexum, seu, (vt loquitur Hurtado) quod ab illo à posteriori dependeat: ergo neque poterit impedire eorum conuertentiam, seu quod inter ipsa possit valere subsistendi consequentia.

17 Aristoteles autem in verbis relatis (quibus nititur Hurtado) non contendit, prioritatem, & posterioritatem naturæ inter aliqua cum conuertentia, seu subsistendi consequentia eorum repugnare; sed reperiri solum inter illa, quorū vnum est causa essendi alterum, & non è contra. Hoc enim tantum significant verba illa, *Quæcumque contingunt absque alijs esse; ista verò sine illis minimè.*

18 Porro in Aristot. sententia ordinem prioris, & posterioris secundum naturam, seu (quod idem est) aliqua se habere sicuti causam, & effectum non opponi conuertentia, seu subsistendi consequentia ipsorū, sed potius posse simul reperiri, patet manifestè ex definitione simultatis naturæ, quam capite de modis simul ipse tradidit; vbi ad simultatem naturæ non solum requirit, quod ea, quæ dicuntur esse simul: natura, conuertantur, & quod in eis valeat subsistendi consequentia, sed etiā ex postulat, quod neutrum sit causa alterius; vbi supponit, vt certum, in his, quæ conuertuntur, & habent subsistendi consequentiam, posse contingere, quod vnum sit causa alterius; & tunc ratione huius vltimi definire esse simul natura, non obstante, quod primum intercedat. Verba Arist. sunt, *Natura verò ea dicuntur simul, quæ essendi quidem consequentiam cum conuertantur, neutrum tamen, vt sit*

alterum, causa est.

19 His suppositis, si de ordine prioris, & posterioris secundum tempus sermo sit, conueniunt omnes, in actualiter causando vnam causam non esse alia priorem, sed omnes simul in eodem tempore, seu in eodē temporis instanti (iuxta qualitatem effectuum, qui causantur) actualiter causare. Ratio à priori est, quia effectus, qui per se, & immediatè dependet à pluribus generibus causarum, non potest ab vna sola causa provenire: quod necessariò contingeret, si ab vna prius tempore actualiter produceretur, quàm ab illis. Sunt ergo adinueniem connexæ quoad durationem (in effectu, qui per se, & immediatè pendet à quatuor generibus causarū) omnes causarum causalitates actuales, ita vt valeat inter ipsas subsistendi consequentia, non ob mutuam dependentiam à priori, & tamquam à causa, quæ versetur inter ipsas; (Quippè, vt infra dicam, tales mutua dependentia inter causalitates actuales diuersarum causarum minimè reperitur) sed propter insufficientiam, quam vnaquæque causa habet ad producendum se sola effectum; ratione cuius necessariò indiget ad actualiter producendum effectum consortio aliarum causarum actualiter in eundem effectum secundum proprium genus influentium.

20 Si verò sermo sit de ordine prioris, & posterioris secundum naturam, dicendum nobis est in actualiter causando causam finalem esse priorem causa efficienti, & consequenter causa materiali, & formali; causam verò efficientem esse priorem causa materiali, & formali; inter materiam autem, & formam in actualiter causando nullam esse prioritatem, vel posterioritatem, sed potius esse simul natura. Hæc conclusio habet tres partes, quarum quælibet seorsum probanda est. Sed prius advertendum, quod cum in nostra, & Scoti sententia causalitas sumpta pro forma, à qua aliqua res habet formaliter, & proximè; quòd sit causa in actu secundo, & actuali exercitio, sit relatio, quam dicit causa actualis ad effectum; & inter relationes nullus alius ordo prioris, & posterioris assignari possit, quam ille, qui versatur inter conditiones prævias, quæ ex parte fundamenti per se, & essentialiter requiruntur ad hoc, vt statim relationes istæ resultent; idè nos in probatione trium partium istius asserti, non ad relationes, sed ad conditiones, quæ per se, & essentialiter requiruntur ex parte fundamenti ad resultantiam relationum recurremus; quales dictum est esse, in causa finali influxum metaphoricum; in efficienti influxum verum, & proprium; in materiali, & formali relatio-

nes vnionis; quæ sunt relationes extrinsecus aduenientes, vt ex supradictis patet.

21 Prior pars huius asserti ab omnibus recipitur: omnes enim cum Arist. fatentur, efficiens moueri à fine ad actualiter operandum, & à motione illius in sua actuali operatione pendere: hæc enim causalis est vera, quia *finis actualiter mouet, efficiens actualiter operatur*; & non è contra. Vnde supra dicebamus, inter effectus vt *quod* causæ finalis non solum esse enumerandam electionem mediorum, sed etiam ipsum influxum, quo voluntas influit efficienter in ipsam mediorum electionem; & consequenter influxum, quo influit finis in effectus, nõ esse idem realiter cum influxu quo influit causa efficiens. Et in hac prioritate naturæ, quam habet causa finalis respectu causæ efficientis, & consequenter respectu causæ materialis, & formalis in actualiter causando effectum, fundatur communis modus loquendi receptus ex Aristot. scilicet, causam finalem esse omnium primam; imò esse causam causarum; quia est causa, non solum effectuum aliarum causarum, sed etiam (vt docet D. Th. opusculo 31.) causalitatum earum, sumpta causalitate, non pro relatione, sed pro conditione prævia per se requisita ex parte fundamenti ad resultantiam relationis; vt est in

in efficienti influxus, quo influit in effectum, & in materia, & forma relationes extrinsecus aduenientes vnionis mutux.

22 Secunda pars etiam est ab omnibus recepta. Et ratio est, quia vniones, quibus materia, & forma mutuò vniantur, & sunt conditiones præviæ per se requisitæ in materia, & forma ad hoc, vt ex ipsis resultent relationes actualiter causantium compositum, à quibus actu, & formaliter denominatur causantes compositum in actu secundo, & actuali exercitio, sunt effectus causæ efficientis, & terminus influxus illius, licet non vltimus, & præcipue intentus, tamen præuius, & necessario prærequisitus ad vltimum terminum, seu effectum, qualis est compositum: ergo causa efficiens, vt actualiter causans, est prior natura materia, & forma, vt actualiter causantibus. Vnde ista causalis est vera; quia *efficiens actualiter causat, materia, & forma actualiter causant*; & non è contra.

23 Tertia pars non recipitur ab omnibus, quia aliqui existimant, materiam (in actualiter causando compositum) esse priorem natura ipsa forma in genere causæ materialis; & formam (in causando actualiter compositum) esse priorem natura ipsa materia in genere causæ formalis, & consequenter in causando actualiter compositum dari mutuam prioritatem, & postero-

ritatem naturæ in diuersis generibus causarum inter materiam, & formam. Et fundamentum ipsorum est, quia non potest materia actualiter causare compositum, quin ipsum actualiter concauset forma; neque è contra forma potest actualiter causare compositum, quin materia ipsum actualiter concauset: ergo in actualiter causando compositum est mutua dependentia, & consequenter prioritas, & posterioritas naturæ inter materiam, & formam.

24 Sed hæc sententia falsa est; nam (vt infra ostendam) implicationem involvit in actualiter causando dari mutuam dependentiam à priori, & tamquam à causa (quæ est dependentia requisita ad prioritatem, & posterioritatem naturæ) inter causas. Fundamentum autem istius sententiæ, si quid probaret, probaret vtique non solum inter materiam, & formam in actualiter causando compositum dari mutuam prioritatem, & posterioritatem naturæ, sed etiam dari inter omnes causas; siquidem de quacumque causa est verum dicere, non posse actualiter causare compositum, quin etiam cæteræ causent illud actualiter. Vnde in forma ad ipsum respondemus, ex eo, quòd materia nõ possit actualiter causare compositum, quin etiam ipsum actualiter causet forma, & è contra, non bene inferri mutuam prioritatem

naturæ in actualiter causando inter istas causas; sed, quod debet inferri, est id, quod numer. 19. statuimus, scilicet, in actualiter causando effectum esse mutuam simultatem temporis inter causas. Et ratio huius est, quia etiam si ad simultatem temporis in actualiter causando sufficiat, quod una causa non possit actualiter causare, quin simul altera concausa actualiter causet; tamen ad prioritatem, & posterioritatem naturæ in actualiter causando hoc non sufficit, sed requiritur, quod actualis causatio vnus causæ pendeat ab actuali causatione alterius à priori, & tamquam à causa; sicut nuper dicebamus, causationem causæ efficientis pendere à causatione causæ finalis, & causationes materiæ, & formæ pendere à causatione causæ efficientis.

25. Alij verò docent, etsi inter materiam, & formam in actualiter causando non sit mutua prioritas, & posterioritas naturæ; nihilominus materiam, & formam in actualiter causando compositum non esse simul natura, sed potius materiam esse priorem formam, quæ ex eius potentia educitur. Et fundamentum est, quia forma, quæ educitur de potentia materiæ in sua entitate, est posterior natura ipsa materia; siquidem ab ea dependet à priori, & tamquam à causa materiali: ergo etiam erit posterior natura, quam ma-

teria, in actuali causatione compositi, quod ex ipsa, & materia coalescit.

26. Sed certè istorum fundamentum debite est. Licet enim forma, quæ educitur de potentia materiæ in sua entitate dependeat à priori, & tamquam à causa materiali à materia; & consequenter quoad suum esse sit natura posterior illa; non tamen inde inferitur, quod etiam pendeat causatio, quam exercet erga compositum, à causatione, quam etiam exercet erga compositum ipsamet materia. Nam bene stat, quod vnum dependeat ab alio in suo esse, & consequenter, quod vt sic, sit illo posterior natura, & tamen sint simul natura in causatione, quam vtrumque exercet circa aliud tertium; vt patet in causa secunda, & causa prima; quarum secunda in suo esse dependet à prima à priori, & tamquam à causa; & tamen si consideremus concursum, quæ vtraque exercet circa effectum, vtrique communem, concursus causæ secundæ non dependet à concursu causæ primæ à priori, & tamquam à causa; neque est in isto rigore posterior natura illo; vt ex supra dictis constat.

27. Tenenda igitur est tertia pars nostri asserti, scilicet, in actualiter causando compositum inter materiam, & formam nullam esse prioritatem, & posterioritatem naturæ, sed potius

tius esse simul natura. Et ratio huius veritatis est, quia prioritas, vel simultas naturæ, quæ reperitur inter materiam, & formam in actualiter causando compositum venanda est ex prioritate, vel simultate naturæ, quæ est inter vniones, quibus materia, & forma adinuicem vnuntur; siquidem vniones istæ sunt conditiones præviæ per se requisitæ ex parte materiæ, & formæ ad hoc, vt in ipsis statim resultent relationes causantis actualiter, quibus referuntur ad compositum. Sed inter vniones istas nulla est prioritas, & posterioritas naturæ, sed potius omnimoda simultas: ergo neque erit prioritas, & posterioritas naturæ, sed omnimoda simultas inter materiam, & formam in causando, actualiter compositum.

28. Minor huius discursus, in qua esse poterat difficultas, in sententia eorum, qui tenent, materiam, & formam vniri, non distinctis, sed eadem numero vnione, est per se nota: nam per se notum est, ad prioritatem, & posterioritatem naturæ in sensu, quo nunc loquimur, requiri distinctionem realem inter extrema; aliàs idem dependeret realiter à se ipso à priori, & tamquam à causa: quod est absurdum. In sententia verò nostra, quæ ponit, vniones, quibus materia, & forma adinuicem vnuntur, esse relationes extrinsecas

aduenientes, non solum numero, sed etiam prædicamento distinctas, (nam vnio materiæ ad formam est, de prædicamento passionis; vnio verò formæ ad materiam est, de prædicamento actionis) est etiam manifesta; quippe manifestum est, inter relationes oppositas non dari prioritatem, & posterioritatem naturæ, sed potius prædictas relationes esse simul natura. Aliàs falsum esset illud Aristotelicum assertum, *Relatiua formaliter sumpta sunt simul natura*. In vniuersum autem ostendi potest à definitione ad definitum; nam ex Philosopho cap. de *modis simul* ea dicuntur simul natura, inter quæ valet subsistendi consequentia, & vnum non est causa alterius. Sed inter vniones materiæ, & formæ valet subsistendi consequentia (bene enim valet, est materia vnita formæ; & e contra) & insuper, neque vnio materiæ ad formam est causa vnionis formæ ad materiam; aut e contra: ergo vniones, quibus materia, & forma mutuò vnuntur, sunt simul natura.

29. Quarto possunt comparari quatuor genera causarum inter se, quoad ordinem prioris, & posterioris naturæ in actualiter existendo. In qua difficultate Thomistæ, qui affirmabāt, actualē existentiam esse modum extrinsecum essentia actualis, ab ea; realiter distincto primo, & per se cōueniens cōposito, &

ratione compositi partibus intrinsecis illius, & facta comparatione inter partes intrinsecas, materiam existere ratione formæ, consequenter debet dicere, & de facto dicunt, (vt docent Patres Carmelitani disput. 15. q. 1. §. 1.) prius natura existere efficiens; deinde finem totalem, scilicet, compositum; postea formam, atque ultimo loco materiam. Ex quo ordine coguntur sustinere rem sane difficilem, nempe, materiam, & formam ad actualiter causandum compositum non præexigere actualem existentiam, sed causare illud prius natura, quam actualiter existant.

30 At nos (qui cum Scoto, & quam pluribus alijs sustinemus, existentiam actualem esse modum intrinsecum essentia actualis ipsam in esse actualis constituentem, & ab ea realiter indistinctum, & consequenter, tam materiam, quam formam actualiter existere, non per existentiam compositi, sed per proprias, & partiales existentias, imò existentiam totalem compositi componi ex prædictis existentijs partialibus materię, & formę, non secus ac essentia totalis compositi ex essentijs partialibus materię, & formę coalescit) consequenter affirmamus, in actualiter existendo causam efficiētem esse priorem natura ceteris causis; nam omnes alię causę in actualiter existendo pen-

dent a causa efficiēti actualiter existenti a priori, & tamquam a causa, & non e contra. Nec obstat, quod a causa finalis in actualiter causando sit prior natura, (vt supra sustinimus) quam causa efficiēs; nam causa finalis, vt actualiter causet, non supponitur, vt actualiter existens; imò potius, vt sic, est effectus causę efficiētis.

31 Deinde facta comparatione inter alias causas, materia est prior natura, quam forma, quę ex eius potentia educitur; forma vero est prior natura, quam finis seu compositum, quod ex ipsa, & materia coalescit. Et ratio est, quia forma, quę educitur de potentia materię in sua actuali existentia pendet a materia actualiter existenti a priori & tamquam a causa: & rursus finis, seu compositum in sua actuali existentia pendet a forma, & a materia actualiter existentibus a priori, & tamquam a causis; non vero e contra.

32 Ex dictis resolvi potest illa celebris difficultas, quę hic solet exagitari, vtrum, scilicet, causę sint sibi inuicem causę? In qua difficultate quidam sustinent, causas posse esse sibi inuicem causas, non in eodem, sed in diuersis generibus causarum. Et probant, quia hoc est commune Philosophorū proloquium desumptum ex Aristot. tam hic text. 30. quam 5. Metaph. cap. 2. vbi sic loquitur,

tur; Sunt autem quadam, & adinuicem cause, vt laborare causa est bonę habitudinis, & hæc laborandi, sed non eodem modo; sed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus. Et confirmant aliqui instantia materię, & formę; nã materia est causa in genere causę materialis formę substantialis, cum ex eius potentia passiva educatur: & e contra forma substantialis in genere causę formalis est causa materię; cum ipsam formaliter perficiat; imò in sententia Thomistarum illi dat esse tam specificum, quam existentia actualis.

33 E contrario verò alij sustinent, causas non posse esse sibi inuicem causas, adhuc in diuersis generibus causarum. Et probant, quia, vt aliquid causet, debet præsupponi; vt autem causetur debet præsupponere, & sequi, sed implicat, quod idem respectu eiusdem, simul præsupponatur, & præsupponat, seu sequatur: ergo etiam implicabit, quod idem respectu eiusdem simul sit causa, & effectus; & consequenter, quod causę sibi inuicem sint causę.

34 Sed nobis distinguendum est. Duobus enim modis potest intelligi, quod causę sint sibi inuicem causę. Primò facta comparatione secundum eandem rationem, ita vt secundum illam rationem, secundum quam vna causa est causa alterius, sit

simul alterius effectus. Secundò facta comparatione secundum diuersas rationes, ita vt secundum illam rationem, secundum quam vna causa est causa alterius, non sit illius effectus, sed secundum aliam diuersam.

35 Hac supposita distinctione, dico primò. Si comparatio fiat secundum diuersas rationes, optime possunt causę esse sibi inuicem causę. In hoc sensu est vera, atque intelligenda prima sententia; & hoc tantum probat exemplum sanitatis, & laboris adductum ab Arist. Sanitas enim, quę vt habet esse in intentione, est causa finalis laboris, est effectus in genere causę efficiētis ipsiusmet laboris, vt habet esse in executione; quod esse diuersę rationis est ab esse in intentione. Quod etiam exemplificari potest in alijs generibus causarum: nam materia, quę secundum suum esse tam essentia, quam existentia intrinsecum, & parziale est causa materialis formę substantialis, est effectus in genere causę formalis secundum esse specificum totale, quod ei competit extrinsecè, & ratione compositi. Item, dum agens operatur immanenter, & in seipso, eadem forma, quam in se efficit, est causa formalis eius, quatenus denominatur, & perficitur tali forma. Imò addo, secundum diuersas rationes non solum in diuersis generibus, sed etiam

etiam in eodem posse causas esse sibi inuicem, causas; nam pater, qui genuit filium, potest postea doceri ab eodem filio; & sic in alijs similibus.

36 Neque ratio facta pro secunda sententia militat contra hoc; nam licet idem respectu eiusdem secundum eandem rationem non possit præsupponi, & præsupponere absque implicatione: tamen secundum diuersas rationes nulla apparet implicatio in hoc, quod idem respectu eiusdem, & præsupponatur, & præsupponat, non solum in diuersis, sed etiã in eodem genere causæ; vt instantiæ adductæ satis conuincunt.

37 Dico secundo. Si comparatio fiat secundum eandem rationem, implicationem inuoluit, quod causæ sint sibi inuicem causæ, adhuc in diuersis generibus causarum. In hoc sensu est vera, & intelligenda secunda sententia; atque meo uideri optimè ostendit hanc implicationem ratio supra facta.

38 Cui non satisfacit communis solutio, scilicet, solum implicare, quod idem respectu eiusdem præsupponatur, & præsupponat in eodem genere causæ; non uero in diuersis; nam nimis uoluntariè hoc dicitur: nec assignare poterant, qui sic respondēt aliquem casum, in quo idem respectu eiusdem secundum eandem ra-

tionem præsupponatur, & præsupponat, seu (quod idem est) sit prius, & posterius natura in diuersis generibus causarum. Nam exemplum Arist. de sanitate, & labore ostendit quidè, (vt nuper dicebamus) idè respectu eiusdem præsupponi, & præsupponere in diuersis generibus causarum secundum diuersas rationes, non secundum eandem. Instantia etiam materiæ, & formæ, quæ pro prima adducebatur sententia, nihil ei iuvat. Nam in sententia nostra, & communi, quæ affirmat, materiam secundum suum esse proprium, tam essentia, quam existentia causare formam, materia non est effectus formæ secundum hoc esse, sed secundum esse specificum totale, quod ei competit extrinsecè, & ratione compositi. In sententia uero Thomistarum, quæ affirmat, materiam esse effectum formæ, tã quoad esse existentia, quam quoad esse specificum positium, materia non est causa formæ secundum esse existentia, & secundum esse specificum positium, quod accipit à forma, sed secundum esse paræ potentia, quod ipsi appellant specificum negatiuum. Quod et si falsum sit, tamen consequenter ab eis dicitur ad fugiendũ implicationem, quæ ex opposito sequeretur.

39 Et ratio à priori est, quia non minùs aliquid præsuppo-

nitur, & præsupponit ad causandum, & causari in diuersis generibus causarum, quàm in eodem: ergo si propter istam mutuam prioritatem, & posterioritatem naturæ implicat, quòd idem respectu eiusdem secundum eandem rationem sit causa, & effectus in eodem genere causæ, etiam implicabit propter eandem mutuam prioritatem, & posterioritatem naturæ, quòd sit causa, & effectus secundum eandem rationem in diuersis generibus causarum.

4 Non me latet Vazquez tomo 2. super 1.2. disp. 211. nu. 8. contendere comparationem prioris, & posterioris secundum naturam nõ posse fieri inter diuersa genera causarum, sed solum inter res, quæ concurrunt ad effectum in eodem genere causæ; & per hoc conatum fuisse eifugere implicationem, quã asserimus sequi ex eo, quòd ponatur, causas secundum eandem rationem esse sibi inuicem causas in diuersis generibus causarum, nimiram, quòd idem respectu eiusdem secundum eandem rationem præsupponeretur, & præsupponeret, seu (quod idem est) esset prius, & posterius secundum naturam.

41 Tamen (vt benè vidit Suarez libro 8. de causis habitualis gratiæ cap. 12. in fine numeri 11.) hæc doctrina solum fuit conficta à Vazq. vt fugeret argumentum, quo præmebatur:

nam hoc sublato nulla potest excogitari ratio, cur diuersa genera causarum in actualiter causando non possint inter se comparari quoad prius, & posterius secundum naturam. Si quidem prioritas, & posterioritas naturæ (teste Aristot. locis citatis num. 14.) consistit in hoc, quòd vnum dependeat ab alio à priori, & tanquam à causa. Et manifestum est, vni genus causæ in actualiter causando posse pendere à priori, & tanquam à causa ab actuali causatione alterius. Imò hoc de facto contingit in causis materiali, & formali ad causam efficientem comparatis; atque in causa efficienti, & consequenter in causa materiali, & formali ad causam finalem comparatis: quod vt doctrinã Peripateticam ab omnibus receptam, supra num. 21. & 22. statuimus.

42 Ex quibus concludo, quã verum sit id, quod supra non semel, vt verum supposuimus, & huc usque probandum remissimus, scilicet, in actualiter causando non posse esse mutuam dependentiam à priori, & tanquam à causa inter diuersa genera causarum; & consequenter, neque mutuam prioritatem, & posterioritatem naturæ; nam, vt hoc contingeret, erat necessarium, quòd causæ in actualiter causando essent sibi inuicem causas, non secundum diuersas

rationes, sed secundum eandem: quod esse implicatorium ostensum est.

QVÆSTIO II.

Quomodo se habeant causæ ad suos effectus?

I Multis modis possunt causæ ad suos effectus comparari. Primò quoad distinctionem. Et in hac comparatione nulla est controuersia: nam fatentur omnes, causam realem debere esse realiter distinctam à suo effectu; aliàs idè posset realiter se ipsum causare; & à se ipso in suo esse intrinseco dependere; quod, ut absurdum, atque omnium Philosophorum consensui oppositum reijcit D. Aug. 1. de Trinitat. cap. 1. Atque hinc ortum est illud adagium, *Quidquid fit, ab alio fit.*

2 Secundò comparari possunt causæ ad suos effectus in ordine prioris, & posterioris secundum naturam. Et quoad hoc fieri potest comparatio, vel inter ipsas rationes formales causæ, & effectus, vel inter rationes materiales, id est, inter ipsas res, quæ causæ, & effectus denominantur. Si inter rationes formales comparatio fiat, dicendum est, causam, & eius effectum esse simul natura. Cuius ratio est, quia causæ, & effectus formaliter sumpta sunt correlatiua; & vna ex proprie-

tatibus relatiuorum ex enumeratis ab Arist. cap. de ad aliquid est, quòd correlatiua sint simul natura: & meritò, cum inter correlatiua, vt correlatiua sùt, valeat subsistendi consequentia, & insuper vnum nò sit causa alterius; quæ sunt conditiones ad simultatem naturæ requisitæ ab eodem Arist. cap. de modis simul.

3 Si verò comparatio fiat inter rationes materiales, id est, inter ipsas res, quæ causæ, & effectus denominantur, dicendum est, non solum causam esse natura priorem suo effectu, sed etiam ad prioritatem, & posterioritatem naturæ inter aliqua hoc esse per se, & essentialiter requisitum, scilicet, quòd id, quòd est prius natura, induat rationem causæ, & id, quòd est posterius natura, induat rationem effectus; vt ex definitione prioris, & posterioris tradita ab Arist. locis quæstione præcedenti num. 14. citatis manifestè constat.

4 Dubitant autem auctores recentiores, an hæc prioritas naturæ, quæ competit rei, quæ dicitur causa respectu rei, quæ dicitur illius effectus, competit ei solum, in quantum est causa in potentia, id est, in quantum habet virtutem causandi effectum? An etiam illi conueniat, in quantum est causa actu, id est, in quantum actualiter influit in suum effectum? Nam Martinius hic q. 2. *discutendo* 2. affirmat

mat solum illi competere, in quantum est causa in potètia, non verò in quantum est causa in actu, seu actualiter influens.

5 Sed nobis dicendum est, prioritatem naturæ, quæ competit rei, quæ dicitur causa, respectu rei, quæ dicitur illius effectus, non solum illi competere in quantum est causa in potentia, sed etiam in quantum est causa in actu, id est, non solum illi competere in quantum habet virtutem causandi effectum, sed etiam in quantum actualiter influit esse in illum. Imò addo, in priori consideratione solum illi competere esse priorem natura suo effectu in potentia; in posteriori verò consideratione competere illi esse priorem natura suo effectu in actu.

6 Ratio efficax est, quia in doctrina Arist. ab omnibus recepta idem prorsus sunt ratio prioris naturæ, & ratio causæ, sed res non solum dicitur causa alicuius effectus, quia habet virtutem illius effectiuam, sed etiam quia actualiter influit esse in illum: imò in priori consideratione solum dicitur causa in potentia, in posteriori verò dicitur causa in actu: ergo consequenter non solum dicitur prius natura suo effectu, quia habet virtutem illius effectiuam, sed etiam quia actualiter influit esse in illum: imò in priori consideratione solum

dicitur prius natura in potentia; in posteriori verò prius natura in actu.

7 Nec refert, quòd inter causam actualiter influentem, seu causantem, & illius effectum valeat subsistendi consequentia; nam (vt quæstione præcedenti contra Hurtado dicebamus) subsistendi consequentia inter aliqua non impedit ordinem prioris, & posterioris naturæ inter illa, sicuti neque impedit dependentiam vnius ab alio à priori, & tanquam à causa.

8 Minus refert, quòd Martinius obijcit, nimirum, quòd si causa hoc ipso esset prior, quòd influeret, eo quoque effectus esset posterior, quòd pèderet, & consequenter, cum vnum realiter sint influxus causæ, & dependentia effectus, per idem realiter à quo habet causa, quòd sit prior, haberet etiã effectus, quòd esset posterior, quòd ipse iudicat absurdum.

9 Sed facillè respondemus, quòd sicut nullus reputat absurdum, quòd ratio fundandi (Ita appellat Thomistæ, quòd nos conditionem per se requisitam ad fundamentum appellamus) relationem, qua causa actualis refertur ad suum effectum, sit idem realiter cum ratione fundandi relationem oppositam, qua effectus actualis refertur ad suam causam; ita nos nullum reputamus absurdum, quòd ratio fundandi rela-

lationem prioris secundum naturam, qua causa actualis refertur ad suum effectum, sit idem realiter cum ratione fundandi relationem oppositam posterioris secundum naturam, qua effectus actualis refertur ad suam causam: imo, quod iste rationes fundandi sint idem realiter, necessarium reputamus, non secus ac omnes reputant necessarium, quod sint idem realiter rationes fundandi relationes oppositas causantis, & causati. Omitto secundum Martinij argumentum, quia supponit falsam doctrinam, nimirum, dari effectus provenientes a suis causis efficientibus absque aliquo medio influxu; de quo agendum est lib. 3.

10. Dubitant etiam aliqui, an influxus, quibus medijs causae efficientes, & finales influunt in suos effectus, sint posteriores natura ipsis causis, a quibus dimanant, & priores natura ipsis effectibus, in quos terminantur? Et idem inquiri potest de vniuersibus, quibus medijs materia, & forma causant compositum.

11. Respondetur, eodem sensu, in quo praedicti influxus dicuntur effectus causae efficientis, & finalis, & causa effectuum, in quos terminantur, posse, & debere appellari posteriores natura ipsis causis, & priores natura ipsis effectibus: quia (vt dictum est) in Arist. doctrina in aedem coincidunt ratio prioris

natura, & ratio causae, & similiter ratio posterioris natura, & ratio effectus. Vnde cum influxus isti comparati ad causas solum dicantur effectus *quo*, & non effectus *quod*, & comparati ad effectus solum dicantur causa, vt *quo*, & non causa, vt *quod*, ita comparati ad causas solum dici debent posteriores natura, vt *quo*, non vt *quod*, & comparati ad effectus priores natura, vt *quo*, non vt *quod*.

12. Tertio causae, & effectus materialiter sumpta comparari possunt quoad ordinem prioris, & posterioris secundum tempus. Et in hac comparatione distinguit Arist. tam hic text. 37. quam 5. Metaph. textu 3. inter causam in actu, & causam in potentia, id est, (vt interpretatur Scotus hic q. 8. §. *Ad secundam*) inter causam, vt actualiter causantem, & causam, vt tantum potens est causare, non autem actualiter causans. Et in priori sensu dicit, causam, & effectum mutuo esse simul tempore; ac per consequens, vel ambo simul esse; vel ambo simul non esse: quia neque dari potest actu causans, quin simul detur effectus actu terminans praedictam causationem, & e contra; neque etiam potest causa desinere actu influere in effectum, quin simul desinat effectus terminare talem influxum, & e contra. At in posteriori consideratione posse mutuo, non esse simul tem-

tempore, neque necessarium esse vel quod ambo simul sint, vel quod ambo simul non sint; quia neque necessarium est, quod simul sint aedificator, & aedificium, neque quod vno desinente esse simul desinat esse aliud.

13. Quarto possunt comparari causae, & effectus quoad perfectionem, & excellentiam; et fieri potest haec comparatio, vel inter ipsas rationes formales causae, & effectus, vel inter ipsas rationes materiales. Si comparatio fiat inter ipsas rationes formales, plane ratio formalis causae excedit in perfectione, & nobilitate rationem formalem effectus; nam praestantius, ac diuinius est tribuere esse, quam esse emendicare; & non dependere ab alio, quam pendere: vnde ratio causae ob suam perfectionem in Deo reperitur; ratio vero effectus ob suam imperfectionem minime.

14. At si comparatio fiat inter rationes materiales, id est, inter res, quae causae, & effectus denominantur; in primis conueniunt omnes, materiam esse ignobiliorem, tam forma, quam composito, quorum causa materialis est. Et quod sit ignobilior forma, probatur primo, quia ex Arist. 9. Metaph. c. 10. text. 19. actus nobilior est, quam potentia. Materia autem est pura potentia, forma vero est actus. Secundo quia (vt idem Arist.

docuit lib. 1. huius operis cap. 9. text. 81.) forma est quid pulchrum, & diuinum, materia vero turpe, & quasi faex, naturalibus rebus subsidens, ac prope nihil. Et demum tertio, quia forma potiore est essentiae parte continet. Vnde, hoc libro cap. 3. text. 28. dicitur ab Arist. ratio quidditatis. Negari igitur non potest materiam minus nobilem esse, quam formam; ex quo etiam patet, materiam imperfectiorem esse composito, cum in hoc forma ipsa includatur.

15. Deinde si forma comparatur composito, cuius est causa formalis, dissidium est inter auctores, nam Platonici formam esse perfectiorem composito contendunt: quod etiam ex Peripateticis sustinet Auerroes commento 4. huius libri, Iandunus 5. Metaph. quaest. 16. Zimarra in theorematis propositione 10. & 69. & ex parte adheret Pererius lib. 6. cap. 5. adducens Arist. qui 7. Metaph. text. 7. ita fatur. *Si forma prior est materia, & magis ens, eo quoque quod ex ambabus est prius quid erit ubi eandem rationem.*

16. Horum fundamentum est, quia compositum totam perfectionem capit a forma: quare, cum propter quod vnumquodque tale, id magis sit tale, sequitur, formam perfectiorem esse composito. Quibus accedit, compositum, praeter formam, continere

in se materiam, quæ sicuti omnium imperfectionum est quasi mater, ita composito defectum potius, quam perfectionem, communicabit.

17 Sed opposita sententia (scilicet, compositum esse quid perfectius forma, quæ est eius causa formalis) inter Philosophos, & Theologos communior est; eam tuentur D. Th. 3. p. q. 6. art. 5. Durandus in 3. d. 2. q. 2. Capreolus ibidem q. vnica art. 3. Ricardus in 2. d. 15. q. 2. Simplicius hic text. 4. Soncinas 7. Metaph. q. 18. & ibidem Fonseca cap. 3. q. vnica, Conimbricenses cap. 7. huius libri q. 5. art. 1. Et colligitur ex his, quæ 1. libro ex mente Scoti docuimus, scilicet, materiam esse actum entitatum; & insuper esse de essentia compositi substantialis. Imò hinc sumitur ratio pro ista sententia, quæ sic efformari potest.

18 Id, quod totam alterius perfectionem, & amplius aliquid in se continet, certè præstantius est illo. Sed compositum substantiale continet in se totam perfectionem formæ, (cum contineat ipsam materiam) & insuper continet materiam, quæ eo ipso, quod actus entitatus est, aliquam perfectionem dicit: ergo sine dubio erit perfectius ipsa forma. Quæ ratio delumpra est ex Aristot. 7. Metaph. text. 7. ubi non est legendum, sicut habetur in verbis relatis à Pe-

terio, sed sicut in alijs codicibus legitur, non solum conformius textui Græco, sed etiã discursui, quem ibi obseruat Aristot. *Vndè si forma prior materia est, & magis ens; illud quoque, quod ex ambabus est, prius erit ob eandem rationem.*

19 His accedunt aliæ loquutiones Aristot. quæ satis indicant, totum compositum esse quid perfectius forma. Nam cap. 3. huius libri text. 31. dicit, partes esse tamquam materiam comparatione totius. Et in categoria substantiæ ait, primam substantiam (quæ est substantia composita) esse maximè substantiam. Accedit etiam, quòd composito competit nobilior modus essendi, & operandi, quàm formæ; siquidem còpositū còpletū quid est; & per se subsistit; & per se operatur: forma autem est quid incompletum; nec per se subsistit, neque illi, vt quod, sed tantum vt quo operationes tribuantur: item forma dicitur esse propter compositum; & compositum est, quòd principaliter intenditur à natura; & finis illius; quæ omnia argumento sunt, totum perfectius quid esse, quàm formam.

20 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negamus compositum substantiale totam suam perfectionem accipere à forma; nam sicut esse non solum à forma, sed etiam à materia accipit, ita

& perfectionem entitatum. Nec obstat, quòd materia ratione suæ potentiæ passiuæ sit receptaculum plurium imperfectionum; nam etiam ratione eiusdem potentiæ passiuæ est receptaculum perfectionum, quæ rebus materialibus conueniunt; & illæ imperfectiones, quæ proueniunt a materia, proueniunt etiam in suo genere à forma, quæ de se mutabilis, ac variabilis est.

21 Comparando causam finalem ad suos effectus, distinguendum est: aut enim causa finalis est finis à natura propositus, aut est finis propositus ab agente intellectuali libero? Primo modo semper causa finalis est perfectior suo effectu: natura enim semper imperfectius ad perfectius, tamquam ad finem, ordinat. Et idem dicendum est de fine sibi propositus ab agente intellectuali libero, si prædictum agens rectè, & ordinatè operetur. Tamen, cum eo ipso quòd est agens liberum, possit non rectè, neque ordinatè operari, sæpè contingit, quòd causa finalis in his agentibus sit imperfectior suo effectu. Potest enim agens liberum non solum pro fine sibi propositus rem minus perfectam medijs, quæ sunt effectus finis, sed etiam potest pro fine sibi propositus negationes, & non entia.

22 Demum comparando causam efficientem ad suos effectus, dicendum est, quòd si causa efficiens non sit totalis, & adæquata, potest esse imperfectior suo effectu. At si totalis, & adæquata sit, nullatenus potest esse imperfectior suo effectu, vt latè ex Scoto docuimus disput. 4. quæst. 7. Quòd si causa totalis fuerit vniuoca, semper effectus adæquat illam in perfectione essentiali, & quidditatiua; nam in hoc consistit ratio causæ vniuocæ, scilicet, quòd producat effectum eiusdem speciei cum ipsa. At si causa totalis fuerit æquiuoca, necessarium est, quòd effectus sit essentialiter, & quidditatiuè illa imperfectior; nam cum de ratione causæ æquiuocæ sit, quòd producat effectum distinctum in specie, & ex alia parte effectus essentialiter, & quidditatiuè non possit esse perfectior sua causa totali, & adæquata, necessarium erit, quòd sit imperfectior; nam æqualis esse non potest; quippè species sunt sicut numeri, id est, inæquales in suo esse essentiali, & quidditatiuo; nec dari possunt duæ species, quarum vna in suo esse essentiali, & quidditatiuo aliam non excedat, vel è contra.

23 Quintò comparari possunt causæ, & effectus, quoad ipsorum effectiōnem; & in hac comparatione excitari

solent duæ difficultates. Prima, *Vtrum idem numero effectus productus ab una causa potuerit prodire ab alia distincta numero, eiusdem tamen rationis?* Secunda, *Vtrum idem numero effectus possit simul produci à pluribus causis totalibus, & ad æquatis eiusdem ordinis?* Quæ, quia celebres sunt apud auctores, duabus sequentibus quæstionibus discutientur.

QVÆSTIO III.

Vtrum idem numero effectus productus ab una causa potuerit prodire ab alia distincta numero, eiusdem tamen rationis?

NON est sermo de causis intrinsecis, quales sunt materia, & forma respectu compositi, quod ex eis conflatur: nam, cum hæc spectent ad intrinsecum entitatem effectus, manifestum est, ex variatione numerica cuiuscumque ex his causis, variari etiam numero ipsam intrinsecam entitatem effectus. Unde, si sermo sit de his causis intrinsecis, fatentur omnes, ita determinare sibi certas, & determinatas causas, seu partes intrinsecas, vt non potuerit, adhuc de potentia absoluta, constari idem numero effectus ex diuersis numero causis, seu partibus intrinsecis ab his, quibus de facto conflatur,

2 Solùm igitur est sermo de causis extrinsecis, vt sunt efficiens, & finalis. Imò loquendo de causa finali nulla est controuersia inter auctores; nam fatentur omnes, effectum ad suam vnitatem numericam non determinare sibi certam, & determinatam causam finalem, sed potuisse optimè eundem numero effectum, qui modò fit ab efficiente intellectuali ob hanc numero finem, fieri ob alium diuersum, verbi grat. de ambulationem, quæ hic, & nunc fit ab homine gratia sanitatis, eandem numero fieri posse gratia videndi amicum, aut alterius diuersi finis.

3 De causa verò efficiente controuersia est inter auctores. Plures dicunt, effectum singularem determinare sibi certam causam efficientem, ita vt non possit idem numero ab alia causa distincta numero prodire, etiamsi sit eiusdem speciei. Ita supponere videtur D. Thom. quolib. 5. artic. 8. dum ait, esse impossibile, eundem filium nasci ex diuerso patre, aut ex diuersa matre. Idem indicare videtur Aueroes 7. Metaphysic. com. 31. & defendunt Maiusius 1. de generatione quæst. 8. Sontinas 5. Metaph. quæst. 6. Iabellus q. 7. Fonseca cap. 2. q. 14. Pererius libr. 8. Physicæ cap. 15. Sorus in 4. dist. 43. q. 1. art. 3. Capreolus in d. 20. q. 1.

q. 1. Conimbricenses 1. Physicor. cap. 9. q. 11. artic. 4. & 2. Physicor. cap. 7. q. 17. Murcia hic disp. 4. q. 8. Patres Carmelitani disp. 15. q. 4. §. 2. & plures alij.

4 Probari potest hæc sententia primò, quia si effectus singularis non exigeret certam, & determinatam causam efficientem, sequerentur duo inconuenientia. Primum est, quòd nulla causa efficiens esset causa per se sui effectus; nã, eo ipso, quòd potuit fieri ab alia, per accidens est, quòd fiat ab ista, & non ab illa. Secundum est, quòd quælibet causa efficiens posset producere omnes effectus singulares, qui sub specie sua continentur; nam non esset maior ratio, cur posset istos, & non illos, semel admissio, ad vnitatem numericam effectus non exigi causam efficientem determinatam.

5 Secundò, quia si effectus, qui hic, & nunc fit ab ista causa efficiente, posset idem numero ab alia causa efficiente provenire, hoc esset, vel per eandem numero actionem, qua venit ab ista, vel per distinctam numero. Sed neutro modo potest idem numero effectus ab alia causa provenire: ergo nullo modo. Probat minor: nã imprimis non posset provenire per eandem numero actionem; nam, cū actio dicat intrinsecum ordinem ad agens, impossibile erit, quòd multiplicetur nume-

ro agètia, & quòd ipsæ actiones numero non multiplicentur. Quòd etiã hic numero effectus nò posset provenire per actionem distinctam, sic probant. Actio ex Arist. in 3. lib. huius operæ text. 4. & terminus eius sunt eadem numero res, & solùm modaliter distinguuntur: eadè enim res, quæ vt est in facto esse (qui est status eius perfectus) dicitur terminus, seu effectus, prout est in fieri (qui est status eius imperfectus, vialis, atque tendentiæ ad statum perfectiorem) dicitur actio, motus, & influxus, quo medio effectus provenit à causa efficiente: ergo implicationem involvet, dari plures numero actiones, & quòd termini ipsarum sint idem numero terminus, seu effectus.

6 Sed his non obstantibus tenenda est opposita sententia, scilicet, effectum ad suam vnitatem numericam non determinare sibi certam, & determinatam causam efficientem, ac per consequens potuisse optimè eundem numero effectum, qui nunc fit ab ista causa efficiente, ab alia distincta numero eiusdem rationis, seu virtutis provenire, si loco illius applicata fuisset eidem numero passio. Ita Scotus in 2. d. 20. q. 2. vbi littera B. ait, quòd idem numero homo, non solùm quoad animam, sed etiã quoad corpus organicum, potuit esse filius Adæ, & filius Abrahæ. Et lit. C. docet, quòd si in instanti, in quo applicatur

uidua, v. g. in specie ignis vna classis indiuiduorū erit eorum, qui petunt produci ab hoc igne; & alia aliorū, qui produci petūt ab alio igne; & sic de singulis. Et rursus quodlibet ex his indiuiduis cōtinebit in sua virtute alia; & sic sēper distinguētur aliæ, & aliæ indiuiduorū classes in infinitū. At multō facilius intelligitur, & ita credēdū est, omnia indiuidua eius dē speciei vniformiter se habere, ita vt illa ipsa, quæ produci possunt ab vno, possint ab alio dummodō adsint reliquæ cōditiones ad operādū requisitæ.

16 Sed probationibus in principio adductis pro opposita sētētia occurramus. Ad primum incōueniēs ex duobus in prima probatione adductis dicimus, dupliciter posse aliquid appellari causā per se alicuius effectus. Primō perfectate se tenēte ex parte causæ: quæ perfectas cōsistit in hoc, quod causā per propriā formā influat in effectum. Secūdō perfectate se tenēte ex parte effectus; quæ perfectas cōsistit in hoc, quod effectus ex sua intrinseca natura, & essentia postulet influxū talis causæ, ita vt sine illo esse nō possit. Nunc in forma respondemus, ex eo, quod effectus singularis nō exigat certā, & determinatā causam efficiētē, sequi quidē, nullā causam efficiētē ex creatis esse causā per se sui effectus perfectate se tenente ex parte effectus; & hoc nullum reputamus

incōueniēs. Imō addimus, hoc genere perfectatis solū effectus pēdere per se à causis intrinsecis (vt sunt materia, & forma). & ex extrinsecis, seu efficientibus à sola causā prima. Nō vero sequi, nullā causam efficiētē ex creatis esse causam per se sui effectus perfectate se tenente ex parte causæ: nam ad hoc vt causā efficiēs dicatur causā per se sui effectus in hoc sensu sat est, quod influat in effectū per propriā formā; nec aliquid obstat, quod potuerit produci ab alia distincta causā.

17 Ad secundum negamus, sequi ex eo, quod effectus singularis non exigat certam, & determinatam causam efficiētē, quod quælibet causā efficiens possit producere omnes effectus singulares, qui sub specie sua continētur. Et ratio est, quia ad producendum effectū non sufficit habere virtutem effectiuam illius, sed requiruntur etiam aliquæ conditiones, quæ nequeunt conuenire cuilibet causæ respectu omnium singularium effectū, qui sub specie sua continentur; v. g. requiritur distinctio realis ab effectū, quæ non potest cōpetere causæ respectu sui met; requiritur approximatō materiæ, quæ potest esse respectu vnus causæ, & nō respectu alterius; requiritur, quod causā præcedat effectū producēdū, quod nō potest cōpetere filio respectu sui patris, & aliorū progenitorū ipsius

&c.

18 Prop

18 Propter secundam probationē dubitant auctores nostræ sentētia, an in hypothesis, quod idem numero effectus, qui nūc producitur ab hac numero causā efficiente, produceretur ab alia distincta numero, produceretur eadem numero actione, qua nunc producitur? An alia numero distincta? Sumpta actione in quarta acceptione ex quinque, quas enumerauit Scotus huius nominis in 4. d. 13. q. 1. liter. H. scilicet, pro re acta, includendo istum respectum, quæ exprimit hoc, quod est ab alio; quæ (teste Scoto) est acceptio, in qua sumpsit Arist. actionem in 3. Physicor. Quidam enim dicūt, quod produceretur distincta numero actione: & his fauet prima probatio minoris ex adductis in argumento; sed contradicit secūda. Alij vero contendunt, quod produceretur eadē numero actione; quibus fauet secunda probatio ex adductis in argumento, sed contradicit prima.

19 Sed nobis distinguendum est, sicuti in simili dubitatione distinguebamus loquentes de concursu Dei, atque de cōcursu causæ secundæ circa eundē effectum disput. 4. q. 8. sect. 2. nu. 25. Nam (vt docet Scotus loco citato) actio, prout nunc sumitur, duo involvit; aliud pro formali, & pro materiali aliquid. Pro formali dicit respectū, quæ exprimit hoc, quod est ab alio (qui in presenti erit, res

pectus producētis ad productū) quæ causa producens dicit ad effectū. Pro materiali verō dicit re actā, id est, ipsū effectū in fieri, & prout est in statu imperfecto viæ, & tendentiæ ad statum perfectiorē, qualis est, quæ habet in facto esse. Qua distinctione supposita dicimus, quod si actio sumatur formaliter, & pro respectu, in dicta hypothesis, effectus produceretur distincta actione; nā distincta esset relatio producētis ad productū, quæ est in hac numero causa, à relatione producentis ad productū, quæ esset in alia: hocque conuincit prima probatio minoris ex adductis in argumento; nec contradicit secūda; nā cū Arist. ait actionē, & terminū esse eādē re, & solū modaliter differre, non loquitur de actione sumpta formaliter, & pro re acta in fieri. At si actio sumatur materialiter, & pro re acta in fieri, & in statu imperfecto viæ, & tendentiæ, in dicta hypothesis, eadē numero actione, qua producitur ab ista causa, produceretur ab alia. Nā sicut in dicta hypothesis effectus in facto esse esset idē numer. ita & in fieri, & in statu imperfecto viæ, & tendentiæ. Et hoc conuincit secūda probatio minoris ex adductis in argumento; neq; cōtradicit prima; nā actio, vt sic, nō dicit intrinsecū, & essentialē ordinē ad agēs, cū sit intrinsecū, & essentialiter quid absolutū, non se-

secus, ac est ipse effectus, seu res acta.

20 Ex quibus resolui potest aliud dubium, quod hic exagitari solet, scilicet, an sicut dictum est, potuisse eundem numero effectum, qui nunc provenit ab hac numero causa efficiente, provenire ab alia distincta numero eiusdem virtutis, si loco istius fuisset applicata; idem dicendum sit de eadem numero actione? Respondetur enim, quod si sermo sit de actione materialiter sumpta, potuisset optimè, non secus, ac dictum est de effectu; secus verò, si actio sumatur formaliter, & pro respectu. Sed de hoc latius 5. libro disput. 2. q. 2.

QVÆSTIO IV.

Vtrum idem numero effectus possit simul produci à pluribus causis totalibus, & adæquatis eiusdem ordinis?

INotanter dicitur in titulo quæstionis totalibus, & adæquatis eiusdem ordinis. Nam, si causæ partiales sint, certum est, non solum posse, sed de facto sæpissimè cōtingere, quod idem numero effectus à pluribus causis proveniat; filius enim à patre, & matre procedit, & plures homines nauim trahunt; etsi causæ totales sint diuersi ordinis, vt sunt causa prima, & causa secunda; & inter secundas, materialis, & forma-

lis, efficiens, & finalis, non solum possunt, sed necessarium est, quod sæpe plures ad eundem effectum producendum simul concurrant, vt ex supra dictis patet.

2 Et quamuis titulus quæstionis vniuersaliter inquirat de causis, quæstio tamen de solis causis efficientibus examinabitur; nam de causis materiali, & formali (& si in controuersia positum sit, an plures formæ substantiales possint simul informare eandem numero materiam? & è contra, vna forma substantialis plures numero materias? vt ex dictis lib. 1. disp. 4. q. 5. constat) fatetur omnes ad constitutionem eiusdem numero cōpositi non posse plures causas materiales totales, & adæquatas, sicuti neque plures totales, & adæquatas formas, concurrere: quia, cum istæ causæ sint intrinsecæ, eo ipso, quod multiplicaretur numero materia, vel forma, necessariò multiplicaretur numero entitas intrinseca effectus, seu compositi. De causa autem finali eodem modo philosophandum erit, ac philosophari fuerimus de causis efficientibus.

3 Prima sententia (& quam Masius hic tribuit nostro Othamo in 3. d. 2. q. 2. cæterisque Nominalibus) affirmat, hoc esse naturaliter possibile, imò multoties de facto contingere; & exemplificant in duobus tra-

trahentibus nauim, quorū quilibet seorsum sufficienter traheret; & in duobus sustinentibus lapidem, ne cadat, quorum quilibet posset sufficienter sustinere.

4 Secunda sententia affirmat, hoc non posse contingere naturaliter; & hanc impossibilitatem naturalem solū constituit in hoc, quod duo agētia totalia non possunt naturaliter eidem passo æqualiter applicari, nam si semel supernaturaliter eidem passo applicentur, docet hæc sententia, quod vnus & idem effectus naturaliter procederet ab illis, tanquam à causis totalibus, & adæquatis. Et probant, quia si duo luminosa æqualis virtutis illuminandi per diuinam potentiam penetrarentur, & sic penetraia applicarentur diaphano, reddi non potest ratio, cur lumen ab illis naturaliter productū, non sit dicendum ab illis, tanquam à duabus causis totalibus, & adæquatis provenire, cum passum sit capax illuminationis; & vnum agens, seu illuminans non impediatur alterum, sed vnumquodque agat secundum totam virtutem, & effectus productus non excedat intensiōne cuiusque: supponitur enim, hæc luminosa esse æqualis virtutis, quæ ex eo, quod multiplicetur, non poterit producere effectum intensiorem; nam ad nihil iuuat materiæ multitudo. Et similiter exemplificat

in duobus agentibus eiusdem speciei, & æqualis virtutis, quæ si à Deo æqualiter applicentur eidem materiæ iam vltimò disposiæ, vtrumque æqualiter produceret in illa formam, nõ secus, ac si solum ageret, cum vtrumque (vt supponitur) habeat ad hoc virtutem sufficientem, & vnum non impediatur alterum. Ita videtur sentire Caietanus 1. p. q. 5. 2. art. 3. quamuis in 3. part. quæst. 67. artic. 6. oppositum videatur affirmare.

5 Tertia sententia defendit, non posse vnum, & eundem effectum à duabus causis efficientibus totaliter, & adæquate agentibus naturaliter provenire, etiam si supernaturaliter æqualiter applicentur passo; bene tamen hoc posse contingere supernaturaliter, & de potentia absoluta Dei. Ita Suarez in Metaph. disp. 26. sect. 4. Fonseca 5. Metaph. capit. 2. q. 15. sect. 1. Rubiustract. 7. quæst. 1. Murcia disput. 4. q. 7. Hurtado disp. 8. physica sect. 10. Et primam partem probant, quia in dicto casu vnum ex prædictis efficientibus, esset superfluum; & natura superfluitatem abhorret.

6 Secundam verò partem suadent, quia in hoc (inquiunt) nulla potest implicatio ostendi; imò eius possibilitas potest exemplis declarari: nam duæ formæ totales, & adæquate possunt simul informare eandem

dem numero materiam; & vnū corpus potest circūscribi duobus locis adæquatis; & idem numero effectus potest à duabus causis instrumentalibus totalibus. & adæquatis provenire; vt patet in duobus sacerdotibus simul consecrantibus eādem numero hostiam, quorū vtrumque est causa totalis instrumentalistalis consecrationis, vt cum D. Tho. 3. p. q. 82. omnes Theologi fatentur.

7 Quarta sententia vera, & à nobis sequenda docet, implicationē involuere, quòd vnus, & idē numero effectus à duabus causis efficientibus eiusdē ordinis totaliter, & adæquatē agentibus producat; ac per consequens, neque de potentia Dei absoluta posse contingere. Hæc est sententia Scoti in 1. d. 2. q. 3. §. *In ista questione*, litera B. & in 3. d. 1. q. 2. §. *Ad questionem* lit. A. quem omnes discipuli sequuntur, Tartareus 2. Physicorum cap. 2. q. 2. §. *Dubitatur primò*, Philippus Faber in 3. disp. 4. Rada controuer. 1. art. 4. & ex alijs Capreolus in 2. d. 2. q. vnica art. 3. & in 3. d. 1. q. 1. Ferrara 3. contra gentes cap. 68. Iabelus 5. Metaph. q. 7. Sonecinas q. 8. Patres Carmelitani disp. 15. q. 3. §. 2. qui pro ea citant D. Thom. 1. p. q. 52. art. 3. & in 1. d. 37. q. 3. art. 3. & de Potentia q. 3. art. 7. 11. & 19. & ipsam defendit Vazquez tom. 1. super 3. p. disp. 24. capit. 4.

Caberus tractat. 2. disput. 7. dub. 2.

8 Sed quamuis omnes hi auctores affirmant, implicare, quòd vnus, & idem numero effectus à duabus causis efficientibus eiusdē ordinis totaliter, & adæquatē agentibus producat, non tamen omnes conueniant in assignanda implicatione. Plures ex Thomistis, cum sustineant, nō solum non posse eundem numero effectum à pluribus causis totalibus eiusdē ordinis simul provenire, sed nec diuisim, (vt quæstione præcedenti vidimus) implicationem colligunt ex hoc, quòd vnusquisque effectus singularis ex natura sua determinat sibi certam, & singularem causam totalem, & adæquatam, à qua proveniat; nec contineri potest (dicunt) totaliter, & adæquatē in virtute plurium causarum: est autem implicatio, quòd aliquis effectus à pluribus causis, vt totaliter, & adæquatis proveniat, & quòd in qualibet virtute ipsarum totaliter, & adæquatē non contineatur. Quod confirmant; quia aliàs actiones, quibus mediantibus producerent effectum, essent plures, & non essent plures, quod manifestam arguit implicationem. Essent plures, quia à pluribus agentibus provenirent; non essent plures, quia ad eundem effectum, & sub eadē ratione terminarentur.

9 Sed

9 Sed hæc implicationis probatio non est admittenda; nam falso nititur fundamento. Probabamus enim quæstione præcedenti, singularem effectum natura sua non determinare sibi certam, & singularem causam totalem, & adæquatam, à qua provenire possit, sed potius natura sua in virtute plurium causarum totaliter, & adæquatē contineri; ac per consequens potuisse optimè eundem numero effectum, qui nunc totaliter, & adæquatē provenit ab ista causa efficiente, provenire ab alia eiusdē ordinis, si loco istius applicata fuisset eidem passo. Neque ex hoc, quòd plures causæ totales, & adæquatæ producerent eundem numero effectum (siue diuisim, siue coniunctim) sequeretur, quòd actiones, quibus mediantibus illum producerent, essent simpliciter, & absolute plures, & non plures, sed quòd formaliter, & pro respectibus acceptæ essent plures, materialiter autem sumptæ, & pro ipso effectu in fieri, & in statu imperfecto viæ, & tendentiæ, non essent plures, sed vnica tantum actio, vt latius quæstione præcedenti num. 19 declarauimus.

10 Efficaciores sunt rationes, quibus ad hæc implicationem ostendendam vtuntur Scotus, & alij. Prima, (& qua vtitur Scotus) Implicat, effectum totaliter, & adæquatē dependere

ab aliqua causa, qua circūscripta, nihilominus esset effectus. Sed, si idē numero effectus ptoduceretur à duabus causis, quarū quælibet totaliter, & adæquate influeret esse in effectū, talis effectus totaliter, & adæquatē pēderet ab aliqua causa, qua circūscripta, nihilominus esset effectus: ergo implicat, quòd idem numero effectus à duabus causis eiusdē ordinis totaliter, & adæquatē agentibus producat. Minor est manifesta; nā si idem numero effectus produceretur à duabus causis, quarum quælibet totaliter, & adæquatē influeret esse in ipsū, circūscripta quacumq; ex his causis, dummodò altera maneret, & quæ existeret effectus, ac quando vtraque simul influeret, ac per consequens effectus actus pēderet totaliter, & adæquatē ab aliqua causa, qua circūscripta, nihilominus esset effectus. Maior verò patet ex ratione causæ totaliter, & adæquatē influentis esse in effectum, quæ in hoc consistit, quòd effectus ab ipsa sola, & secluso cōsortio influxus cuiuscūq; alterius causæ eiusdē ordinis depēdeat in suo esse. Ex hac enim ratione causæ totaliter, & adæquatē influentis esse in effectum cōvincitur, esse implicationē in hoc, quòd effectus habeat esse, seclusa, & circūscripta causa, à qua totaliter, & adæquatē dependet.

11 Respondent aduersarij, in hac probatione nos cu Scoto de-

decipi existimantes esse de ratione causæ totaliter, & adæquatè influentis esse in effectū, quod effectus ab ipsa sola, & secluso consortio influxus cuiuscūque alterius causæ eiusdem ordinis dependeat in suo esse: nam potius (inquiunt) cōsistit in hoc, quod effectus suū esse totaliter, & adæquatè accipiat à causa: quod non impedit, ut simul etiam accipiat totaliter, & adæquatè prædictum esse ab alia causa; & consequenter, quod simul actualiter dependeat totaliter, & adæquatè à duabus causis.

12 Sed quanto potiori ratione nos affirmare possumus ipsos aduersionarios in sua decipi solutione, conuincitur ex eo, quod admittens causa (quæ aliā totaliter, & adæquatè influeret esse in effectum) in suū consortium influxum actuale alterius causæ eiusdem ordinis, definit eo ipso esse causa in illo ordine totaliter, & adæquatè influens esse in effectum: ergo de ratione intrinseca causæ totaliter, & adæquatè influentis esse in effectum erit, quod ipsa sola influat, abigatque consortium alterius causæ eiusdem ordinis actualiter influentis esse in eundem effectum.

13 Assumptum (præterquam, quod ipsis terminis innotescit) probari, & declarari potest, inquirendo ab aduersarijs, an, quando causa (quæ se sola

potest totaliter, & adæquatè influere esse in effectum) admittit in suum consortium influxum actuale alterius causæ eiusdem ordinis in eundem effectum, ipsa influat in effectū adhibendo totam virtutem, quæ potest influere: An solum adhibendo illam partem virtutis, quæ simul cum virtute alterius concausæ sufficiens est ad producendum effectum æqualis perfectionis cum illo, quam ipsa sola adhibendo totam suam virtutem producere poterat? si dicant influere in effectum adhibendo totā virtutem, necessarium erit, quod ex consortio influxus alterius concausæ simul cum ipsa influentis evadat effectus magis perfectus, quam evaderet, si ipsa sola influeret; & sic respectu huius effectus neutra erit causa totalis, sed vtraque partialis. Si verò dicant, influere in effectum solum adhibendo illam partem virtutis, quæ simul cū virtute alterius concausæ sufficiens est ad producendum effectum æqualis perfectionis cū illo, quem ipsa sola adhibens totam suam virtutem producere poterat; & si effectus in isto casu evaderet æqualis perfectionis cum illo, quem ipsa sola adhibendo totam virtutem produceret; tamen manifestum est, quod etiam in hoc casu ipsa non concurrat ad hūc effectum, ut causa totalis, & adæquata, sed ut partialis, &

ia;

inadæquata. Ergo in vniuersum verum est, quod assumpsimus, scilicet, causam desinere esse totaliter, & adæquatè influentem in effectum, eo ipso, quod in suum consortium admittat alteram causam eiusdem ordinis actualiter influentem esse in eundem effectum: & cōsequenter de ratione causæ actualiter, & adæquatè influentis esse in effectum esse, quod effectus ab ipsa sola dependeat in suo esse, secluso cōsortio influxus cuiuscumque alterius causæ eiusdem ordinis.

14 Secunda ratio (& qua vtitur Vazquez) sic est formari potest. Tota ratio, propter quam effectus potest produci ab aliqua causa, & ab eadem dependere, est indigentia, quæ habet, illius ad suum esse (si enim aliquid non indiget alio ad suū esse, implicat, quod ab illo dependeat, tanquam à causa sui esse, ut videri est in Deo, qui, quia nullo indiget ad suum esse, ideo implicationem involvit, quod in suo esse dependeat ab aliquo, tanquam à causa.) Sed vnus effectus ad suum esse in vno genere solum indiget vnica causa totali, & adæquata. ergo implicationem involvit, quod in vno genere vnus effectus pendeat, seu producat in suo esse, nisi quàm ab vna causa totali, & adæquata.

15 Tertia ratio (& qua communiter vtiuntur omnes contra

auctores tertie sententiæ) est ad hominem; nam auctores hi defendunt (ut visum est) cōtra auctores primæ sententiæ, & secundæ, duas causas, adhuc si per potentiam Dei æquè applicarentur passio, non posse naturali virtute totaliter, & adæquatè influere in eundem numero effectum. Sed si hoc non possunt naturali virtute, neque etiam poterunt virtute supernaturali: ergo vel fateri debent cum auctoribus primæ, & secundæ sententiæ, hoc esse naturaliter possibile; (quod ipsi non audent) vel nobiscum id esse, adhuc supernaturaliter, & de potentia Dei aboluta impossibile.

16 Probo minorem. Si Deus supernaturali virtute faceret, quod duæ causæ totaliter, & adæquatè influerēt in eundem effectum, in quem adhuc debet, & æqualiter applicatæ naturaliter influere non possunt, hoc faceret, vel eleuando virtutes prædictarum causarum; (sicut eleuat instrumenta, vel alias causas insufficientes) vel augendo indigentiam in effectū. Primum dici non potest, quia cum illa impossibilitas naturalis producendi simul totaliter, & adæquatè eundem effectum non proveniat in his causis ex defectu virtutis, sed potius ex superfluitate, impertinens esset ad propositum prædictæ eleuatio virtutis istarum causarum. Minus dici potest

sc.

secundum. Primò, quia intelligi nequit, quia ratione Deus augetur indigentiam effectus immutata natura; & essentia illius. Secundò, & principaliter, quia dato, quòd Deus augetur indigentiam effectus iam illæ causæ non essent totales, & adæquatæ, siquidem neutra sola posset adimplere totam effectus indigentiam, seu (quod idem est) totaliter, & adæquatè illum producere.

17 Respondent auctores tertie sententiæ, absolutam Dei potentiam hic requiri, non ut eleuetur virtus causarum, neque etiam ut augeatur indigentia effectus, sed ut altera ex his causis, quæ, eo ipso quòd naturaliter superfluit, concursus suum subtraheret, illum non subtrahat. Sed contra: quia quòd causa superflua subtrahat suum influxum, & sinat, effectum ab alia sola produci, non prouenit ex alicuius voluntate, sed ex necessitate naturæ: vnde ab intrinseco cessat influere, non alia de causa, nisi quia effectus ad suum esse non indiget illa, & (ut supra dicebamus) eo ipso quòd aliquid non indiget alio ad suum esse, implicat, quòd ab illo depèdat, tamquam à causa; seu (quod idem est) quòd ab illo producatur. Solum ergo Deus poterit efficere, quòd illa causa etiam concurrat augendo indigentiam effectus, & mutando illius intrinsecam naturam;

in quo casu iam concurrent prædictæ causæ, non ut totales, sed ut partiales.

18 Ad primum exemplum adductum: pro prima sententia responderetur, duos trahentes nauim concurrere, ut causas partiales, vel quia neuter adhibet totam virtutem, quam habet, sed dimidiam; vel quia, si vterque totam adhibet virtutem, nauis velocius trahitur, quam si ab vno tantum traheretur, & sic respectu huius tractionis nullus est causa totalis, & adæquata. Et eodem modo responderetur ad secundum de duobus sustentantibus lapidem, ne cadat, scilicet, concurrere, ut causas partiales, nam etiam si vnusquisque solus posset illam sustinere adhibendo totam suam virtutem; tamen propter consortium alterius illam non adhibet, sed solum partem necessariam. Quod manifestè apparet ex eo, quòd facilius lapidem sustentat cum consortio alterius, quam si solus sustineret.

19 Ad primum exemplum ex adductis pro secunda sententia responderetur, quòd si duo luminosa æqualis virtutis per diuinam potentiam penetrarentur, atque æqualiter applicarentur diaphano, producerent intensius lumen, quam illud, ad quod vnusquodque haberet virtutem. (Ut cum Scotolib. 1. de ortu, & interitu expofesso ostendemus) Quod au-

autem adducitur contra hoc, scilicet, multitudinem materiæ non conducere ad intensiorem affectum, non est ad rem; nam in dicto casu non solum multiplicaretur materia luminosa, sed etiam multiplicaretur forma, & virtus illuminandi.

20 Quòd si virgeas. Demus, diaphanum esse capax solius luminis, & non intensioris, quòd ab vnoquoque luminoso seorsum produci potest, tunc ab vtroque non produceretur intensius lumē, quā à quolibet seorsum: ergo in dicto casu idē numero effectus produceretur totaliter, & adæquatè à duobus causis.

21 Responderetur (admisso casu argumenti gratia, quidquid sit de illius possibilitate) quòd tunc quolibet luminosum non haberet totam virtutē, sed partē necessariam, eo quòd illud lumē productum solum indiget partiali virtute cuiuscumque ut fiat, & sic propter concursus vtriusque nullum posset adhibere totam suam virtutem. Imò addo, quòd, si illud determinatum lumen præsuponeretur iam ab vno productum, & deinde accederet alterum, penetrareturque cum priori illud prius luminosum retraheret partē virtutis, & concursus, quò lumen iam productum conseruabat, & relinquere locum luminoso de nouo aduenienti, ut etiam partia-

liter cum illo cōseruaret: quia vtrumque, cum sit agens naturale, & sufficienter applicatum, non potest non agere; neque vnum totaliter impedit alterum, præcipuè si sint æqualis virtutis, & intensioris.

22 Eodē pacto responderetur, ad alterum exemplum de duobus agentibus æqualiter applicatis materiæ vltimò dispositæ, scilicet, quòd in dicto casu nullum applicaret totam virtutem ad introducendam formam, sed partem cum partiali virtute alterius necessariam; eo quòd singulæ partes sufficientiunt ad implendum effectus indigentiam.

23 Ad fundamentum tertie sententiæ patet ex dictis, in quo consistat implicatio. Ad primum exemplum, quo conabantur auctores illius possibilitatem explicare, patet ex dictis lib. 1. disp. 4. q. 5. implicare contradictionē, quòd duæ formæ totales, & adæquatæ informēt simul eādem numero materiā: vnde exemplum istud potius est ad oppositum. Secundum autem exemplum de corpore existente in duplici loco circumscripitiuè, non est ad rem; nam corpus non pendet in suo esse à loco, itaquam à causa, sed solum pendet à loco *vbi*, seu præsentia, quā dicit ad locum. Quod *vbi*, seu præsentia, quādo corpus diuinitus est circumscripitiuè in duobus locis, non est vna, sed duplex, sicuti & ipse locus, Rr ad

ad quem terminatur illa presentia. Tertium exemplum de duobus Sacerdotibus, simul cōsecrantibus eandem numero hostiam (si quid probaret) cōcluderet, non solum de potentia absoluta, sed de ordinata, posse eundem effectum provenire à duplici causa totali; si quidem secundum potentiam ordinatam cōtingit, quod duo Sacerdotes simul cōsecrēt eādem numero hostiā, & consequenter, quod idē numero effectus simul proveniret à duabus causis totalibus instrumentaliibus. Vnde non solum militat contra nos, sed etiam cōtra auctores tertie sententiæ.

24 Respondet Vazquez ad hanc instāriam, quod, si instrumenta sunt moralia, vt sunt (tā in sentētia ipsius, quā Scoti) verba consecrationis (quæ adducta sunt in exemplo) respectu consecrationis hostiæ, optime posse, non solum de potentia absoluta, sed etiā de potentia ordinaria, vnum effectū dependere totaliter, & adæquatē à pluribus causis instrumentaliibus, & consequenter à pluribus causis principalibus istius generis; secus vero, si instrumenta essent physica. Cuius discriminis rationem assignat, quia indigentia, quam debet habere effectus, alicuius ad suū esse, & quæ intrinsecē necessaria est ad hoc, vt possit ab illo provenire, tanquam à causa sui esse, solum attenditur penes or-

dinem ad causam physicam, non ad moralem.

25 Hanc solutionē Vazquez vidit apud aliquos ex nostris receptam; sed nescio, an consequenter ad id, quod sustinent, tamquam doctrinam Scoti loco primi supra citato, scilicet, non posse, adhuc de potentia Dei absoluta eundem numero effectum à duabus causis finalibus totaliter, & adæquatē agentibus provenire. Si enim indigentia, quam debet habere effectus, alicuius ad suū esse, & quæ intrinsecē necessaria est ad hoc, vt possit ab illo provenire, tanquam à causa sui esse, solum attenditur penes ordinē ad causam physicē influērem, & ideo absque implicatione potest provenire effectus totaliter, & adæquatē à duabus causis moralibus: ergo etiam poterit provenire totaliter, & adæquatē à duabus causis finalibus: siquidem causa finalis nō influit physicē, sed intentionaliter, & metaphoricē, & valde assimilatur, quoad hoc, influuii cause moralis.

26 Dicendū igitur nobis est, indigentiam, quam habere debet effectus, alicuius ad suū esse, & quæ intrinsecē necessaria est ad hoc, vt possit provenire ab illo, tanquam à causa sui esse, nō solum attendi penes ordinem ad causam physicā, sed vniuersaliter penes ordinē ad omnem causam per se influentem in effectum; (siue sit phy-

physica, siue intentionalis, siue moralis) & consequenter eundem numero effectū non posse provenire à duabus causis per se totaliter, & adæquatē agentibus eiusdē ordinis, siue hæ cause influant physicē in effectum, siue moraliter, & intentionaliter; imò siue sint cause principales, siue instrumentales; nam ratio Scoti num. 10. adducta hoc cōvincit de omni causa per se influente in effectum.

26 Alio ergo modo nobis respondendum est ad prædictā instāriam de duobus sacerdotibus consecrantibus eandem numero hostiam, nimirum, quod sicut, quando quis eligit vnum medium propter duos fines, prædicti fines constent vnum finem, seu vnum motuum totale, & adæquatū huius numero electionis, non obstante, quod aliās vnusquisque suis seorsum esset sufficiens ad mouendum efficiens, licet non ad hanc numero electionem, quā de facto habet, quia hæc dependet à motiuo, seu fine constato ex duobus finibus, ac per consequens deficiente quolibet ipsorū, deficeret hæc numero electio, saltem ad aliā numero electionem eiusdem medij, ita pariformiter, quan-

do Deus decernit facere consecrationem hostiæ, super quā duo sacerdotes simul proferūt consecrationis verba, ex duabus prolationibus verborum super eandem numero hostiā (quæ in sentētia nostra, & Scoti non influunt physicē in consecrationē, sed moraliter, mouendo, scilicet, efficaciter diuinam voluntatem, ex vi, quæ receperūt ex institutione Christi Domini ad hoc, vt intuitu ipsorum decernat facere consecrationem illius hostiæ.) cōstat vnicū totale motiuū, seu vnica totalis causa instrumentalis moralis, cuius intuitu decernit Deus facere consecrationē illius hostiæ; nō obstante, quod etiam si prædicta verba profererēt ab vno tantum sacerdote, essent etiā efficacia ad mouendam diuinam voluntatem ad decernendum facere consecrationem, licet non eodem numero decreto, quo in casu nostro decernit (nam hoc est dependens à motiuo, seu causa morali instrumentali cōflata ex pluribus prolationibus verborū consecrationis; & sic qualibet ex his prolationibus deficiente, deficeret præsens numero decretum) saltem alio decreto numero distincto, Et hæc de secundo libro.

F I N I S.

MATRITI
EX TYPOGRAPHIA REGIA
ANNO DOMINI M. DC. LIX.

